SHOUT
SHARE
IT

S631. A~~12~~ 13

ANNALES

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE,

1827 — 1828.

S.641.

ANNALES
ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE,

a. d. VIII *Februarii* MDCCCXXVII *ad d.* VIII *Februarii* MDCCCXXVIII.

RECTORE MAGNIFICO

GERARDO WTTEWAALL,

ACADEMIAE ACTUARIO

LUCA SURINGAR.

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS,
MDCCCXXIX.

INDEX

EORUM, QUAE DECIMO TERTIO ANNALIUM LEIDENSIUM VOLUMINE CONTINENTUR.

Nomina Professorum, Lectorum et Magistrorum Academicorum.
Series Lectionum in Academia Lugduno-Batava.
Acta et Gesta in Senatu Academiae Lugduno-Batavae.
Series Dissertationum Inauguralium publicè defensarum.
Judicia Facultatum de Commentationibus ad quaestiones anni superioris ad se perlatis.
Programma novarum Quaestionum, die VIII Febr. anni MDCCCXXVIII. propositarum.
Orationes G. WTTEWAALL;
W. A. VAN HENGEL.
N. C. KIST.
Commentationes V. J. de Saint-Moulin;
H. Gehle.
D. Tieboel Siegenbeek.
W. Immink.

Nomina Professorum et Lectoris Athenaei Amstelaedamensis.
Series Lectionum in Athenaeo habitarum.
Acta et Gesta in Senatu Professorum Athenaei Amstelaedamensis.
Oratio G. J. ROOYENS.

Series Lectionum in Seminario Euangelico-Lutherano Amstelaedamensi habitarum.

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

inde a d. VIII *Februarii* MDCCCXXVII, *ad d. Februarii* MDCCCXXVIII.

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA
DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS,

GERARDUS WTTEWAALL

ACADEMIAE ACTUARIUS,

LUCAS SURINGAR.

DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM PROFESSORES.

G. WTTEWAALL.
S. SPEYERT VAN DER EYK.
C. G. C. REINWARDT.
J. DE GELDER.
J. VAN DER HOEVEN, Professor extraordinarius.
P. J. UYLENBROEK, Professor extraordinarius.

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM.

J. H. VAN DER PALM.
M. SIEGENBEEK.
S. J. VAN DE WYNPERSSE, propter infirmam valetudinem rude donatus.
J. BAKE.
J. NIEUWENHUIS.

H. A. HAMAKER, Legati Warneriani interpres.
P. HOFMAN PEERLKAMP.
C. J. C. REUVENS.

MEDICI.

M. S. du PUI, propter aetatem septuagenariam rude donatus.
G. SANDIFORT.
J. C. B. BERNARD, rei medico-militaris in Regno Belgico Inspector.
M. J. MACQUELYN.
J. C. BROERS.
C. PRUYS van der HOEVEN.

JURIDICI.

N. SMALLENBURG.
E. HAGEMAN, propter aetatem septuagenariam rude donatus. Obiit d. 20 Novembris MDCCCXXVII.
H. G. TYDEMAN.
C. J. van ASSEN.
H. COCK.

THEOLOGI.

J. van VOORST, propter aetatem septuagenariam rude donatus.
J. CLARISSE.
L. SURINGAR.
W. A. van HENGEL.
N. C. KIST.

LECTORES.

N. G. van KAMPEN, Literarum Germanicarum.
A. H. van der BOON MESCH, Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum.

MAGISTER ACADEMICUS.

G. KNIPPENBERG, Artis Gladiatoriae.

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

habendarum à die 18 Septembris 1827.

RECTORE MAGNIFICO

GERARDO WTTEWAALL.

FACULTAS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

G. WTTEWAALL Oeconomiam Ruralem docebit, diebus Martis, Jovis et Veneris, hora I.

S. SPEYERT VAN DER EYK Mathesin Sublimiorem docebit, diebus Lunae et Mercurii, hora I.

Physicam, experimentis illustratam, tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XII.

C. G. C. REINWARDT *Chemiam* docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XI.

Rei Herbariae fundamenta tradet, diebus Lunae et Mercurii, hora I.

Plantarum Historiam illustrabit verno et aestivo tempore matutino, hora VII.

Historiae Naturalis quaedam capita exponet, horis postea indicandis.

J. DE GELDER, tradet elementa Geometriae, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Arithmeticam universalem tradet, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, horis deinceps indicandis.

Trigonometriam rectilineam et sphaericam, ejusque usum in Astronomiâ et Arte navigandi provectioribus discipulis explicabit, diebus Lunae, Martis et Veneris, hora I.

Calculum Differentialem et Integralem ter quavis hebdomade docebit iis horis, quae Auditoribus maximè sint commodae.

Mechanicam analyticam diebus Martis et Jovis post meridiem, hora V et VI.

Theoriam probabilitatis, quam vocant, et insignem ejus usum in vita civili tradet, quarum lectionum horas in commodum Auditorum constituet.

J. VAN DER HOEVEN, Prof. Extraordin. Historiae Naturalis elementa exponet, diebus Martis et Jovis, hora IV.

Zoologiam tradere perget in usum provectiorum discipulorum, diebus Martis et Jovis, hora I.

Osteologiam comparatam docebit, diebus Martis et Veneris, hora XII.

P. J. UYLENBROEK, Prof. Extraord. Physicam docebit, secundum compendium a Cl. BIOT editum, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Astronomiam Mathematicam tradet, iisdem diebus, hora X.

Astronomiae elementa exponet, diebus Martis et Jovis, hora I.

Arithmeticam Universalem explicabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XII.

Ejusdem disciplinae capita selecta interpretabitur, diebus Lunae et Mercurii, hora I.

FACULTAS PHILOS. THEOR. ET LITERARUM HUMANIORUM.

J. H. VAN DER PALM, diebus Lunae et Mercurii ultima capita Jobi, dein Canticum Canticorum Philologice et Critice illustrabit, hora I.

Praecepta Oratoriae Sacrae tradet, diebus Martis et Jovis, hora I.

Diebus Martis Coranicis lectionibus vacabit, hora V et VI.

II Regum librum cursoria lectione explicare perget, diebus Veneris, hora I.

M. SIEGENBEEK praecipuas Historiae Patriae epochas observationibus illustrabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Praecepta stili bene Belgici tradet, iisdem diebus, hora XII.

Eloquentiam Belgicam docebit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora I.

Literarum Belgicarum historiam ad ductum *compendii* a se editi, tradet, diebus Jovis et Veneris, hora I.

Eloquentiae exterioris exercitia moderabitur, die Veneris, hora III.

J. BAKE interpretabitur cum EURIPIDIS *Andromacham*, tum XENOPHONTIS libellos, *de Republ. Lacedaemoniorum*, et *Symposium:* diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora X.

Antiquitates Graecas tradet, diebus Lunae et Mercurii, hora I.

J. NIEUWENHUIS docebit Metaphysicam, diebus Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni, hora. VIII.

Logicam, die Jovis hora XII. et die Veneris, hora X.

Historiam Philosophiae antiquae explicabit, die Mercurii hora XII. et die Veneris, hora XI.

Philosophiam moralem, nec non Encyclopaediam et Methodologiam Philosophicam, diebus horisque ipsi et auditoribus commodis.

H. A. HAMAKER Grammaticam Hebraeam docebit et exercitiis analyticis moderandis vacabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Literas Arabicas, Syriacas et Chaldaicas tironibus tradet, diebus Martis et Jovis, hora I. et Veneris, hora VIII.

In provectiorum discipulorum gratiam alternatim interpretabitur librum Pseudo-Wakidaei de expugnatione Aegypti inferioris a se editum, et Hamasam cum Tebrizii commentariis ex editione FREIJTAGII v. c., diebus Martis et Jovis, hora IV.

Bar Hebraei Chronicon Syriacum tractabit privatissime, die Jovis, hora V—VII.

P. HOFMAN PEERLKAMP, explicabit *historiam universalem* a prima inde civitatum origine usque ad divisionem regni Carolingici, die Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XI.

In Literis Latinis interpretabitur C. CORNELIUM TACITUM *de vita et moribus Cn. Julii Agricolae*, usurus editione ad has lectiones a se accommodata; et selecta *Propertii* carmina, iisdem diebus, hora IX.

C. J. C. REUVENS *Antiquitatem Romanam* explicabit, secundum compendium FUSSII v. c. diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris, hora XII.

Numismaticas scholas habebit, hora commodâ.

J. BAKE et P. HOFMAN PEERLKAMP scholas privatas destinare pergent futuris philologis, et interpretandi exercitia ponent, Ille in Aeschylo, die Martis, hora I.

Hic in Senecae tragoedia Hippolyto, die Jovis, hora I.

Tum publicis disputandi exercitiis praeerunt, die Martis, hora III.

FACULTAS MEDICA.

M. S. DU PUI Selecta Capita Theoretico-Practica Chirurgiae dabit, diebus Martis et Jovis, hora I.

Anatomiam Chirurgicam, hiberno tempore, docebit, diebus Lunae, Martis, Jovis, et Veneris, hora V.

Lectiones Theoretico-Practicas, quae scientiam atque Artem Obstetriciam spectant, habebit, die Veneris, hora XI et XII.

Medicinam Legalem explicabit semel septimanâ quâvis, per sesqui horam, postmodum indicandam, et a scholis Juridicis, et Medicis vacuam.

Disputationibus Publicis, Medicinae ambitum spectantibus, lubenter vacabit, horâ dein indicandâ.

G. SANDIFORT Anatomiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora X.

Physiologiam, Anatome comparatâ illustratam, iisdem diebus, hora IX.

Methodum Secandi Cadavera, quotidie, hiberno tempore, ab hora III ad IV.

M. J. MACQUELYN in usum studiosae Juventutis, quae Medicinae Theoreticae operam dat, Supellectilem Pharmaceuticam, quo ordine in Codice Medicamentario, publicâ auctoritate edito, habetur, Botanicé, Chemicé, et Pharmaceuticé explicabit, die Veneris, hora IX et X.

Materiem vero Medicam Therapeiae accommodatam tractabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Doctrinam Febrium, Nosologicé et Therapeuticé, exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora IX.

Et *singulis diebus eâdem horâ* in Nosocomio Academico Exercitiis Clinicis praeërit.

Dum disputationes publicas, de variis Medicinae partibus habendas, moderabitur diebus et horis, auditoribus commodis.

J. C. BROERS, Theoriam disciplinae Chirurgicae exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, ejusdemque Praxin in Nosocomio Academico *singulis diebus*, hora XII.

Operationes Chirurgicas, hiberno tempore, horis dein indicandis.

Artem Obstetriciam Theoreticam et Practicam, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora X.

Medicinam Forensem, diebus et horis, auditoribus commodis, dein indicandis.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN, Pathologiam docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora I. et die Veneris, hora VIII.

Medicinam Practicam cum exercitatione in Nosocomio Academico *singulis diebus*, hora XI.

Historiam Medicinae tradet, diebus Lunae et Mercurii, hora IV.

FACULTAS JURIDICA.

N. SMALLENBURG, Pandectas, secundum WESTENBERGIUM, tractabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris hora X.

Institutiones, iisdem diebus, hora XI.

Primas Lineas Juris Civilis Belgici, à se editas, explicabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XII.

E. HAGEMAN, in quantum aetas et valetudo permittent, diebus et horis, dein indicandis, studiosae Juventuti prodesse conabitur.

H. G. TYDEMAN, Encyclopaediam Juris (sive Introductionem ad studium Jurisprudentiae universae et singularum illius partium) tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XII.

Statisticam Patriae describet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora I.

Oeconomiae Politicae principia, ad librum ex Anglico suâ curâ conversum, diebus Martis et Jovis, hora XI.

Historiam politicam recentiorem, duce HEERENIO, enarrabit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora XI.

Jus Mercatorium, quo adhuc utimur, cum novo Jure jam decreto comparatum, illustrabit, die Veneris, hora XII et I.

C. J. VAN **ASSEN**, illustrabit Historiam Jurisprudentiae Romanae, duce J. A. BACHIO, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora IX.

Docebit JUSTINIANI Institutiones, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X.

Explanare perget GAJI Institutionum Commentarios, die Jovis, hora X.

Interpretabitur Digestorum Libros, duce WESTENBERGIO, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Tractabit separatim locum de Delictis et Poenis, interpretando Digestorum Libros XLVII et XLVIII, et Codicis Librum IX, die Jovis, hora IX.

Tradet Elementa Juris Civilis Attici, die Veneris, hora VIII.

H. **COCK**, Jus Naturale tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora I.

Jus Criminale, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora IX.

Jus Publicum et Gentium, diebus Jovis, Veneris et Saturni, hora IX.

FACULTAS THEOLOGICA.

J VAN **VOORST** Pericopas IV Euangeliorum, Historiam patientis, morientis et in vitam revocati Jesu complectentes, Critice et Exegetice tractabit, diebus Martis et Veneris, hora XII.

Epistolarum Pauli minorum, earum inprimis, quae Pastorales dictae sunt, loca nonnulla interpretabitur, et hac opportunitate JOANNIS CHRYSOSTOMI Homilias in Epistolam ad Philemonem exponet, diebus Lunae et Jovis, hora XII.

J. **CLARISSE** Encyclopaediam et Methodologiam Theologicam tradet, horâ auditoribus sibique commodâ.

Theologiam Dogmaticam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora IX.

Theologiam Moralem, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Theologiam Naturalem exponet, diebus Veneris et Saturni, hora VIII.

Exercitia Oratoriae Sacrae moderabitur, die Lunae, hora I.

L. **SURINGAR** Theologiam Dogmaticam docebit, diebus Lunae, Martis et Jovis, hora X.

Theologiam Symbolicam et selecta Historiae Dogmatum Capita exponet, diebus Lunae, Martis et Jovis, hora XI.

Oratoriae Sacrae exercitiis praeërit, die Mercurii, hora I.

J. **CLARISSE** et L. **SURINGAR** moderari pergent exercitia de quaestionibus argumenti Theologici disputandi, die Veneris, hora IV.

W. A. VAN **HENGEL**, Hermeneuticen literarum Sacrarum tradet, die Martis et Jovis, hora IX.

Epistolam Pauli ad Philippenses interpretabitur, die Mercurii et Veneris, hora X.

Ad *Homiletices* praecepta auditoribus commonstrare conabitur, quomodo de JESU CHRISTI, quam vocant, *Passione* pro concione populi dicendum sit, die Mercurii et Veneris, hora XI.

Orationibus Sacris praeërit, die Jovis, hora I.

N. C. **KIST**, Religionis et Ecclesiae Christianae historiam docebit inprimis antiquam, diebus Mercurii et Veneris, hora XI. Veneris, hora I. et Saturni, hora IX.

IGNATII Epistolas, ab J. C. THILO, Halae 1821, editas, aliaque Historiae Ecclesiasticae veteris monumenta, explicabit, die Mercurii, hora XII et I.

N. G. VAN **KAMPEN**, Liter. Germ. Lector, librum Clar. PÖLITZ, cui titulus: *Lehrbuch der Teutschen prosaischen und rednerischen Schreibart* (1827) explicabit, die Jovis post meridiem, hora V—VII.

Principia Grammatices Germanicae docebit horis Auditoribus maxime opportunis.

A. H. VAN DER **BOON MESCH**, Chymiae Technicae Lector, Chymiae doctrinam ejusque in artibus usum latine exponet, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora III.

Chymiam Medicinalem et Pharmaciam docebit, diebus Martis et Jovis, hora VIII.

G. **KNIPPENBERG**, Academicus Artis Gladiatoriae Magister, aptum et elegantem gladii usum quotidie docebit.

ACTA ET GESTA IN SENATU

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE.

1827. Die 18 Septembris. E Literis Illustrium Academiae Curatorum d. 2 Julii additoque Decreti Regis 13 Junii exemplo intellexit Senatus

1. Virum Clarissimum JOANNEM VAN VOORST propter aetatem septuagenariam salvo honore et stipendio rude donari.

2. Eundem Virum Clarissimum in gerendo Protobibliothecarii munere pergere posse.

3. Designatum esse in hac Academia Theologiae Professorem Cl. WESSELUM ALBERTUM VAN HENGEL, Theologiae Doctorem et in Illustri Amstelodamensium Athenaeo Professorem, qui succedat in locum Cl. VAN VOORST, post peractum septuagesimum aetatis annum, honorifica rude donati.

4. Virum Clarissimum NICOLAUM CHRISTIANUM KIST, extraordinarium in hac Academia Professorem, constitutum esse ordinarium in Facultate Theologica Professorem.

Die 22 Septembris. A Viro Cl. W. A. VAN HENGEL solenne juratum est jusjurandum. Mox in Auditorio Majori munus auspicatus est, habita Oratione, *de Grammaticarum Literarum Sacrarum interpretatione.*

Die 21 Novembris. Tristis Senatui allatus est nuncius de morte Viri Cl. EDUARDI HAGEMAN, in Facultate Juridica Professoris emeriti.

Die 15 Decembris. Vir Cl. N. C. KIST, munus Professoris Ordinarii in Theologia suscepit, habita Oratione, *de Ecclesia Graeca, divinae Providentiae teste.*

1828. Die 19 Januarii. Quatuor e diversis Facultatibus ad normam ab Au-

Augustissimo Rege constitutam nominati sunt Professores; ex quibus unus a Rege eligeretur ad Rectoris munus, anno proximo inde a die Academiae natali, gerendum.

Nominati quoque sunt quatuor, ex quibus unus e Lege Regia eligendus esset in annum sequentem Actuarius.

Nominatio prior mox per Literas, Latino sermone scriptas, ad Regem missa, utraque cum Curatoribus communicata est.

1828. Die 6 Februarii. Recitatum est Regis Augustissimi decretum, quo Rector Academiae Magnificus in annum proximum designatur Vir Cl. JANUS BAKE. Designato Rectori adjuncti sunt Assessores:

Viri Clarissimi M. J. MACQUELIJN,
H. COCK,
J. CLARISSE,
S. SPEYERT VAN DER EYK.

Die 8 Februarii. In consessu Curatorum, Rectoris et Assessorum ex nominatis electus est Actuarius Vir Clar. G. WTTEWAALL, qui Rectoris Magnifici munere abiens in Auditorio Majori solennem habuit Orationem, *de Agricultura, salutis publicae vero fundamento.*

Cetera ex more antiquo et legibus regiis hoc die praestanda feliciter peracta sunt.

*

SERIES

DISSERTATIONUM INAUGURALIUM,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

PUBLICE DEFENSARUM,

à die VIII *Februarii* MDCCCXXVII *ad diem* VIII *Februarii* MDCCCXXVIII.

1827.

d. 31 Martii. *Dissertatio Physiologico-Pathologico-Medica, de Fracturis Ossium apud mulieres, graviditatis periodo, evenientibus,* cum laude defensa a Joanne Petro Stephano Cramer, Demerariensi, pro Doctoratu Medicinae.

d. 2 Aprilis. Dissertatio Juridica, de Donationibus ad pias causas, cum laude defensa, in Auditorio Majori, a Thoma Theodoro Henrico van Benthem van den Bergh, Boemelia-Gelro, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. Dissertatio Physico-Mathematica, de Iride, magnâ cum laude defensa in Auditorio Majori, a Jacobo Nicolao van Puttkammer, Lugduno-Batavo, pro Matheseos Magisterio et Philosophiae Naturalis Doctoratu.

Eodem die. Dissertatio Juridica, de iis, quae hereditatis actionisque emtioni venditioni sunt propria, magnâ cum laude defensa in Auditorio Majori, a Jacobo Nicocolao van Puttkammer, Lugduno-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

1827.

d. 6 Aprilis. *Specimen Historico Juridicum; exhibens quaedam de Legatis*, cum laude defensa a Josepho Carolo Maria de Quertenmont, Bruxellensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodiernii.

d. 23 Aprilis. *Dissertatio Juridica, de Contractu Nuptiali*, cum laude defensa a Wilhelmo Frederico Ewaldo Marggraaf, Sylva-Ducensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Dissertatio Juridica, de Indignis, qui succedant, ex utriusque Juris praeceptis, indicatis a Jure novissimo Belgico differentiis*, defensa ab Eugenio Amore de Cartier, Marchio-Pontano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 27 Aprilis. Dissertatio Juridica, de damnatorum restitutione in integrum (réhabilitation), cum laude defensa in Auditorio Majori, ab Henrico Valerio van Wesele Scholten, Delphensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 5 Maji. *Dissertatio Medica, de Apoplexia*, cum laude defensa a Michaële Angelo Bianchi, Badensi, pro Doctoratu Medicinae.

d. 11 Maji. *Dissertatio Juridica, de Divortiis, praecipue de eo, quod fit ob malitiosam desertionem*, defensa ab Unicone Allardo Alberda van Menkema, Groningano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 16 Maji. *Dissertatio Juridica, de Judiciis*, cum laude defensa a Petro Glaudio Hubrecht, Lugduno-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 19 Maji. *Dissertatio Medica, de Hepate, organo corporis humani depuratorio, tam in statu sano, quae in aegroto*, cum laude de defensa a Jano Soutendam, Goesa-Zeelando, pro Doctoratu Medicinae.

1827.

d. 7 Junii. *Specimen Juridicum, de Exsecutoribus Testamentariis,* cum laude defensum a Bernardo Brouwer, Leovardia-Frisio, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 14 Junii. Specimen Academicum, de Juliano Imperatore, Religionis Christianae hoste eodemque vindice, magnâ cum laude defensum in Auditorio Majori, a Claudio Henrico van Herwerden, Henr. F., e pago Jutphaas Rheno-Trajectino, pro Doctoratu Theologiae.

d. 19 Junii. *Dissertatio Juridica, de praesumtionibus circa commorientes ex Jure Romano et Hodierno,* cum laude defensa a Diderico Joanne Everhardo van Löben-Sels, Zutphania-Gelro, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 20 Junii. *Dissertatio Juridica, de dilatione solutionis illa, quae voce* surchéance *significatur,* cum laude defensa a Mellone Sichterman, Groningano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 21 Junii. Dissertatio Juridica, ad titulum Pandectarum de Condictione, causa data causa non secuta, magnâ cum laude defensa in Auditorio Majori, a Georgio Jsaäco Bruce, Daventria-Transisalano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. Dissertatio Juridica, de Calumniatoribus apud Romanos, magnâ cum laude defensa in Auditorio Majori, ab Engelberto ter Kuile, Enschedé-Transisalano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 22 Junii. *Dissertatio Juridica, de Addictione in diem,* cum laude defensa ab Isaco Elia Francisco Berthon Zeewoldt, Amstelodamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d.

1827.

d. 2 Junii. *Dissertatio Juridica, de Juris honorarii auctoritate in Jure Romanorum privato*, cum laude defensa a Gulielmo Parker de Ruijter Rocher de la Renays, Delphensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Dissertatio Juridica, ad Articulum 1244 Codicis Civilis*, defensa a Davide Laurentio van der Voort Maarschalk, Roterodamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 25 Junii. *Dissertatio Juridica, de Obligatione, quae Jure Naturali nascitur e pactis*, defensa e Ludovico Werndly, Hagano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 28 Junii. *Disputatio Historico-Politica, de Flumine Scaldi clauso*, cum laude defensa a Frederico van Hogendorp, Wijk aan Dunensi-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 29 Junii. *Specimen Juridicum, exhibens annotationem ad Titulum Institutionum de Publicis Judiciis*, defensum a Petro de Kok Reneman, Leovardia-Frisio, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 3 Julii. *Dissertatio Obstetricio-Practica, de nonnullis Partûs difficilioris causis dynamicis in corpore materno quaerendis*, cum laude defensa a Jacobo Moll, *juniori*, ex pago Blokzyl-Transisalano, pro Doctoratu Medicinae.

d. 18 Septembris. Dissertatio Medica, continens binas Observationes practicas, defensa in Auditorio Majori, a Leonardo Adriano Bruyn, Chirurgo et Obstetricatore in urbe Delfshaven, pro Doctoratu Medicinae.

Eodem die. *Dissertatio Juridica, de revocanda Donatione inter vivos*, cum laude defensa a Leonardo Slingeland, Schoonhoviensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

1827.

d. 21 Septembris. Specimen Academicum, exhibens Theonis Smyrnaei Arithmeticam, Bullialdi versione, lectionis diversitate et annotatione auctam, magnâ cum laude defensum in Auditorio Majori, a Jano Jacobo de Gelder, Hagano, pro Doctoratu Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum.

Eodem die. *Dissertatio Medica, de Gastritide*, defensa ab Herberto Jano Fortuyn, ex pago Giessendam, pro Doctoratu Medicinae.

d. 24 Septembris. *Dissertatio Juridica, de Separatione thori et mensae, ejusque cum divortio convenientia et discrimine, ex principiis Juris Hodierni*, cum laude defensa a Rudolpho Jordens, Daventriensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 13 Octobris. *Specimen Juridicum, de Concilio Familiae*, cum laude defensum a Carolo Frederico Adolpho van Drachstett, Elburgo-Gelro, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 16 Octobris. *Dissertatio Medica, de Amaurosi Functionali*, cum laude defensa ab Eduardo Stephens, Mancunio-Anglo, pro Doctoratu Medicinae.

d. 3 Novembris. *Dissertatio Medica, de Utero*, magnâ cum laude defensa ab Huberto Goemans, ex pago Dreischor-Zeelando, pro Doctoratu Medicinae.

d. 20 Novembris, *Specimen Juridicum, continens Quaestiones aliquot ex Jure Romano et Hodierno*, cum laude defensum ab Arnoldo Francisco Kronenberg, Daventriensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 14 Decembris. *Dissertatio Juridica, de Moderamine inculpatae tutelae*, defensa a Jano Davide van Lennep van Marselis, Amstelaedamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 14 Decembris. *Dissertatio Juridica, de Juribus Creditorum ratione rerum in eorum fraudem alienatarum, ex Juris Hodierni principiis*, cum laude defensa ab Henrico Francisco Arnold, Neomagensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 17 Decembris. *Dissertatio Juridica, de Probationibus*, cum laude defensa a Simone Cornelio van Appeltere, Gorinchemensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Specimen Juridicum, de Notario, et secundum Jus Gallicum, et secundum futurum Jus Belgicum*, cum laude defensum ab Adriano Quirino Kraijenhoff van de Leur, Steenbergensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 18 Decembris. *Dissertatio Juridica, de Potestatis Judiciariae limitibus, derivatis ex distinctione Jus publicum inter ac privatum*, cum laude defensa ab Henrico Antonio van Thye Hannes, Sylva-Ducensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Dissertatio Juridica, ad Juris Romani locum de Jure Deliberandi*, cum laude defensa a Jacobo Jano Ermerins, Zirizea-Zeelando, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Dissertatio Juridica, de Separatione Bonorum secundum Artic. 878 seqq. Codicis Napol.*, cum laude defensa a Petro Elias, Amstelaedamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 19 Decembris. *Dissertatio Medica, de Chlorio, Chlorureto Calcis et Chlorureto Sodae*, defensa a Ludovico Jano Sundorff, Amstelaedamensi, pro Doctoratu Medicinae.

d. 20 Decembris. *Dissertatio Juridica, continens observationes ad Titulum Introductionis generalis et ad Titulos tres priores Libri primi novi Codicis Belgici*, cum laude defensa a Gulielmo Andrea van Hogendorp, Amstelodamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

1827.

d. 21 Decembris. *Dissertatio Juridica, an Pacta contractibus stricti juris adjecta, insint iis ex parte Actoris*, defensa ab Hugone Adriano van Bleiswijk, Enchusa-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Dissertatio Juridica, de limitata Tutorum, in vendendis rebus Pupillorum, potestate*, defensa a Zywerto Diderico van der Bilt la Motthe, ex pago Cloetinga-Zeelando, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

1828.

d. 19 Januarii. *Disputatio Juridica, ad Titulum Digestorum: de Senatus Consulto Silaniano et Claudiano*, cum laude defensa ab Henrico Collot d'Escury, Hagano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 29 Januarii. *Specimen Juridicum, continens Quaestiones aliquot e Jure Romano et Hodierno*, defensum ab Aert van der Goes, Hagano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 2 Februarii. Dissertatio Juridica, de Navium Exercitoribus, magnâ cum laude defensa in Auditorio Majori, a Francisco Cornelio Donker Curtius, Dordraco-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Dissertatio Philosophico-Juridica, de Dominii Acquisitione ex Jure Naturae*, cum laude defensa a Gulielmo Gerardo Hovy, Amstelodamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 4 Februarii. *Disputatio Juridica, ad M. Tullii Ciceronis Orationem pro L. Cornelio Balbo*, magnâ cum laude defensa a Pe-

Petro Jacobo Elout, Hagano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

1828.

d 6 Februarii. Specimen Philosophico-Juridicum, de Asylorum origine, usu et abusu apud praecipuas gentes antiquas, cum laude defensum in Auditorio Majori, a Mordachaeo Binger, Wolffii Filio, Amstelaedamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

⁂

JUDICIA FACULTATUM DE CONSCRIPTIS HOC ANNO COMMENTATIONIBUS,

AB ACTUARIO PRAELECTA
D. VIII FEBRUARII MDCCCXXVIII.

I.

ORDINIS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

Ad quaestionem *Physicam* duas Commentationes accepit Facultas, quarum altera, lemmate:

Qui dubiis ausus committere fluctibus alnum,
Quas natura negat, praebuit arte vias. (CLAUD.)

distincta, serius allata est; altera, inscripta:

Sic navis —
Sive opus est velis; minimam bene currit ad auram,
Sive opus est remo; remige carpit iter etc. (OVID. *Trist.* L. I.)

Quamvis multa contineat bene recensita et notatu digna; nihil tamen eorum memorat, quibus haec pars disciplinae a quibusdam Physicis ante paucos annos ditata atque amplificata est; propter hanc igitur caussam noster Ordo et huic Dissertationi praemium decernere haud potuit.

Dissertatio *de Electricitatis effectu Chemico*, inscripta lemmate: *Rerum natura sacra sua non simul tradit* etc. SENECA *Quaest. Natur. VII. 31.* cum multa contineat, quae auctoris probent peritiam et diligentiam, eo magis dolendum est, eam festinantius esse conscriptam, certe tot vitiis laborare, ut praemio nequeat condecorari. Primum enim sermonis puritas plane neglecta est. Deinde vero multa memorantur a proposito aliena. In ipsa rerum expositione concinnitas et perspicuitas desiderantur. Argumenta neque selecta sunt, neque satis dijudicata. Fontes denique, auctores, libri, quibus ipse Dissertationis auctor fuit usus, vix rariusque indicantur.

Ad quaestionem *Botanico-Oeconomicam* duo responsa perlata sunt, quorum unum verbis: *Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria.* PHAEDR. distinctum, *de solano tuberoso* exponit, in magnum volumen excrevit, prioribus tamen partibus imperfectum est, neque latinitate commendatur.

Alterum lemmate insignitum: *Respublica nusquam tam florens, quam quae cives ad scientiarum naturalium culturam allicit*, de *Quercu Robore* agit: omnes quaestionis partes satis accurate tractat, ipsiusque auctoris observationibus et experimentis copiose illustratum et locupletatum est. Ergo huic praemium statuit Ordo.

Apertâ schedulâ patuit ejus Commentationis Auctorem esse VINCENTIUM JOSEPHUM DE ST. MOULIN, Philos. Natur. et Math. Candidatum in Academia Gandavensi.

Ad quaestiones e Mathesi et ex Astronomia propositas nemo se in certamen contulit.

II.

ORDINIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

Perlatis ad Facultatem duabus Commentationibus, quarum altera explicabat locum *de Animi naturâ*, altera describebat *Platonis Gorgiam*; de singulis deinceps instituta est deliberatio.

Priorem quod attinet, *de Animi naturâ*, quae hoc Symbolo munita erat: *In animi cognitione dubitare non possumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex*; omnium consensu visum est, magnam in eâ cerni diligentiam, eruditionem haud vulgarem et argumenti explicationem justam ac perspicuam, meritoque hujus disputationis auctori praemium tribui posse. Apertâ schedulâ nomen prodiit HENRICI GEHLE, Theol. Studiosi in hac Academia.

De altera Commentatione, quae *Platonis Gorgiam* persequitur, sic judicatum est, partem prosopographicam cum in ceteris non satis diligenter, hujus praecipue dialogi debita ratione elaboratam esse, tum in Socrate diffusam esse, nec cum praesenti proposito conjunctam: tum dialogi consilium non esse bene perspectum ab Auctore, qui Virorum doctorum disputationibus ac dissensionibus de hac quaestione justo majus tribuens momentum, non praestitit id, quod diligentissima et dialectica analysi assequi potuerat: postremo orationem neque correctam neque Latinam esse; quod unum, etiam in summis judicandi et doctrinae laudibus praemium Auctori negandum evinceret. Nihilominus laudanda videbatur industria et Platonis interpretandi facultas haud vulgaris, excitandusque Juvenis doctus ad studia eadem quantum fieri posset diligentissime retractanda et persequenda. Quare decrevit Facultas, invitare Auctorem Commentationis, quae hoc Symbolo munita erat: *Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae.* HORAT., ut copiam faciat sibi schedulae aperiundae, quo nomen ipsius justis laudibus posset celebrari.

III.

ORDINIS MEDICORUM.

Ad quaestionem praecedenti anno propositam nemo respondit.

IV.

ORDINIS JURECONSULTORUM.

Ordo Jureconsultorum duas accepit Commentationes ad propositam quaestionem: *Quid Jure Criminali, cum philosophico tum hodierno Belgico, praecipitur de puniendis factis, lege civitatis poenali vetitis, sed extra territorium ejus admissis?* Altera VALERII MAXIMI dicto erat notata: *Iniquum est, Quirites! cum inter alios vixerim, apud alios me rationem vitae reddere;* altera CICERONIS inscripta verbis: *In iis rebus,*

bus, quae discuntur; incitamenta insunt, quibus ad cognoscendum incitamur. Utraque scriptio multis nominibus Ordini placuit. In utrâque industriam, perspicuitatem et idoneam materiae distributionem Ordo laudat, ut tamen neutrius sententiam per omnia comprobasse censendus sit.

Prior Commentatio plures habet, quibus sese commendat, dotes, diligentem totius argumenti tractationem, justam disserendi rationem judicandique solertiam. Sed desideratur in ea principiorum, e quibus apta nexaque est altera pars quaestionis, accuratior inquisitio, constitutio, eorumque ex propria Juris Criminalis indole et ratione ducta confirmatio, praeterquam quod ejus scriptor ad aliorum auctoritatem et exemplum sese nimium videtur applicuisse. Tum vero deest Latinitatis commendatio. Ordo tamen ejus auctorem dignum judicavit, cujus nomen publice recitaretur cuique honorificum ejus rei testimonium daretur. Eum autem esse cognovit HENRICUM REIGER, Juris ac Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum in Academia Groningana Candidatum.

Posterior disputatio, ex ipsis Juris Publici fontibus altius repetita uberiusque pertractata, majorem doctrinae copiam et varietatem ac disquirendi probat industriam atque universe pleniorem continet, cum ipsius argumenti explicationem, tum et opinionum ab aliis propositarum expositionem. Quibus cum accedat Latini sermonis elegantia, dicendi genus aptum et concinnum, huic Dissertationi palmam tribuere non dubitavit Ordo. Resignata autem schedula nomen exiit DANIELIS TIEBOEL SIEGENBEEK, Juris ac Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum in Academia Lugduno-Batava Candidati; qui, instituto examine auctorem sese probavit adeoque victor est renunciatus.

V.

ORDINIS THEOLOGORUM.

Ad Facultatem Theologicam perlatae sunt tres Commentationes, quibus respondetur ad Quaestionem *de iis, quae ex Libris* JOANNIS CHRYSO-

SOSTOMI *de Sacerdotio*, AUGUSTINI *de doctrina Christiana et de catechizandis rudibus*, *et* AMBROSII *de officiis ministrorum Ecclesiae*, *etiamnunc in suos usus convertere possint doctrinae Christianae interpretes.* His autem singulis Commentationibus tot inerant diligentiae, peritiae et recti judicii documenta, ut earum quaeque, si sola Facultati oblata fuisset, praemio ornari potuisse videretur. Enimvero nunc accuratius perpensis et inter se collatis Commentationibus, illa, quae CHRYSOSTOMI dicto: οὐ γὰρ ὑπὲρ στρατηγίας οὐδὲ Βασιλείας ἡμῖν ὁ λόγος, ἀλλ' ὑπὲρ πράγματος ἀγγελικῆς ἀρετῆς δεομένου, tanquam lemmate, insignita erat, ceteris cedere visa est Latini sermonis puritate, atque in summa ceteroquin et valde laudanda brevitate tamen annotationibus abundare, quae si abessent, nemo facile desideraret; tum vero etiam nimium interdum subtilitatis prodere studium. In ea vero Commentatione, quae symbolum praeferebat: πρότος ἐστ' ὁ πείθων τοῦ λέγοντος, οὐ λόγος, licet nitore orationis excelleret, *et* quaedam omissa esse doluit Facultas, quae tamen ad eam facerent, *et* addita vicissim alia, quae cum argumento minus essent conjuncta, *et* vero quaedam alieno loco tractata: inprimis autem in auctore desideravit illam, quae juvenem tantopere decet in aliis judicandis aequitatem et modestiam. Quam e contrario laetabunde observavit in scriptore tertiae Commentationis, cui adscripta erant haec AMBROSII verba: *Quaerendum est in omni actu, quid personis, temporibus conveniat atque aetatibus, quid etiam singulorum ingenio sit accommodum.* Hic autem ab orationis etiam puritate et elegantia, nec minus a sobrietate in citandis aliis scriptoribus, etsi fortasse nimia, magnam habere visus est commendationem; commilitonibus eo etiam nomine praestans, quod *et* Prolegomena praemisit, quibus de tribus dictis Veteris Ecclesiae doctoribus probabiliter et ad rem praesentem accommodate disputaret, *et* singulis capitibus epicrisin addidit, quo melius usum eorum, quae Patres praeceperant, hodiernum ostenderet. Quocirca ultimae hujus Commentationis auctori praemium tribuendum, reliquarum vero merita publice quoque celebranda, decrevit Facultas. Itaque reseratâ, quae illi adjecta erat, schedulâ, nomen exiit: WERNERUS IMMINK, Philos. Theor., Lit. Hum. et Theologiae in hac Academia Candidatus. Invitati sunt ambo reliqui, ut et suum Facultati nomen indicarent;

quo:

quorum alter delitescere maluit (*), alter invitationi honeste respondens, se commentationis, CHRYSOSTOMI dictum habentis adscriptum, auctorem professus patuit esse DIDERICUS GULIELMUS DE ROO, Theologiae quoque in hac Academia Candidatus, honorifico Facultatis testimonio condecorandus. Uterque legitimo spectatus examine, se nihil sibi arrogasse non verum, Facultati luculentissime probavit.

(*) Facultatis desiderio, paucis diebus antequam Typographo traderetur hocce ejus Judicium, obtemperavit etiam auctor commentationis Symbolo Τρόπος ἐστ' ὁ πείθων κ. τ. λ. munitae, quem igitur, licet sero cognitum, publice jam commemorandum censuit Facultas. Est autem GERARDUS BAKKER, Theologiae Studiosus in Seminario Euangelico-Lutherano Amstelaedamensi.

PROGRAMMA

CERTAMINIS LITERARII

A

RECTORE ET SENATU ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE,

D. VIII. MENSIS FEBRUARII,

A. MDCCCXXVIII.

INDICTI.

Rector et Senatus Academiae Lugduno-Batavae ex Augustissimi Regis Edicto d. 2 mensis Augusti A. MDCCCXV. N°14, omnes Academiarum Belgicarum Cives, et Athenaeorum alumnos in annum sequentem ad certamen Literarium invitant et evocant, et propositas a singulis Ordinibus Academicis quaestiones promulgari jubent.

ORDO PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM in annum sequentem has ponit Quaestiones:

I. Ita explicentur diversae adsensus formae, quae dicuntur *Scientia*, *Fides*, *Opinio*, ut inquiratur primum in cujusque naturam, rationem et potestatem; deinde, quare certa collocanda sit stabilisque fiducia in Rationis humanae auctoritate; denique, quam late pateat haec Rationis auctoritas cum *constitutiva*, tum *normativa*?

II. Explicetur, quid sit in Fabulis M. ACCII PLAUTI, quod pertineat ad vitam Populi Romani cognoscendam.

Quaestio ab ORDINE MEDICORUM proposita:

Quaenam sanior est Humorum Pathologia nostris temporibus admittenda?

Cum ad hanc quaestionem nemo responderit, ipsa tamen et utilis, et hisce praesertim temporibus opportuna haberi possit, dignam eam censuit Medicorum Ordo, quae iterum proponatur.

ORDO JURE CONSULTORUM rogat, ut

Instituatur disputatio de HEINECCII meritis in restitutionem Legis Papiae Poppaeae et de novis Juris fontibus, quibus doctrina de hac amplissima Lege illustrari possit.

Quaestio THEOLOGORUM:

Quaeritur interpretatio effati Paulini Rom. VIII: 22: Πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν, ad quam accedat brevis et dilucida expositio totius orationis contextae, vs. 19—25.

ORDO DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM sequentes proponit Quaestiones:

E MATHESI.

Tuborum Opticorum exponatur Theoria Mathematica.

E PHYSICA.

Concinnè explicetur Historia Barometrorum atque Theoria Physica et Mathematica.

Ex

Ex ASTRONOMIA.

Quum observationum Astronomicarum fundamentum in accuratâ temporis notitiâ maximè sit positum; quaeritur, ut praecipuae methodi, quibus tempus exactè definiatur, perspicuè explicentur, et aptis exemplis, in primis vero observationibus, ab ipsis commentationum auctoribus institutis, illustrentur.

E CHEMIA.

Exponatur Historia naturalis et chemica Minerarum Ferri; dein ejusdem metalli excocti et ad usum parati genera et diversitates describantur.

Ex HISTORIA NATURALI.

Systematicè enumerentur species indigenae Reptilium ex Ordine *Batrachiorum*, additâ unius saltem speciei anatome et praesertim osteographiâ accuratâ, non ex aliorum scriptis desumtâ, sed ab ipsâ Naturâ petitâ.

Commentationes, Latinâ tantum oratione conficiendae, et aliâ, quam auctorum manu describendae, ante diem I Novembris hujus anni mittuntor ad Virum Clarissimum **GERARDUM WTTEWAALL**, Academiae Actuarium, ita ut nullis ab Academiae parte faciendis expensis detur locus. Lemmate autem omnes inscribendae, iisque adjungendae sunt Schedulae obsignatae, Auctorum nomina et pronomina integris Literis continentes, eodemque exteriore parte lemmate insignitae.

Universa vero concertationis ineundae, et dijudicandae ratio cognosci potest ex Edicto Regio, supra dicto, Art. 205—213.

GERARDI WTTEWAALL

ORATIO

DE

AGRICULTURA; SALUTIS PUBLICAE VERO FUNDAMENTO.

HABITA D. VIII FEBRUARII ANNI MDCCCXXVIII.

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM SOLEMNI
RITU DEPONERET.

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES VIRI PERILLUSTRES!

QUI JURIDICUNDO PRAEESTIS, VIRI GRAVISSIMI, INTEGERRIMI!

QUI CIVITATIS LEYDENSIS CURAM GERITIS, VIRI AMPLISSIMI!

QUARUMVIS DOCTRINARUM PROFESSORES, VIRI CELEBERRIMI, COLLEGAE CONJUNCTISSIMI!

LECTORES DOCTISSIMI!

ORACULORUM DIVINORUM INTERPRETES, VIRI PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES, VIRI CONSULTISSIMI, PERITISSIMI!

ORNATISSIMI ADOLESCENTES, SPES PARENTUM, PATRIAE, HUMANITATIS!

QUOTQUOT DENIQUE ADESTIS, CUJUSVIS LOCI, ORDINIS AC DIGNITATIS, AUDITORES HONORATISSIMI!

◆

Aut

Ante hosce quinque annos Oeconomiae ruralis docendae provinciam suscipiebam; Oratione patrio sermone habita, de »insigni hujus Disciplinae utilitate, dignissimae propterea, quae publica auctoritate adjuvaretur”.

Jam Rectoris Academiae munus deposituro, iterum mihi Orationis habendae adest necessitas.

Itaque nec a mea persona alienum, nec vestris auribus indignum existimavi, si iterum pauca de rei agrariae laude referam. Neminem enim fugit, quantum ad Patriae commoda et populorum commercia valeat illa scientia.

Omnium rerum, ait Cicero, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius.

Dicam igitur, quantum temporis spatium permittat, de

Agricultura, salutis publicae vero fundamento:

Jam mihi A. H. pro virium mediocritate imploranda esset vestra benevolentia, sed illam non imploro, ne de vestra benevolentia et humanitate dubitare videar.

Sine agricultura nullam nationem stare posse nemo nescit, sed habet eadem hanc quoque laudem, ut cum morum mansuetudine arctissimo vinculo sit conjuncta.

Saepius nec immerito dixerunt rei agrariae periti; ostende mihi spatium et coelum alicujus regionis, et doce incolarum humanitatem, ego agriculturam tibi describam.

Nulla interea est natio, quae sola posset vigere agricultura, mutuas praestare operas, docuit necessitas, non enim omnia possumus per nos ipsi agere, alius ad aliam rem est aptior sua natura et studio.

Idcirco in unaquaque bene fundata republica, tria communis commodi certissima inveniuntur subsidia, agricultura, opificia et mercatura, quae ut pari diligentia colantur, optabile est.

Horum trium subsidiorum ad fundandam rempublicam agricultura plurimum pollet; cum vero necessitate sese mutua tangant, hoc intelligi cupio, hanc meam orationem neque ad minuenda opificia, neque ad negligendam mercaturam pertinere.

Tria haec genera persaepe inter se pugnare videntur, ut enim sunt qui mercaturae rem rusticam anteponunt, sic reperiuntur multi quibus mercatura et splendidior et major videatur.

Testor frequentes hac de re deliberationes in summo reipublicae consilio, non tantum in Magna Britannia, Francia, sed etiam nostra in patria.

Saepe enim agricultores, agrorumque possessores, ut unum tantum exemplum proferam, optant, ut constituatur edictum, ne ab exteris nationibus invehatur frumentum, dum horum exspectationi mercatores iique qui mercaturae inprimis favent, se opponant.

Nonne etiam saepissime fabricatores urgent, ut v. c. exportatio lanae reddatur difficilior, dum e contrario in favorem liberae mercaturae agricultores vocem mittant?

Hae autem controversiae falso plerumque nituntur fundamento, nam si diligenter verum exquirere velimus, facillime nobis persuadebimus, tria illa salutis publicae subsidia inter se non pugnare, sed arcto nexu cohaerere, ita ut unum ruere non possit, quin cetera eodem labefactata motu concidant, quare, tametsi agricultura felicitatis communis verum mihi videatur fundamentum, nulla in favorem agriculturae beneficia, nulla opto privilegia; et quidni ita sentiam? universae utilitatis habeo rationem, non tantum agriculturae. Sic enim arbitror, Principem uni ordini civium non posse favere prae ceteris, sine magno incommodo civitatis. Haec autem paulo accuratius explicanda sunt.

Si quando ut agricultura juvetur, mercatura premitur, non tantum mercatura; sed ipsa agricultura laedatur, necesse est; libera enim mercatura, commerciorumque frequentia, uberiores agriculturae fruges requiruntur. Eodem modo, si ut opificiis lanificis et arti tinctoriae faveatur, exportatio lanae et rubiae impeditur, sive, ut coriarii adjuventur rudibus coriis et cortici quercus exportandis pergrande vectigal imponitur, non modo ingens detrimentum faciunt agricultores, verum etiam iis nocetur quibus vellemus prodesse, hi enim non adipiscuntur quae concupierunt, nam vix illarum rerum obtinuerunt copiam, et ex copia vilitatem, quum talibus mercibus, sive genus sive quantitas inspiciatur, minus copiosa et referta erunt fora.

Possem hic plura congerere, sed nihil opus in re tam clara et manifesta.

Ille igitur civium ordo, qui agriculturam exercet, firmamentum ceterorum ordinum recte dicitur, veruntamen agricultura et opificia et mercatura, animis et cogitatione nostra, non sunt secernenda, sed distinguenda, quod qui parum perspiciunt, parti civium consulunt, partem negligunt, qua re nihil perniciosius esse potest.

Verissime adeo statuerunt philosophi, dicentes eum cui ingenium adeo sit obtusum, ut unum tantum ordinem videre cupiat florentem, etiam, quamvis nolit, illum ipsum destruere ordinem, cui, partium studio ductus, soli studeat.

Facere itaque non possum, quin eam laudem rempublicam, quae fundamentis agriculturae constituta sit, ita ut opificia, quantum id fieri possit agricultura, et mercatura opificiis nitatur.

Ubi enim tria ista genera, quorum alterum alterius opem flagitat, amice conspirent, ibi demum salus publica incredibili modo amplificatur.

Frumento numquam egebunt cives, etenim in inopia aut annonae caritate libera mercatura frumentum advehet, neque unquam metus aderit ne flagelletur, mercatura enim omnes eas res quibus abundat respublica exportabit, easque quibus eget, inportabit.

In tam felici rerum statu nascitur et aliud commodum. Prosperitas enim populi, non modo una alteraque urbe sive regione circumscripta erit, sed cum universo populo communicata, aequabiliter dispergetur.

Tali modo tres illi quos nominavimus ordines sentient se aliorum ope indigere, unusquisque suas quidem res videbitur curare, nihilominus sibi invicem proderunt, commune augebunt commodum.

Haec A. H. tametsi perspicua arbitror, nonnullis tamen dubia videri possunt, quare historia videntur illustranda; brevitatis tamen causa pauca modo sunt attingenda.

Ponite vobis ante oculos Magnam Britanniam.

Ad quantum fortunae gloriaeque fastigium illa escendit natio! Quas vires ostendit! Superiori bello potentiam illius populi mirabamur, eo etiam tempore, quo Napoleon cunctas fere nationes in servitute tenebat, Reges imperio suo habebat subjectos; tantum enim, illa insula interno robore et consilio valuit, ut post pacem Ambianensem maximis classibus terrestribusque copiis, quamvis nostris maxime cum damno, bellum renovarit. At, quibus tandem gradibus Populus Britannus escendit ad tale fastigium? si meam hic liceat adferre sententiam, nullis aliis nisi privatorum industria atque diligentia, inprimis vero felici illa conjunctione, quam in Britannorum agricultura, artibus et mercatura perspicimus; nam sine hisce tribus adjumentis tantas res efficere non potuissent.

Britannorum mercaturam sine exemplo fere maximam silentio praeteribimus. Sed quibus illam fundamentis niti credamus? Nullis aliis nisi artibus; nam apparet, etiam me tacente, quanta in Britannia artium sit frequentia, quantique momenti illae esse debeant.

Hac autem de re ne quis dubitet, exstat oratio Liverpooli ante quatuor annos in Parliamento habita, qua in Oratione dicit, pretium rerum illarum quas vel agricultura vel artes in Britannia produxere a. 1823, et alio fuere exportatae, aestimari, quinquies et quadragies mille millibus librarum sterlingicarum.

Jam vero numerosae illae lateque patentes artes, quarum tanta est varietas, maxima ex parte ab agricultura pendent, saltem materiam qua in artibus utuntur, patrium solum praebet.

Aliquis fortasse dicet non omnem materiam qua indigent Britanni a patrio solo accipiunt. Est ita. Lanam enim illam ex qua nostra conficiuntur vestimenta e Germania et Hispania accipiunt; Bombycinum ex meridionalibus veniebat Europae regionibus; sed videte, quam verum sit quod diximus. Post multos conatus hocce tempore Britanni jam magnam Bombycini quantitatem ex Indiae Orientalis coloniis petunt, Europaeum parvi faciunt; et forsitan, brevi tempore, omnem illam lanam, qua adhuc indigent,

gent, Britannis suppeditabit Nova Hollandia, id quod eos videmus sperantes, Germanos timentes.

Crediderunt quidem multi Britannorum agriculturam tantae hominum multitudini non esse sufficientem. Hi autem mihi videntur non cogitasse, portus omnes Magnae Britanniae ab anno inde 1815 omnibus populis clausos fuisse, ita ut nullum frumentum adportare potuerint extranei.

Sed omittentes Magnam Britanniam, nos transferamus in Franciam.

Ludovico XIV regnante, Colbertus, Primus reipublicae Minister, mirum in modum, omnis generis artibus favebat, et tamen Francia non magna floruit felicitate. Ratio satis videtur perspicua. Francia enim carebat vero illo salutis populorum fundamento, neque agriculturam nervum esse reipublicae ducebant. Non me praeterit saeculum Ludovici XIV multos praebuisse viros gloria claros, sed neminem, qui de agricultura bene meruit.

Sed hic etiam aliae exstitere causae, cur non floruerit illud regnum. Nonne unicuique vestrum venit in mentem crudelissima illa vexatio, quae secuta est post abolitionem Edicti Nannetensis? qua nihil erat perniciosius Franciae, nihil exitiosius. Sed, etiamsi illud nefarium facinus non patratum fuisset, in tali regione, in qua persona Principis cum Republica miscetur, ita ut Rex Ludovicus diceret: Respublica, ego sum; tali in regione, ne imaginem quidem libertatis adfuisse facile apparet.

Videamus potius regnum Francicum nostri temporis.

Franci, quamquam etiam post pacem Trajectinam Britannis semper aut hostes aut aemuli, tamen, usque ad hunc diem, non potuerunt attingere illam prosperitatem, qua jam gaudent Britanni.

Hujus rei multas enumerare liceret rationes, in iis autem praecipuam duco illam, quod non satis curaverint agriculturam, sine qua populos nihil assequi posse contendimus.

Rei quidem agrariae praecepta, eaque optima, traduntur a doctis rerumque peritis, sed rei magnitudo usum quoque exercitationemque postulat.

Agri Francorum satis frumenti praebent ut incolae alantur, et si Gossypium excipiamus, teste Chaptalio, omnem suppeditant materiam, quae ad artes exercendas requiratur.

Hac in re Francia videtur similis Britanniae, si autem regnum cum regno comparare velimus, regno Francico Britannorum regnum anteponatis, necesse est. De quo breviter videndum.

Hic quidem statim attendamus, spatium trium Magnae Britanniae regnorum, dimidio minus esse quam aestimatur spatium Franciae; deinde, terras propter sterilitatem incultas in Britannia efficere tertiam, in Francia vero quintam tantum partem totius. Quam haec serviant commodis Franciae non est quod dicam, et tamen pretium omnium rerum quas Britannica suppeditat agricultura septimam partem excedit pretium in Francico regno cultarum. Merito hanc miramur differentiam; illa autem multo major est, si agricultorum spectemus lucrum, illud enim in Britannia duplo majus dicitur esse quam in Francia.

Roget fortasse quispiam, quid igitur est causae cur tantum hic videamus discrimen? Facile est responsum. In Britannia invenitur melior culturae ratio (systema in nostra arte dicitur), quae altero in regno vehementer desideratur.

Merito quidem in Flandria quae dicitur Francica laudatur agricultura; neque hoc est mirandum, sunt enim ab origine nostrae gentis, quos, ad agriculturam ipsa videtur finxisse natura. Caeteri vero Franci, qui tale domesticum haberent exemplum ad imitandum, tamen imitati non sunt.

Quae cum ita sint, existimemus necesse est, agriculturam apud Francos non satis valere, neque opificia neque mercaturam agriculturae unquam esse anteponenda.

Nulla Natio potest esse beatissima, cui prima spes non pendeat ex agricultura.

Aliud nobis exemplum suppeditabit Hispania.

Saeculo XVI censebatur Hispania inter eas regiones quae mercatura florebant. Panni Hispanici ex lana vel bombycino texti, magni aestimabantur. Fervebat agricultura; Vina Hispanica adeo excellebant ut ab omnibus laudarentur Nationibus. Una Hispania gloriabatur nobilissimorum equorum genere, sanguinis Arabici; Ovibus Merini generis, quae extra Hispaniam non habebantur.

Hispania erat regio, quae, sive spectares ubertatem agrorum, varietatem fructuum, magnitudinem pratorum sive multitudinem rerum exportatarum facile omnibus regionibus antecelleret.

His adde situm, quo montibus ac mari clauditur, et cogita possessionem Americae.

Quid, quaeso A. H. ad hanc felicitatem Reipublicae addi potuisset? Et, quomodo usi sunt Hispani?

Quanta illa omnia essent, non sentiebant.

Sana ratio non valebat, opinionem vulgi sequebantur et illi qui sapientes nominabantur.

Veritati aures clausae erant, lucem, quam afferebat mutata alibi religionis forma meliorque ejusdem constituta doctrina, quamque aliae gentes avide sequebantur, ab oculis et finibus tamquam pestem repellebant.

Quid dicam de America? In Americam venerunt cum magna calamitate et pernicie non solum illius regionis sed et Hispaniae ipsius; ut enim viderant aurum in illa regione inveniri, o cupiditatem inconsideratam! sic exarserunt in id, ut ipsos plane coecos, perfidos et crudeles sua reddiderit avaritia. Nulla satietas, quo plus biberant, hoc plus sitiebant. Crudelitatem omitto, omitto scelera honesto religionis nomine in infelices incolas patrata; sed hoc dico, tenebat illos opinio, si in possessione essent omnis auri argentique Americani, se ditissimam fore Nationem totius mundi, ex auro enim et argento fieri rerum pretium, nummos; non autem cogitabant pretiosa illa metalla, re ipsa tantum esse mercem, cujus pretium quantitate minueretur.

Quae cum ita essent, omnem pecuniam, quam in agricultura et opificiis collocatam habebant, in Americam conferebant, ibi melius collocari credentes; itaque pecora relinquebantur, agricultura deserebatur.

Quid plura commemorem? Illam opimam et fertilem Hispaniam, illum orbis terrae ocellum, ad iners otium et paupertatem devenisse, aliae gentes viderunt.

Quid Portugalia? Eadem ibi miseriarum causa, iidem effectus. Nec mirum. Agricultura, artes et mercatura necessario carebant nexu.

Portugali anno 1703 de mercatura foedus fecerunt cum Britannis; tametsi jam nulla res erat, quam magis optandam putarent Portugali, tamen spes eos fefellit, hoc enim foedus quid valeret, videbant Britanni, non Portugali falsa utilitatis specie decepti. Hocce enim foedere premebantur Portugalorum artes,

tes; premebatur agricultura; Britanni quippe omnes agriculturae fructus, operibus sua manu factis solvebant.

Sic regnum illud numquam florere potuit, ejusque auctoritas, in posterum magnopere est imminuta.

Ita Portugaliae regnum, non nomine, sed re ipsa, in conditionem Britannicae coloniae fuit redactum.

Multos jam, quorum eadem est ratio, praetereo populos; quos si commemorare vellem, tempus me citius quam oratio deficeret.

Sed de nostra nihil dicere republica, non possum.

Saeculo jam XIII, ne ad antiquiora vos revocem tempora, in nostra patria florebat agricultura, rei agrariae etenim iisdem temporibus peritissimos fuisse majores nostros accepimus.

Eodem tempore florebant etiam complures artes, praesertim in Flandria et Hollandia, quo in genere erat praecipua vestium linearum confectio.

Mercatura quoque pullulare incipiebat, maritimis enim rebus, prout tunc erant tempora, permultum jam valebant nostrates, satis late maria tenebant.

Est operae pretium diligentiam atque industriam illorum recordari, nam etiamsi historia illius temporis jaceret in tenebris, et annales populi Batavi tacerent, alia tamen monumenta vetustatis loquerentur. Propugnacula enim contra vim fluminum et Oceani erecta, jam eo tempore florentem testantur agriculturam. Et scimus, Florentio quarto ejus nominis Comite Hollandiae regnante, molem illam ab Ameronga usque ad Schoonhoviam Rheno sive Leccae fuisse oppositam, ut arva in Trajectina non solum regione, praesertim vero in Hollandia ab aquarum defenderentur injuria. Quid? Nonne eodem fere tempore Guillelmus Rex emissarium aquae derivandae arcendaeque causa Sparendamii struxisset, nisi, qui curandis aggeribus praeerant; Dykgravius et Heemradii prohibuissent?

Ex his operibus, quae construere nos docuit ipsa necessitas, perspicuum est, quae commoda et utilitates ex agricultura hisce jam temporibus redundaverint.

Illa progressio, quam jam eo tempore proavi fecerant in agricultura, cujusque rei in contemplanda Patriae historia nimis saepe obliviscimur, plurimum contulit, ut Belgium et olim et posterioribus temporibus adeo floruerit, ceterisque antecelluerit nationibus, nam etiamsi sequentibus saeculis nondum in eam adducti essent opinionem, agriculturam salutis publicae verum esse fundamentum, sed potius crederent illud in artibus vel mercatura esse ponendum, hoc nostrae nationi minus nocebat, quae agriculturae adeo jam diligenter studeret, ut illa facillime artibus potuerit succurrere, cum vicissim artes agriculturae faverent.

Batavorum magna semper erat in agricultura industria et sollertia, opesque nonnullorum agricolarum, praesertim in Aquilonari Hollandiae parte, saeculo XVI immensae vel Principibus invidiosae, ita ut, Hugone Grotio teste, vicinas undique gentes ad spectaculum exciverint.

Non miramur itaque, saeculis XV, XVI, nobilitatum populi Belgici fuisse nomen.

Jam vero A. H. in republica gravissimae aliunde procellae et tempestates oriebantur, quae nec evitari poterant, et toti patriae interitum minitabantur.

In extrema illa fortuna, cumque multa millia civium hinc exsulatum abibant, Majores nostri fortissimi, sapientissimi, gravissimique, justo ac legitime imperanti, non tyranno parere cupientes, mortem servituti turpitudinique anteponebant, itaque Guillelmo I. et Mauritio Ducibus, Hispanorum, omnia jura, divina atque humana pervertentium vinculis se expediverunt, et non minus ingenii pollentes viribus, quam animi, rempublicam, praeclare, ut illis temporibus, fundatam nobis reliquerunt.

Nunquam meliorem causam secuta est praeclarior victoria.

Jam procedere incipiebat saeculum XVII, insigne illud, omnique memoria dignum, ob ingentem non tantum pecuniam, quam comparabant hujus regionis incolae, sed praecipue viris illustribus, quibus merito gloriabatur respublica, tam parva.

Novimus, novimus A. H. et grata memoria colimus Batavos qui in curia, in legationibus, in Academiis, rerum divinarum humanarumque scientia, qui artibus atque inventis, sine exemplo, eluxerunt, quorum virorum tanta fuit multitudo, ut ipsa me copia a nominando deterreat.

Mari res magnae gerebantur, validae enim classes aedificatae ornataeque quibus nobilissimi Duces praeerant. Qui quantum virtute et consilio valerent, senserunt Hispani, Sueci, Franci, Britanni.

Jam celebrantur multae civitates Hollandiae artium frequentia eo tempopore caput extollentes; neminem enim fugit hominum in iis habitantium copia; ne jam Harlemum, Delphos, Goudam, Hornam aliasque enumeremus, nam permultae hic nobis veniunt in mentem, civitas nostra Leydensis minimum octoginta millia civium numerabat. Ingens lanificiorum erat numerus, pannique texebantur tam varii generis, coloris et formae, ut omnes enumerare, nedum Romano sermone, sit difficillimum.

Harum civitatum eo lubentius feci mentionem, ne quis temere cum iis erret, qui judicant, non tam opificiorum, quam mercaturae curam habuisse Majores.

Quid porro re piscatoria erat celebrius? Incredibile fere quanta Hollandorum pars viveret hoc quaestu et artibus ad eum quaestum necessariis.

Hisce artibus, hisce opificiis, quae lucra inusitata civibus dabant, ut et coloniis Indicis, opum proventu nobilissimis, nitebatur mercatura.

Ad hujus mercaturae celebrationem Hugo Grotius ingenue fatetur, stupere ingenii sui imbecillitatem, et si quando alias, hic certe se necesse habere conqueri de infantia sua.

Ac ne quis putet hoc dictum Grotio excivisse imprudenti. Nunquam enim antea fuerat natio, quae tantum habuit navium quantum una Amstelodamensis civitas; multa praeterea erant oppida, quae, subducta navium parvarum quoque ratione, non plures domos ostendere poterant.

Haec late patens mercatura quotannis adhuc adcrescebat. Batavorum navalia signa conspiciebantur non tantum in ultimis terrarum oris, sed etiam barbarae gentes eadem venerabantur; ubi enim erat locus, quo non exstarent majorum impressa vestigia?

Tales fuere antiqui Batavi!

Ad nos A. H. ad nos, eodem genere prognatos pertinet illius gloriae hereditas, inanis autem gloriae cogitatio, et non hereditas dicenda sed onus, nisi et factorum imitatio nobis cordi sit, eamque gloriam tueri et conservare conemur. Nulla enim res nobis magis providenda, ne a gravitate Majorum degenerasse dicamur.

Praestantissimam igitur ea aetate fuisse Rem Batavam satis constat.

Utinam haec omnia diuturna esse potuissent! Quamdiu enim florebant artes, Respublica navis erat instar, secundis ventis cursum tenentis, auctoritas enim Batavorum apud exteras gentes gravis habebatur.

Hic autem perspicimus rerum humanarum imbecillitatem varietatemque fortunae. Quid enim est in rerum natura, quod non aliquando summum gloriae fastigium attingat; sunt enim limites, ultra quos progredi nemini licuit.

Exterae nationes prosperitatem, gloriam, auctoritatem, omnium denique rerum affluentiam Batavorum videntes, earundem artium studio inflammabantur.

Initio hae nationes quidem illarum artium erant rudes, deinde vero exercitatiores, et ex illo tempore, sensim, nostrarum minuerunt artium gloriam.

Haec non fugiebant Ordines, qui eo tempore his regionibus praeerant, quamquam dubito, an remedia, quibus isti malo succurrere vellent, fuerint aptissima.

Credebant, neque injuria, bonam mercem semper invenire emptorem.

Hanc ob causam leges, quas collegia opificum statuerant, magis magisque observari cupiebant, easque tuebantur.

Optima erat Ordinum voluntas. Quis enim dubitet? Sed mihi videntur paullo longius quam natura vellet, processisse. Hisce enim ipsis legibus fabricatorum diligentiae frena fuisse injecta, impeditamque eorum industriam, nemo inficias ibit.

Non A. H. is ego sum, qui illorum virorum qui Reipublicae illis temporibus praeerant aut gravitatem aut fidem accusem: sed neque istorum temporum gloriaeque Majorum tam pertinaces sumus admiratores, ut probemus etiam leges parum ratione fultas.

Oeconomia politica, Jurisprudentiae discipula docet, nihil ab industria magis esse alienum, quam leges, quae industriam intra certos eosque angustos fines coerceant.

Hanc opificiorum deflorescentium conditionem, qua de re frequentes ejus temporis exstant quaerelae, quaeque nocebat agriculturae, dolebant cives, dolebant statum minus florentem illarum civitatum, quibus artes olim erant ornamento. Sed in late patenti mercatura quaerebant et inveniebant aliquod solatium. Ex eo enim tempore certum est crevisse adhuc commercia. Itaque post paucos annos, timide hoc dico, sed tamen est dicendum, inveteraverat jam opinio, sed falso recepta praejudicio, artes et agriculturam minoris esse momenti, ubi adesset mercatura.

Hanc forsitan non tam hominum quam temporis opinionem non sequebantur ii qui acutius videbant, hi enim gloriam illam, quam eo tempore adportabat mercatura, fallacem esse arbitrabantur.

Re vera mercatura magnam habebat amplitudinem, pedetentim vero aliam inibat viam et rationem, et illa, quae antea artibus nisa, fuerat, ut dicitur, activa, sensim, magis magisque fiebat passiva. Neque amplius, ut florentibus opificiis, aliis nostras, sed peregrinorum advehebamus merces.

Tempora quae consecuta sunt omnem nostram Rempublicam et simul cum ea illam mercaturam perdiderunt, verum, etiamsi illa tempora non fuissent consecuta, tamen, quantum mea fert opinio, illa mercatura diu stare non potuisset, nam aliis nationibus itidem mercaturae faventibus, quotannis plures invenissemus aemulos, et nostra mercatura vero fundamento, artibus scilicet carens, sensim et ipsa ad nihilum fere recidisset.

Interea tranquilla adhuc erant tempora, resque secundae, sed magna civitati impendebat calamitas.

Memoriam tenemus illius temporis, quo et nomen nostrae Reipublicae nullum erat omnino, e complexu parentum abreptos videbamus filios, sermo patrius et ubertate et utilitate incomparabilis, quo maxime adhuc conjungebamur, paene occiderat, quum ne verbis quidem aliquid vituperare liceret. Dolor ad omnes pertinebat, ad incertum enim revocata erant bona, fortunae, possessiones omnium. Omnia invertebantur, Franci aspernabantur nostrum sermonem, nostros mores, nostram regiminis, juris dicundi, Academiarumque formam, aspernabantur omnia Majorum instituta, solummodo, nostram non aspernabantur pecuniam; quo enim locupletiores dicebamur Batavi, hoc se magis avaros ostendebant Franci.

In tam foeda tempestate, tantoque rerum discrimine necessitati erat parendum, a quibus enim auxilium peteremus? Tandem vero, quod praeter spem fere accidebat, illucescebat laetus ille dies, quo respirabamus, cujusque diei numquam obliviscemur. Cara nostra, sed eversa atque afflicta patria, nobis restituta, et iterum, sed arctiore nexu cum caeteris Belgii regionibus conjuncta, revixit, obtinuitque regiminis formam non infelicem, praesertim vero Regem, quem, sine adulatione, Batavo indigna, laudamus, diligimus, veneramur.

Ne autem longius aberret oratio, praesentem hujus Reipublicae statum consideremus.

Haec cognitio, quam, pro amore quo Rempublicam prosequimur, semper necessariam ducimus, nostro inprimis tempore, placidis et auctis rebus, ne quid inconsiderate negligenterque agamus, magni est momenti, etenim post constitutam pacem hic et ubique terrarum omnia sunt mutata.

Post bellum 25 annorum, quo omnes nationes fuere implicitae, nostrae, quas habebamus, mercatoriae necessitudines interciderunt. Divites habebamus colonias in Asia, Africa atque America, quae jam sunt in aliorum potestate, in iis Bonae Spei Promontorium et Taprobanem cinnanomi proventu celebratam, sed quamvis hae coloniae etiam hodie nostrae essent, tamen tempus 25 annorum longius fuit intervallum, quam ut omnes gentes non mores consuetudinesque mutassent.

Cum ista morum mutatione agricultura, artes et mercatura quoque mutatae sunt.

Maxime erat optandum, ut haec cogitassent nostrates. Tempore enim restitutae libertatis hoc suspicabatur nemo. Unusquisque credebat se rectam tenere viam, si eadem, qua antea consueverat, iret semita, nec dubitabat quin necessitudines mercatorias facile instauraret. Falso. Non eadem erant tempora.

Ut igitur perverse ille ageret, qui omnia ad pristinam redigere vellet rationem, eodem modo nos frustra optaremus pristinam recuperare mercaturam.

Haec res serio iudicauda est, nihil enim nos attinet sequi quod assequi nequeamus. — Quod semel fuit, numquam redit.

Nostrae jam Reipublicae statum contemplantes, non adeo expendere oportet, quid actum sit a majoribus, quam ad quas res nos apti simus, quidque in iis valeamus.

Jam vero, nisi me omnia fallant, hodiernus status populi Belgici, Guilielmo I regnante, mihi videtur felicior quam, paulo ante haec durissima tempora, nostra fuerit Respublica.

Objicietur mihi fortasse ipse ille mercaturae interitus.

Mercaturam illam, qua ante paucos etiam annos laetabamur, cujusque desiderio adhuc tenemur, nobis ipso rerum cursu periisse, non est quod ne-

negem. In hac vero causa nihil video quod laboremus, quid enim est quod animum nostrum aut frangeret aut debilitaret? Primum, illa ipsa toties laudata mercatura, posterioribus reipublicae temporibus, de quibus jam loquimur, majoris momenti videbatur, quam re vera erat. Ut enim supra dixi, eramus vectores alienarum mercium, incertamque adeo faciebamus mercaturam, cum Britannorum itaque et pristina nostra illa mercatura non comparandam. Deinde, nonne Providentia divina, quae totum administrat mundum, unicuique Nationi alia atque alia industriae dedit subsidia et facultates? An crederemus itaque solam nostram patriam hisce adjumentis fore destitutam? Minime vero. Nam ut prioribus Reipublicae temporibus nostra spes in mercatura fuit posita, sic, mea quidem sententia, nunc eadem spes in agricultura inprimis erit ponenda.

Olim ante omnes mercatura excellebamus, hodie ceteris praestamus agricultura.

Si oculos conjiciamus tantum in eas Reipublicae partes, quae in septentrionem vergunt, nulla mihi videtur natio, quae usque ad hunc diem agriculturae gloria inclaruit, cui, quamquam oceani accolae, et coeli mitioris expertes, in hoc genere non simus pares.

Si vero et meridionales hujus regni cernamus partes, omnes exterae nationes nos, ut antea in artibus et mercatura, jam in agricultura facile principes agnoscunt.

Quid dicam de artibus? aut quid earum enumerem multitudinem? Gandavum et Harlemum ostenderunt, quid rursum possimus. Plus quam mille incolae quinque millia variarum rerum manu factarum Harlemi civium et peregrinorum admirationi exposuere.

De piscatione et mercatura, quamquam hodie illam non habeant amplitudinem, quam ante hos triginta annos, earum tamen adhuc curam gerimus, neque iis omnino caremus, neque nos arcet loci situs. Mercatura praeterea opificiis et agricultura nitens poterit aliquando esse, ut eam optamus, activa.

Huc accedit incolarum numerus, qui antea erat vicies centena millia, hodie sexagies centena millia, quorum sexta tantum pars nostra nondum utuntur lingua.

Ingratum esset hoc loco praeterire libertatem qua gaudemus, pro qua ma-

majores nostri molem gravissimi belli per octoginta annos sustinuerunt. Censebant demoliendos potius esse aggeres et demigrandum alio, quam habitandum in ea regione, in qua interitum libertati allatum viderent.

Per breve temporis spatium illam non imminutam sed plane amissam libertatem deplorabamus. Quid vero habuerit voluptatis carendo intelleximus.

Quid igitur nobis optandum restaret?

Nihil aliud, nisi ut omne quod industriae sit impedimento tollatur; idque sperare licet, Industria enim pluris aestimatur quam felicissimus ager in felicissimo situs coelo.

Quae cum ita sint, non modo aequitatis, sed etiam communis utilitatis causa, in favorem agriculturae, nulla praemia, nulla beneficia, nullas imploramus exceptiones; altera enim industria alteram parit.

Sequamur igitur exemplum Majorum, enitamur ne aut industria nostra aut diligentia desideretur, et nostra laus tenuis atque obscura non erit.

Atque haec erant, quae nunc in medium proponere constitueram, ut appareret, quare putarem, agriculturam felicitatis publicae verum esse habendum fundamentum.

Restat ut de rebus Academiae nonnulla dicam.

Duos optimae spei juvenes, quos sincere lugemus; mors acerba nobis abripuit.

Ex virorum clarissimorum ordine desideratur senex venerandus Eduardus Hagemannus.

Natus erat Amstaelodami die 20 Novembris anni 1749. Patre Cornelio Hagemanno Medicinae Doctore.

Studiis feliciter peractis et publice defensa Dissertatione inaugurali in hac Academia Juris utriusque Doctor creatus est.

Quadriennio post Jurisprudentiam Professor docuit in Academia Duisburgensi, cui muneri egregie praefuit usque ad annum 1796, eo enim tempore ad Academiam Harderovicenam, eodemque anno in hanc Academiam Juris Publici et Privati Professor vocatus est.

Docebat Statisticam et Historiam Europae Diplomaticam. Hanc sibi demantam provinciam praeclare administravit, donec senectus clarissimi viri studia retardaret.

Pervenerat ad annum aetatis septuagesimum octavum quum e vita ereptus est, nobisque sui desiderium reliquit, propter insignem doctrinam, moresque placidos et amabiles.

Ex amplissimorum Quinquevirorum ordine quibus Academiae demandata est cura neminem desiderari, omnes laetamur. Laetemur diu!

Tibi clarissime van Voorst! otium quo Tibi jam frui licet ex animo gratulor.

Ex varia tua accurataque doctrina magnam gloriam accessisse nostrae Academiae fatemur omnes.

Senectutis incommodis liberatus, vivas etiam diu precor!

Tibi clarissime van Hengel! Theologorum in hac Academia ordini adscripto gratulor munus.

Servet te diu Deus incolumem, in utilitatem tuorum, in Academiae litterarumque commodum, quas adeo egregie ornas!

Gaudemus etiam Professoris ordinarii honorem in Te collatum esse, clarissime Kist!

Faxit Deus, ut omnia Tibi ex votis cedant!

Professorum numero honoris causa accessisse Jacobum Geelium, laetamur, qui doctrinae suae et diligentiae hunc fructum merito suo consecutus est. Tibi itaque peritissime Geeli! ex animo hunc gratulor honorem, Tibi res gerendae cedant feliciter!

Inusitato gaudemus civium Academicorum numero. In iis juvenes doctrina et industria egregii, qui Academiae Leydensis famam et alibi sustinuerunt.

Praestantissimi juvenes De Vriese, Feisser et Ter Haar in Academia Groningana, Domela Nieuwenhuis in Academia Lovaniensi in certamine Litterario Victores fuerunt.

Bibliothecae Academicae, Horto Botanico, singulisque Museis multa accesserunt doctrinae et studiorum Academicorum adjumenta.

Etiam studio linguarum orientalium bene consultum est. Nam qui adhuc desideramus copiam et bonitatem literarum Arabicarum ad usus typographicos, brevi, per regiam liberalitatem, non modo Arabicas, verum etiam Sanscriticas nobis sufficientes habebimus.

Museum antiquarium tantis divitiis hoc anno locupletatum est, ut novum, sed temporarium aedificium operis lignei, Curatores amplissimi lubenter extruendum curaverint. Crevit enim Museum monumentis non tantum Indicis sed et Punicis, Aegyptiacis, Etruscis.

Jamque superest ultimus hujus solemnis diei actus, isque jucundissimus, praemiorum nimirum, distributio.

Recitanda sunt nomina illorum juvenum qui in certamine litterario praemia obtinuerunt.

Te vir clarissime qui senatus ab actis es, rogo, ut judicia Facultatum praelegas; Vos vero praestantissimi juvenes ut singuli, suo audito nomine, huc accedatis.

Ex animo Tibi gratulor hunc honorem ornatissime *St. Moulin!*

En accipe numum promeritum! Victor abi!

En nobilissime *Gehle*, justam laboris et industriae mercedem!

Ita quo cepisti, pergito pede!

Optimum, praestantissime *Siegenbeek*, dedisti responsum! Iterum Palmam meruisti.

En praemium tuo labore partum!

Te, ornatissime *Reiger!* Ordo Jureconsulorum dignum censuit cui hocce diploma publice traderetur.

Sit tibi aditus ad alios honores!

Ornatissime *Immink!* Tibi de victoria quam reportasti ex animo gratulor. — Accipe numum aureum, pergas ut instituisti!

Tuam etiam laudamus diligentiam nobilissime *De. Roo!* Ecce diploma, quod Facultas Theologica tibi offert in signum honoris.

Sic igitur Rectoris Academiae munere, pro viribus perfunctus sum.

Tibi fasces trado, clarissime Collega Bake! qui ex Regis decreto mihi designatus es successor.

Quod dum laetus et lubens facio, opto, ut te Rectore floreat Academia, tuusque tibi annus felix et faustus sit.

WESSELI ALBERTI VAN HENGEL

ORATIO

DE

GRAMMATICA LITTERARUM SACRARUM
INTERPRETATIONE.

HABITA D. XXII SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXXVII.

QUUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA ORDINARIAM THEOLOGIAE PROFESSIONEM PUBLICE SUSCIPERET.

PERILLUSTRES HUJUS ACADEMIAE CURATORES!

MAGNIFICE RECTOR!

QUI JURI DICUNDO, AUT CIVITATIS LEYDENSIS COMMODIS CURANDIS PRAEESTIS, QUIQUE UTRIQUE COLLEGIO AB ACTIS ESTIS, VIRI AMPLISSIMI!

QUARUMVIS DOCTRINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

LECTORES ERUDITISSIMI!

ORACULORUM DIVINORUM INTERPRETES, PLURIMUM VENERANDI!

QUARUMCUNQUE ARTIUM AC DISCIPLINARUM DOCTORES PERITISSIMI!

STUDIOSAE JUVENTUTIS CORONA, SPES PATRIAE, PARENTUM DECUS, NOSTER AMOR ATQUE DELICIAE!

QUOTQUOT DENIQUE ADESTIS, CUJUSVIS LOCI ATQUE ORDINIS, CIVES, HOSPITES, AUDITORES HUMANISSIMI!

Quod

Quod haud dubie homines, nec sine gravi causâ, in rebus habent maxime optabilibus, nunc mihi singulari fortunae, vel potius Dei O. M. favore, obtigisse, jucundissima mihi cogitatio est. In cathedram escendi, quam a longo jam tempore claritate suâ illustrem celebremque fecerunt doctissimi hac in civitate viri. Capessenda est illa Theologiae hac in Academiâ docendae provincia, cujus ad splendorem ac dignitatem decessoris mei nomine insignis accedit commendatio. Pro concione dicere incepi, quâ equidem haud scio, an apud populos, litterarum luce excultos, nulla, aut doctrinae copiâ abundantior, aut ad elegantiam instructior et ornatior esse possit. Sed, ut haec magna et praeclara sunt; ita pondere eorum, et nunc me vehementer opprimi sentio, et antea scrupulum non mediocrem mihi injectum esse recordor. Quem quo melius deponerem ex animo, orationis circumspexi argumentum, quod si ad vestram gravitatem levius esse censeretur, meae certe tenuitati accommodatum, neque hoc tamen loco meo prorsus indignum esset. Tale vero utrum reperire mihi contigerit, vobis relinquendum est judicibus: quorum ad aequitatem et humanitatem confugio, atque indulgentiam, si quid peccaverim, imploro. *De Grammaticâ* autem dicam *Litterarum Sacrarum interpretatione:* et ita quidem, ut alterâ orationis parte describatur ejus natura et indoles; in alterâ ejus cum utilitas, tum voluptas ostendatur.

I. Grammaticam Litterarum Sacrarum interpretationem describere volens, antiquiora deinceps ac recentiora tempora perlustravi animo, ut vobis, viri alicujus bene meriti memoriâ recolendâ, expressam quandam hujus rei imaginem proponerem. Et nemo sane vestrum celeberrima ignorat nomina ORIGENIS, THEODORETI, ISIDORI *Pelusiotae*, et IOANNIS imprimis *Chrysostomi.* Sed his omnibus tamen palmam eripuisse videtur THEODORUS *Mopsuestenus:* cujus igitur scripta ex paucis tantum eorum e fragmentis, in lucem editis, vulgo cognita esse; maximam vero partem in Bibliothecarum umbris adhuc latere vel prorsus interiisse, summopere dolendum est. In Ecclesia, quam vocant, Latinâ prae ceteris operae pretium fecerunt HIERONYMUS, PELAGIUS, AUGUSTINUS, et qui hominum invidiâ oblivioni fere traditus est, JULIANUS *Eclanensis.* Quid vero moror in commemorandis et praedicandis, qui instaurationis Sacrorum tempora praecesserunt? Quantum enim inter solis et stellarum splendorem interesse novimus; tantum ZWINGLIUS, LUTHERUS, CALVINUS, et viri principes horum similes Litterarum Sacrarum interpretatione vetustioris aetatis homines antecelluerunt: ut, si quis utrosque eâdem recensione comprehendere ausit, manes eorum mihi ex sepulchrorum monumentis indignabundi prodituri videantur. Recentiore autem memoriâ, postquam, et ERNESTIUS praeclara illa ediderat scripta, quae hoc de loco jure meritoque laudavit VOORSTIUS, et alii viri doctissimi, tum ad Veteris, tum ad Novi Testamenti libros illustrandos diligentiam haud vulgarem adhibere inceperant, Litterarum Sacrarum interpretatio ex tenebris, in quas denuo inciderat, erepta, et ad lucem et nitorem perducta est, quae his diebus gratulamur. Sed hoc in negotio deinceps procedere, quid aliud, quaeso, est, quam viam persequi, quâ vir immortalis, HUGO GROTIUS, quid fere sine praeceptorum ope ingenium praestare posset, ad interpretationem natum et conformatum, egregio jam docuit exemplo?

Verumtamen, ut in rebus humanis nihil est, quod non aliquo laboret vitio; sic nullum Grammatici Literarum Sacrarum interpretis nobis ad imitandum datur exemplar, quod perfectum sit, omnibusque numeris absolutum. Quamobrem, si scire volumus, quaenam hac interpretatione contineantur; non satis est viros eâ conspicuos intueri, sed capita ejus sigillatim recensenda atque exponenda sunt.

Grammaticae notio nunc amplior est, nunc restrictior. Nos notionem sumimus, quâ patet latissime, et Grammaticam dicimus disciplinam leges tradentem, a quibus linguae, sive adhuc tritae, seu jam obsoletae, pendeant. Unde sequitur, Grammaticam alicujus scriptoris interpretationem esse, quae ad hanc eandem normam ita dirigatur, ut ille nec plura dicens inducatur nec pauciora, quam, secundum leges orationi positas, ipsius ferant verba. Quod monentes, non Mathematicorum more loquimur, qui omnia tam certo definire solent, ut contradictioni locus praeripiatur. Immo ingenue fatemur, haud raro deprehendi orationem, cujus tanta aut ambiguitas sit aut obscuritas, ut ad eam amovendam nulla legum valeat observatio. Atque hinc enatum est proverbium, verborum quemque suorum optimum esse interpretem. Sed quis ideo omnia in interpretando fluxa et lubrica esse contendat? Quis Grammaticae, quoniam nonnulla sunt, quae dirimere nequeat, laudem negaverit ostendendi, quomodo vulgo mentes hominum intelligendae et exponendae sint? Quis denique nobis non assentiri debet, leges, quibus illa adstringat interpretem, non virorum doctorum arbitrio conditas, sed ex mentis humanae, semper et ubique sibi constantis, naturâ petitas esse?

Jam vero Litterarum Sacrarum, aeque atque omnium aliorum librorum, interpretationem his Grammaticae legibus subjectam esse arbitramur. Neque illae Veteris tantum, sed etiam Novi Testamenti interpretibus constitutae sunt. Quod enim ait AUGUSTINUS: haec scripta ab hominibus Grammaticae imperitis edita esse, audacius dici apparet, simul atque ea inspiciuntur et pervolvuntur. In Orientali autem colore, Graecae eorum orationi indito, nihil aliud cernitur, quam antiquissimum dicendi genus, quod apud populos ex Oriente in Europam profectos paulatim obsolevit; ab iis vero, qui ibi remanebant, una cum prisco sentiendi et vivendi more ad posteritatem propagatum, et a Judaeis tandem ex patrio sermone in peregrinos translatum est. Et si vel haec partium diversarum concretio auribus mollioribus ac delicatioribus fastidio est; non adeo tamen permixta et confusa sunt omnia, ut, aut variarum linguarum proprietates agnosci nequeant, aut horum scriptorum interpretibus legum, quas observent, desiderium relinquatur. Quid plura? Recentiore memoriâ viri docti Grammaticam librorum Novi Testamenti condere aggressi sunt: quod opus, laudabiliter inceptum, quanto magis ad perfectionem producitur, tanto certiorem viam eorum interpretationi munitum iri confidimus.

Quae cum ita sint; agite, A. A., interpretis tanquam officinam mecum in-

intrate, eumque ad Grammaticae regulas spectate Litteris Sacris operantem! Certum igitur locum, cujus sensum, et bene intelligat, et perspicue exponat, sibi lustrandum sumit. Incipit ab indagandâ singulorum verborum notione, quae eorum quidem nititur origine, neque hinc tamen semper cognoscitur. Hac repertâ inquirit, quid sibi voluerit auctor, cum verba componeret. Denique, duabus pluribusve sententiis perspectis, universae Orationis seriem persequitur. Ad nullam autem aliam trutinam verborum vim exigit, quam ad loquendi usum. Sed ecce! postquam hoc inceptum semel, bis, saepiusve ipsi ex voto successit, in loca incidit, ubi loquendi usus, vel plane incognitus est, vel valde dubius: ita ut, ad mentem Scriptoris Sacri ponderandam, ne illa quidem trutina sufficiat. Nunc interpretem ad alia tentanda urget opus. Orationem igitur contextam consulit. Totius libri, epistolae, vel carminis perscrutatur consilium. Locorum similium comparatione utitur. Dicendi genus investigat, quod scriptori suo proprium est. Veteres excitat Lexicographos et Grammaticos, qui, quomodo verba olim accepta sint, testentur. Quorum testimoniis recentiorum hominum judicia adjungit: quo doctiores illi sunt, eo pluris haec faciens. Nec satis sibi habet reperisse, quis sensus orationi inesse possit; sed quis sensus ei tribui debeat, hoc maxime scire studet. Sensum autem bene intelligens aptissima continuo quaerit verba, quibus eum cum auditoribus vel lectoribus communicet: et ita quidem, ut orationem in sermonem, sive vernaculum, seu alium quemlibet ad litteram convertat, vel circumlocutione reddat, vel annotatione aut admonitione, nunc longiore, nunc breviore exponat. Atque hoc negotio rite et feliciter peracto, se pensum sibi impositum absolvisse summopere laetatur.

Et sane plura, quam adhuc recensui, ad officium Grammatici Litterarum Sacrarum interpretis non requiruntur, ut qui iisdem obligatur legibus atque interpretes scriptorum aliorum. Sed multum diversitatis esse in modo, quo interpretatio librorum Sacrorum et exterorum ad leges illas instituenda sit, ex ipsâ eorum diversitate sequitur. Quis vestrum est, A. A. qui HOMERI, VIRGILIIque, qui PLATONIS et CICERONIS non admiretur scripta? Quorum igitur argumentum, ingenium, et formam vobis narrare nihil attinet. Sed animadvertite, quaeso, quot quantisque nominibus Litterae Sacrae ab his differant! Duobus librorum uno tanquam vinculo junctissimorum

rum voluminibus continentur. Hominibus debentur, quorum alii aliis continuatâ quadam serie successerunt. Non ad artes et disciplinas amplificandas, neque ingenii ostentandi, nec vulgi delectandi, nec gloriae captandae causâ scriptae sunt, sed ut omne boni et honesti studium ad aequales et posteros propagaretur, et genus humanum salutis sempiternae dono bearetur. Ipsum inducunt Deum arcana sua mortalibus patefacientem, vel legatorum, nunc coelestium, nunc terrestrium, ore de rebus suis loquentem. Quod igitur Literae illae tradunt, non argumentationis humanae probabilitate, sed, ut bene jam vidit JUSTINUS *Martyr*, auctoritatis divinae fide nititur. Neque oratio earum ad Philosophorum diligentiam elaborata, et lectoribus tantum accommodata est doctrinae copiâ et ubertate imbutis; sed simplex, tenuis, popularis, quae ab omnibus omnis generis, ordinis et aetatis hominibus intelligatur. Porro alibi notiones verborum reperiuntur clarae et distinctae; hîc, rerum amplitudine sermoni obstante, haud raro obscurae et minus definitae. Sententiae saepe pectoris coelestia spirantis rapiditate abruptae. Frequens proprii et figurati confusio, ex variarum mentis agitationum concursu oriunda. Denique — nam quid plura memorem! — rerum maxime futurarum, non verborum sono edita descriptio, sed corporis gestibus expressa imago. Quae singula, quis dubitat, quin ad generales interpretandi leges ita definiendas pertineant, ut multum inter librorum Sacrorum et exterorum intersit interpretem? Atque hinc factum est, ut, qui in scriptis Graecorum et Romanorum toti habitarent, cum ad Scripta Veteris vel Novi Testamenti interpretanda, aut animo impellerentur, aut extrinsecus cogerentur, satis crebro, se tanquam in terram peregrinam et incognitam translatos esse, et ipsi sentirent, et aliis proderent.

Multo etiam magis haec interpretandi diversitas intelligetur, si memineritis, Graecorum et Romanorum libros placita nobis tradere mutationi obnoxia et jam diu magnam partem communi virorum doctorum judicio improbata; Literas vero Sacras immutabilem nobis explicare religionis disciplinam. Nam quomodo haec tandem disciplina ibi proponitur? Nostri quidem moris est, eam non solum ita circumscribere, ut bipartita sit, contemplativa et activa; sed ab utrâque etiam, quae alio spectare videntur, caute secernere. Ergo saepissime quae, nobis judicibus, ad rectam et beatam vitam credenda et peragenda sunt, omnibus alienis remotis, in angusti spatii librum, memoriter ediscendum, congerimus. Quam longe vero hinc discrepant Literae Sacrae! Quanta his inest multitudo rerum, quae olim quidem ad verae religionis disciplinam inter populos introducendam contulerunt, ad nos vero nihil quidquam pertinent! Modo occurrunt nobis, quae nusquam valent, nisi sub Orientalibus coeli plagis. Modo leguntur, quorum tempus, cui inservirent, jam diu praeterierit. Modo non nisi unius, vel gentis, vel civium ordinis, vel lectoris res agitur. Reperiuntur etiam haud pauca, certis pariter locis, aetatibus et hominibus adstricta. His autem omnibus promiscue interjacent verae illae et aeternae doctrinae, ex quibus religio Christiana constat. Jam vero utrumque genus prudenter separare; alterum intra fines suos relegare, alterum religioni illi adjudicare, labor est Literarum Sacrarum interpreti proprius et peculiaris. Atque hac de causâ recta earum interpretatio a SEMLERO inde Grammatico-Historica dici incepit. Qua voce compositâ sine damno quidem carere possumus: at, cum semel tanquam jus civitatis adepta sit, eam ferendam esse arbitror, modo in abusum ne convertatur. Convertitur autem in abusum, si plus ei conceditur, quam potestas mutabilia ad ipsam Scriptorum Sacrorum auctoritatem ab immutabilibus discernendi. Nam quemadmodum hoc ad mentem illorum virorum et bene intelligendam et perspicue exponendam necessarium est; sic qui religionis doctrinas, ab iis reverâ traditas, judicio suo submittit, extra provinciam interpretis sine dubio egreditur.

Facile igitur intelligitis, A. A.! quonam loco et numero a Grammatico Literarum Sacrarum interprete habeatur Philosophia. Quae cum a CICERONE haud temere morum ac disciplinae magistra, Deorumque inventum dicta sit; tantum abest, ut interpres ille eam despiciat et spernat, ut opem ejus ad sensum orationis promte intelligendum et accurate exponendum avidissime expetat. Et ad assequendam orationis seriem illa inprimis disciplina, quae magis praeparatio, quam pars ejus est, Logicam dico, ipsi adjumento esse solet. Sed qui Philosophiam veluti reginam faciunt, ad cujus nutum omnis interpretatio instituenda sit, eam; ut jam monuit ERNESTIUS, loco praeficiunt prorsus alieno. Itaque illa more agit victoris duri et superbi. Antiquas interpretandi leges rescindit. Novas et inauditas constituit. Omnia arbitrio suo substernit. Sic vero libris, ante multas aetates in Oriente scriptis, forma induitur, ad ingenium nostrorum temporum composita. Hebraeorum vatibus placita affinguntur, quae Graecorum invenit acumen. Loquentes inducuntur, modo ex SCHELLINGII, modo ex HEGELII, modo ex FRIESII aut aliorum Philosophorum recentissimorum scholâ et disciplinâ. Ipsi adeo Scriptores Sacri in homines convertuntur, *Pantheismi* vel *Hylozoismi* mysteriis omnino initiatos. Sed quid hoc aliud est, A. A.! quam in re seriâ ludere? quam divinis humana miscere? quam Literis Sacris verae religionis doctrinam extorquere, et opinionum commenta, quae die delentur, obtrudere?

Falsis Philosophiae patronis intra fines suos repulsis, haud segnius arcendi sunt, qui huc fidei, ut barbare dicitur, inducunt *Analogiam*. Hi autem ipsi cum inter se mutuo vehementer dissentiant; alii eorum a *Concilii Tridentini* decretis, alii a libris *Protestantium*, ita dictis, *Symbolicis*, alii a magistri cujuslibet, vel sui ingenii Theologiâ, Literarum Sacrarum interpretationem pendentem faciunt. Utique si quaestio, quid Literae illae de religionis doctrinâ contineant, ad hujusmodi tribunal defertur; haud exigua nobis laboris remissio speranda est. Sed videte, A. A.! quam vanum et ludicrum negotium nunc omnis existat interpretatio! quam levia et sine pondere sint, quae nostrae relinquantur diligentiae! et, quod omnium malorum longe tristissimum est, quam penitus, ipsa horum hominum sibi reluctante dissensione, nutet et vacillet religionis Divinae causa! Recte igitur et praeclare Grammaticus Literarum Sacrarum interpres rebus suis consulit, ubi, sedulo sibi cavens a vituperandis, quae aut prudenter a majoribus sancita, aut recentiore memoriâ probabiliter disputata sunt, nulli tamen arbitrio servit humano, neminique ad sensum harum Literarum intelligendum majorem tribuit auctoritatem, quam in judicio testibus tribuitur. Haec vero testimonia, num vera et incorrupta sint, ad certas liberasque interpretandi leges explorat. His legibus universam subjicit Theologiam. His ipse parens, quamcunque in quaestionem de religionis argumento incidit, periculum, aut in majorum verba jurandi, aut nova quaevis admirandi et sectandi, facile superat. Neque anxie aut timide quaerit, a sensu ex verbis eruendo vulgus abhorreat, an ei applaudat; sed candide, et ingenue, et sine ullo partium studio, quae Scriptores Sacri tradidere, audientibus vel legentibus reddere conatur, nihil aliud pertimescens, quam ne a virorum illorum mente vel transversum unguem desciscat.

Verumtamen quot quantisque difficultatibus se candidus et religiosus interpres impeditum sentiat, hunc ipsum confitentem audiamus! Vix Literas Sacras, inquit, evolvo et inspicio, quin ingens advolet rerum turba, quae mihi fraudem facit, meque a veri tramite abducit. Opiniones tenerâ jam aetate a matre aut nutrice acceptae, et quasi cum lacte in succum sanguinemque conversae. Placita magistrorum, mihi puero postea inculcata. Admissa in memet inter Literas Sacras legendas certarum vocum et notionum conglutinatio. Deinde vetustatis auctoritas, majorum reverentia, aut aequalis alicujus admiratio. Nec non famae timor, gloriae ardor, animus ad aetatis suae ingenio obsequendum proclivior. Haec, fateor et haud diffiteor, inquit, ut semel interpretationem aggressus sum, me obsident, et premunt, et oculis, nisi summam adhibeo cautionem, caliginem offundunt. Quâ lucem occaecante, quis hominum, etiamsi verum occultare nolit, adeo tamen LYNCEUS est, ut a mente suâ alienam probe discernere atque in Literarum Sacrarum sensum penetrare sciat?

Sed hac turbâ repressâ, Grammaticus interpres novas in angustias compellitur. Ante omnia alia vulgaris Literarum Sacrarum editio, utrum sana et incorrupta, an a librariis affecta et depravata sit, judicanda, et ita quidem versanda est, ut suâ singulis auctoribus, vel addictâ, vel redditâ, scriptione, ad eorum mentem etiam, tam verborum, quam sententiarum constituatur distinctio. Atqui, ut nemini veterum, qui libris Graecorum operam dabant, ad ARISTARCHI laudem accedere contigit; sic dici non potest, quam arduum etiam ac difficile sit, hos libros purgare et emendare. Nunc vero interpretationis, proprie ita dictae, sequuntur partes. Ad quas ita peragendas, ut mens cujuslibet scriptoris per orationis obscurae vel ambiguae involucra perspiciatur et detegatur, magna requiritur ingenii bonitas, judicii subtilitas, laboris et exercitationis assiduitas. Sed qui Dei munificentiâ praeclaris his dotibus praeditus est, ut insipienter se gerit, si hac in suâ beatitate effusius exsultat! Quid enim sine egregiâ variarum linguarum cognitione; quid sine familiaritate cum scriptoribus exteris contractâ, ad quam ORIGENES, BASILIUS, aliique veteres vel ipsi discipulos suos jam exhortati sunt; quid denique sine assiduâ et quotidianâ illâ Literarum Sacrarum lectione, quae domesticam parit interpretandi facultatem, ad verborum notiones reperiundas proficietur? Similiter, qui in mentes humanas introspicere, et cogitandi rationem, quâ illae, vel sibi semper et ubique constant, vel a se mutuo discrepant, observare nescit; quid, obsecro! aget ille, ubi vocum et enunciationum ostendi debet structura, aut singulorum dictorum sensus, aut universae orationis series, aut integri cujusdam libri, epistolae, carminis consilium et argumentum? Et qui doctrinarum varietate caret, aut vana auguror, aut in locis similibus inter se comparandis, vel in quaestionibus argumenti *Historici*, *Geographici*, *Chronologici* tractandis, vel et in rebus mutabilibus ab immutabili Christi disciplinâ segregandis, sibi suaeque infantiae relictus, ut quis luto infixus viator, miserrime haud raro haerebit. Grave adhuc memorem et molestum negotium, quod interpreti ad mentem Scriptorum Sacrorum explicandam aptorum facessit verborum inventio, et accurata eorum collocatio, et omnium, quae res postulat, plana et perspicua narratio? Scopulos monstrem, hic ubique atrocia minitantes et firmissima pectora perturbantes? Aut casus et labores omnium, quotquot se leviter et incaute hoc in discrimen adduxerunt? Aut vel ipsius religionis, a Deo mentibus insitae, tristissimas, quas multi fecerunt atque deplorarunt, jacturas? Nulla profecto A.A. H.H.! nulla mirandi causa est, Grammaticos Literarum Sacrarum interpretes, qui hujus viae periculosae duces haberi mereantur, paucos tantum exstitisse: qui omnes officii sui partes omnino expleret, ab antiquissimâ memoriâ ad hos usque dies inter omnes populos prorsus fuisse neminem.

II. Grammatica igitur Literarum Sacrarum interpretatio quid sibi requirat, et quantum difficultatis habeat, me vobis descripsisse spero. Sed ne ad juvenum animos magis dejiciendos quam erigendos hanc causam suscepisse videar; per vestram patientiam, A. A. H.H.! mihi nunc hujus interpretationis, cum utilitatem, tum voluptatem ostendere liceat!

Et sane! quam primum nobiscum reputamus, hanc interpretationem in libris illis versari omnium praestantissimis, qui toti generi humano veram et aeternam bene beateque vivendi normam divinitus tradant; utilitas ejus jam sponte patet et ante omnem prope ratiocinationem. Quid vero? nonne et universos populos ex horridâ et plane ferâ vitâ trahendi et ad humanitatem excolendi viam iidem libri ab antiquo, et ostenderunt, et muniverunt? Nonne populis, ad Christi doctrinam conversis, hic tanquam fons fuit uberrimus, ex quo per omnes aetates sensus aliquis veri, pulchri et honesti ad vulgus illiteratum derivaretur? Nonne viris insuper doctissimis, ad scientiam rerum priscarum sibi comparandam, tantopere inservierunt, ut nemo artem vel disciplinam profiteri posset, quin earum luce nonnihil proficeret? Scurras non rogo ac nugatores, quorum vanitas, leporis ac festivitatis laudem aucupans, ne sanctissima quidem cavillari veretur. Sed ad vos me confero judices, A. A. H. H.! qui me, ut gravissimam muneris mei causam sustinerem, hac in cathedrâ collocastis, vel frequentiâ vestrâ adhuc ornastis. Et si quis forte vult, ut ab iis, qui fato defuncti sunt, sententia quoque dicatur, viros inprimis excito immortales, qui, cum ad scripta Graecorum et Romanorum illustranda omnes animi vires intenderent, diligentem tamen horum librorum usum amplitudine suâ haud indignum censuerunt: SCALIGERUM, inquam, CASAUBONUM, SALMASIUM, et quartum illum TIBERIUM HEMSTERHUSIUM, quem ipsum, in magnâ hominum doctissimorum celebritate PAULI Apostoli praeconem fuisse, quis ab omni tandem humanitate tam longe remotus est, ut ne vel fando audiverit? Jam vero, Grammatica harum Literarum interpretatio quasi ministra est, cujus largâ manu bonorum copia, in iis recondita, expromitur et dispertitur. Quam igitur si quis adire recusat, nihil aliud ei superest, quam aut inopiam suam deplorare; aut nonnulla, quibus hanc occultet, cerebro male sano extundere.

Non nemo fortasse hac interpretatione a nobis nihil ultra fieri posse putat, quam majores nostri fecerint: sed haec eadem illa opinio superstitiosa est, quâ post Sacrorum instaurationem ad pigritiam et languorem reciderunt animi. Nam uti nullum adhuc Literarum Sacrarum interpretem exstitisse diximus, qui ab errore vacuus esset; sic variae concurrerunt causae, cur majores, ceterum nunquam satis laudandi, posteritati multa et corrigenda, et absolvenda reliquerint. Vitam nempe egerunt, negotiis publicis occupatissimam. Multis, quibus nos utimur, caruere libris, ad interpretationem recte instituendam necessariis. Viam interpretandi quâsi per nebulas sibi parare debuerunt. Superstitionem quoque Romanam, quacum adoleverant, tam plane excutere non potuerunt, ut omnino omnes ejus abstergerentur sordes. His accessit communis hominum ad lapsum proclivitas. Itaque tantum abest, ut hac interpretatione tempus unquam perdatur, ut labor suscipiatur, dulcissimorum fructuum spem et exspectationem faciens.

Quaestionem quod attinet, num Grammatica Literarum Sacrarum interterpretatio multum habeat utilitatis, nisi ei adjiciatur *Allegorica*; haec tam insulsa est, ut eam ridere satius sit, quam ei respondere. Nec pondere crescit, quod hac aetate nonnulli homines interpretationem illam *Allegoricam*, sive nomen ejus usitatum retinentes, seu Graecam ei appellationem ὑπονοίας subjicientes, ex oblivione revocarunt. Nam si, vel originum hujus scilicet interpretationis memoriam repetimus; vel mala persequimur, quae rebus Christianis peperit; vel ad coecam denique, quâ late vagatur, libidinem oculos convertimus; quis non videt, nihil aliud nobis quam infaustum apponi fetum, temporis dicam praeteriti, an animi vertigine affecti? At certe ut tibi prosit interpretatio, sensus ille pius, qui a Spiritu Sancto proficiscitur, lucem ei ministrare debet! Audio. Probo. Mentem Scriptorum Sacrorum hoc sine sensu saepe occultam esse, ipse contendo. Tu vero, qui ad interpretationem Grammaticam deprimendam sensum illum extollis, dic, age! quid, eâ postpositâ, hic tandem valeat! Majora et sublimiora, quam ex verbis eruere possis, tibi commonstrare? Itaque hoc sensu praeditus, luce gaudes, quae Divinam obscurat lucem, Literis Sacris inditam? Papae! quanta beatitas! Non humi serpis, ut nos homunciones, Grammaticae vinculo alligati, sed super sidera volitas, ibique multa ceteris mortalibus inaccessa contemplaris! Attamen sunt nonnulla, quae scire velimus. Hoc nobis expedi; sodes! Quis celeres illas tibi dedit alas? Quorsum per aethera cursum dirigis? Quaenam ibi mirifico tuo oculorum acumine jam vidisti? Haeres? Obmutescis? Non valde miror. Quod enim omnibus tui similibus ab antiquo accidisse constat, ut nihil in medium proferrent, quam vana opinionum commenta, hoc ipsum tibi accidere certo certius est. Quid? quod pro vatibus Divinis, cuivis mentem suam eodem candore et simplicitate explicantibus, PROTEUM nobis inducis: PROTEUM, o bone! in varias se species convertentem, quibus consulentes decipiat. Si metuis forte, ne, qui omnia Grammaticae interpretationi defert, Literarum Sacrarum vim tollat et efficacitatem; crede mihi! quod te terret, nihil aliud quam spectrum est, inquietis praecordiis assidens, somnosque pavore auferens. Tum demum oratio ibi reperiunda exsanguis redditur, cum quis audacter, ut Divinis humana admisceat, nervos ei praecidit. Hanc vero culpam, videto, uter sibi contrahat, Grammaticus Literarum Sacrarum interpres, an tu, qui, omni tibi repugnante loquendi usu, has in literas sensum tuum importas? Sed ardorem animi me longius abripuisse sentio, ut familiari sermone uterer, ubi gravitas loci gravem sibi orationem postularet. Ignoscite, precor, A. A. H. H.! mihi hunc ardorem ignoscite! Non vestrum aliquem compellavi; sed hominem suo se sensu in vulgi circulis efferentem: cujus vanitatem ac superbiam ante oculos vestros exponens, haud omnino male meruisse mihi videor.

Et sane Grammaticae Literarum Sacrarum interpretationis utilitas eventu comprobata est. Novimus quidem operam his Literis praestitam litem peperisse inter homines, quae ut Poëtae verbis utar, coeli axem capite tangeret, terram pedibus calcaret. Neque ignoramus, illud interpretandi negotium tam exiguae frugis habitam esse, ut inter maximam sectatorum Christi partem libertas ejus tolleretur; inter ceteras vero familias nihil tam cereum et ad omnia flexibile diceretur, quam Veteris Novique Testamenti Scripta. Sed quid tandem est, quod in reprehensionem incurrat? An illud forte, Literis Sacris inesse loca, quorum sensus ad liquidum non perduci possit? Ergo his Literis ignominiosum est, quod neminem unquam PLATONI aut CICERONI vitio dedisse accepimus? Aut harum interpretes inutiles sunt, quoniam nonnulla in ancipiti relinquere coguntur; qui aliis in disciplinis studia collocant, quamvis eandem imbecillitatis humanae sortem patiuntur, laudibus insignibus mactandi? Quod autem his libris objicitur, eos ad omnia flexibiles esse, uni objiciendum est Grammaticae interpretationis negligentiae. Atque ex eodem hoc fonte putidissimo, monente jam SCALIGERO, omnes emanarunt de Christi disciplinâ agitatae discordiae et contentiones. Hac nempe veri duce turpiter desertâ, omnia homines ad libidinem suam pervertere inceperunt. Nunc eheu! Quantum erroris, superstitionis, fraudis ad sectatores Christi redundavit! Qui se mali contagionem, apposite ad persuasionem dicendo, propagare non posse videbant, minis, verberibus, tormentis varii generis utebantur. Quin ad capitis etiam supplicium rapiebantur homines huic contagioni renitentes. Atque sic postremum omnis jacuit Grammatica Literarum Sacrarum interpretatio: donec ei locum et honorem suum restituerent rerum Christianorum reformatores. Si autem utilitatis, quae huic interpretationi insit, documentum illustre capere volumus; ad spectaculum bonorum, quae a viris illis allata sunt, oculos attollamus!

Reductâ igitur Scriptorum Sacrorum luce, ineptissimarum, quae longe lateque serpserunt, quaestiuncularum dispelluntur nebulae. Doctorum Scholasticorum sordes eluuntur. Regno nefarie occupato ejicitur ARISTOTELES. De fastigio suo excidit Romae tyrannis. Nomini Christiano in dies plura veteris candoris et simplicitatis redeunt lumina. Hinc inopinatam generi humano salutem afferri videmus. Pudorem et honestatem in civitates reduci. Pectora multorum vitiis et cupiditatibus purgari et emendari: Fiduciam animorum, a ridiculo panis orbiculati sacrificio averti atque uno in Christo poni. Miserorum et spem et tranquillitatem redintegrari. Verbo dicam, cum prisca hominum stirps deleretur, novam eorum condi prolem. Quae quidem ut efficerent, majores nostri bellum non commoverunt ipsi, sed ab hostibus veri et honesti commotum, ut sua sibi et posteritati tuerentur, viriliter sustinuerunt. Atque sic nos quoque, nepotes eorum, paci dubiae vel ignominiosae certaminis discrimen praeferentes; idem illud bellum gerimus. Sed ut victoria nobis datur satis incruenta; sic aliis non utimur hastis gladiisque, quam quae mentes feriant. Nihil autem omnium, nihil ad hostes, tum confundendos validius, tum opprimendos acutius est, quam ipsa illa Grammatica Literarum Sacrarum interpretatio, cujus tractatione, et Reformatores primos eorum impetus repulerunt ac vires fregerunt, et posteros, nisi ad languorem recidant animi, tam superstitioni, quam impietati, gravissimas clades illaturos esse, persuasissimum nobis habemus.

At vero, utra major sit, Grammaticae Literarum Sacrarum interpretationis utilitas, an voluptas ex ejus studio percipienda, difficile dictu est. Primum enim, A. A., quam suave et jucundum sit, orationis scripto mandatae interpretem esse, cum animis vestris considerate! Nimirum quo quis in vitâ communi homines sibi penitius cognitos habere censeatur, eo magis hunc alios ad sui aemulationem excitare constat. Et quid, quaeso, aemulatione dignius est, quam pectorum humanorum latebras et recessus pervestigare? quam in arcana, quae ibi volvuntur, cogitata, consilia, studia penetrare? quam, impeditissimis subtiliter extricatis, totam mentem reserare aliisque enunciare? Equidem, qui hoc potest, hunc tanti facio, ut fere Deus quis mihi esse videatur. Jam vero nemo vestrum non intelligit, me, ita dicentem, interpretis, qui se in Scriptorum Sacrorum mentes insinunuans, nunc antea inventis lucem adspergat, nunc abdita ipse ex tenebris eruat, laetam et beatam praedicare conditionem? Multa quidem esse vidimus, quorum onere interpres ille prematur: sed nonne probe novimus omnes, quod jam PLATO dixit, voluptatem et dolorem tanquam ab uno eodemque pendere apice: ita ut, illam capientes, et hunc fere capere cogamur? Verumtamen, quemadmodum in omnibus aliis disciplinis, sic in hac quoque, initia acerbissima sunt: his autem superatis, dolor continuo comminuitur, voluptas maximopere augetur, atque animis generosis inertiae, quae iis communi hominum sorte innata et adhuc residua est, omnino excutiendae stimulus admovetur. Hac vero excussâ, nihil tam grave est, ut interpretem cohibeat, quominus in mente Scriptorum Sacrorum scrutandâ et explicandâ perpetuos faciat felicissimosque progressus.

At hanc tantam voluptatem praebere nequit interpretatio, quae Grammatica est! Quid igitur? Grammaticam iisdem circumscripsimus cancellis ac rudimenta pueris instituenda? Aut interpretem Grammaticum verborum fecimus ac syllabarum aucupem, qui quaestionibus argutis, frivolis et tanquam trioboli habendis vitam tereret? Vos omnes, A. A., testes advoco, me neminem adhuc laudasse alium, quam cui laboris jucunditatem ipsa afferret rerum tractandarum gravitas. Verumtamen, inquit, multo major voluptas est, si ad *Aestheticam*, quam vocamus, primae deferuntur! Perniciem illam avertat benignissimum Dei numen! Non infitior quidem, ut orationis suae pulchritudine Literae Sacrae insigniter illustrentur; sic mentem lectoris eâ mirifice exhilarari. Quam igitur omnibus, ut strenue persequantur, auctor et hortator sum. At vero, qui, posthabitâ Grammaticâ, literas sacras ad *Aestheticae* regulas interpretatur, non solum venustatis, quae iis inest, colores fuco illinit, earumque doctrinam adeo turpiter corrumpit, sed se etiam satis ridicule delectat. Et quid virum decet interpretandi provinciae praefectum? Puellarum more, quae, per amoena obambulantes, flores carpunt et serta colligunt, illud unum duce appetere *Aestheticâ*, quo suaviter afficiatur; an Grammaticâ praeeunte, laborare et sudare, ut scriptoris sui mentem assequatur? Qui hoc agit, profecto! quoquoversus Gratias sibi habet comites: et si, peregrinatoris instar, spatium aliquod emensus, oculos convertit rerumque lustratarum multitudinem et varietatem iis percurrit, maximâ voluptate fruitur.

Atque nunc transitu mihi parato ad commonstrandum, quam suave et ju-

jucundum sit, Literis Sacris operam navare, obversantur animo, quibus in more positum est, disciplinas aliis demandatas oratione extenuare, suam vero exaggerare. Quos tamen cum sequi pudeat, tum aperte confiteor, me de libris loqui, quos jam a pueris legere et prope memoriter ediscere consueverimus; quibus magis ad emendandam, quam ad exhilarandam mentem uti edocti simus; quorum denique oratio a nostro dicendi genere vehementer differat. Sed vel sic quidem vix ulla animi occupatio tam voluptaria est, quam horum librorum interpretatio. Primum enim haec scripta a rebus remotissimae antiquitatis initium ducunt: ut igitur, ea interpretantes, cum gentium conditoribus generisque humani satoribus habitare, eorumque in mentes penetrare nobis videamur? Deinde a capite ad calcem plena sunt luminibus dicendi, quae nativâ suâ elegantiâ interpretis animum ad se alliciunt et lectori vel centies repetita placebunt. Et doctrina ibi tradita, quamvis homini improbo et flagitioso terrorem incutit, omnes tamen pios et sinceros Christi sectatores solatio gaudioque perfundit. Quorum cumulus, animadvertite, A. A., quantus horum librorum accedat interpreti, qui, ubi vulgo homines doctrinam Divinam primoribus tantum labris gustare solent, venis ac medullis ejus insidens, omni ejus dulcedine pascatur, et ad beatitatem veri nominis nutriatur! Atque hoc nobis adspectabile faciunt vitae virorum maximorum, CHRYSOSTOMI, LUTHERI, GROTII: qui, famâ et libertate spoliati atque in capitis periculum adducti, hoc tanquam mentis innocentis pabulo se ad mala quaevis fortiter ferenda corroborarunt, et ita recrearunt, ut sortem suam fere invidendam redderent. Vos igitur, Viri immortales! vos me excipite, et, si quis forte ad meam orationem durior ac frigidior restitit, hunc vestrâ auctoritate ad agnoscendam hujus studii voluptatem flectite! Ad te inprimis confugio, gentis GROTIORUM decus! Te advoco, o maxima hujus Patriae lux et gloria! qui ad Grammaticae Literarum Sacrarum interpretationis elementa, in amplissimo hujus Academiae stadio, jam juvenis, ingenii maxime tui sagacitate, pervenisti. Tu celeberrimae huic hominum concioni dicas et ostendas, quam efficaciter studio illo carceris tenebras illustraveris, exilii asperitatem leniveris, injuriarum denique, quibus oppressus esses, memoriam ex animo prope deleveris! Tu viros Juvenes, quotquot rerum Divinarum causâ hac in palaestrâ versantur, tu prolem et posteritatem nostram ad eandem hujus studii voluptatem, quâ ipse abundaveris, sibi quaerendam et percipiendam voce tuâ excites et inflammes! Te omnes suspiciunt, omnes colunt generosi animi. Tuae voci, quidquid novi quidam clamant homines, quorum pectoribus callum, vel caeca obduxit superstitio, vel aurae popularis captandae cupiditas — —, tuae inquam, voci ab omnibus, quotquot incorruptum in mente habent veri pulchrique et honesti sensum, et aures praebentur, et ad ultimos praebebuntur nepotes. Tu ubi vocem illam emittere inceperis, in placidam nobis et serenam transpositi videmur noctem, quâ, cum modulato lusciniae carmini praetervolans ulula rauco gutture interstrepat, haec unum forte et alterum, qui ad suaviora obduruit, stridore suo delectat; ceteri vero omnes, eâ sibi relictâ, auribus arrectis et immotis adstantes, Cecropiam alitem admirantur.

Sed mortuorum manibus quieti redditis, ad superos redeo. Et primum quidem ad vos me converto, Perillustres hujus Academiae Curatores! qui cum me Augustissimo Belgarum Regi proponeretis, ut ipsius decreto ad Professoris Theologiae munus vocarer, me singulari vobis beneficio devinxistis. Quod, si ad mediocritatem meam respicio, favoris vestri luculentissimum mihi documentum est. Itaque omnem meam spem et exspectationem in vobis colloco: vos, Viri illustrissimi et generosissimi! quidquid in vobis sit, facturos esse confidens, ut haec provincia mihi maxime grata et jucunda reddatur. Equidem imbecillitatis humanae haud immemor, nihil vobis polliceri ausim: sed quamdiu illum literarum ac disciplinarum, cujus mihi conscius sum, amorem servaverit benignissima Dei Providentia, et vobis industriâ ac diligentiâ meâ placere, et virorum illorum, qui hujus Academiae famam egregiâ suâ doctrinâ amplificant, vestigia tenere summopere annitar.

Quod ut vos agitis, Clarissimi diversarum doctrinarum Professores! ita maxime gaudeo, me eo in loco positum esse, ubi in vitas vestras, tanquam in speculum, inspicere, atque hinc mihi exemplum capere possim. Magnus quidem, cum hunc vestrum in ordinem vocarer, mihi scrupulus injectus est; sed solatio mihi fuit vestrae, cum in me propensionis testificatio, tum humanitatis cogitatio. Nunc me vobis commendo collegam, socium, amicum, votis ac desideriis vestris satisfaciendi studiosissimum. Fateor, si hunc ordinem oculis percurrens, omnes fere viros doctissimos, quorum disciplinâ olim usus sim, hinc abiisse videam, acerbo me dolore pungi: sed te coram intueri, te; Cl. VAN DER PALM! a quo ad Literas Orientales instructus, et multis beneficiis cumulatus sum: te salvum, et vigentem, et talem intueri, qualem mihi maxime, tam dicendi pro concione, quam in scholâ docendi exemplo sumere velim; dicere nequeo, quantum illud me erigat, et quanto gaudio me perfundat. Me quod attinet; si quis animo candor, si fides, si pietas inest, illud omne tibi explicare studebo.

Atque hoc vobis, Viri meritissimi, CLARISSE, SURINGAR et KIST! qui Theologiae docendae provinciam sortiti estis, dictum quoque accipite! Quales ego vos habiturus sim, satis ipsi superque jam ostendistis; cum amicitiam vestram, vel nuper antiquâ mihi simplicitate offerretis, vel longo jam tempore praestaretis. Hanc igitur, Viri Clarissimi! si quando quid imprudentius ego aut commisisse aut omisisse deprehensus ero, ne vos mihi unquam renuncietis, sed mihi bene velle perseveretis, ut vestrâ adhortatione, consilio, operâ adjutus, vobiscum Sacrorum antistites informem, qui religionis Christianae causam bene ac laudabiliter tueantur!

Sed te nomine non affari piaculum sit: te, Clarissime VAN VOORST! qui olim juventutem meam doctrinâ tuâ ornasti, et, uti ad omnem, si qua polleo, Theologiae scientiam, sic ad Grammaticam Literarum Sacrarum interpretationem praeparasti: qui porro per longam annorum seriem singulari benevolentiâ studia mea promovisti, in rebus adversis mihi subvenisti, et vel patris loco mihi fuisti: qui denique, ne quid beneficiorum tuorum magnitudini deësset, me unum elegisti, qui tibi surrogarer, aetatis causâ docendi lege soluto et ad quietis locum recepto. Hanc tibi honorificam vitae bene peractae remunerationem gratulor. Gratulor tibi bonorum patriae et civitati Christianae doctrinâ et virtute tuâ allatorum conscientiam. Neque unquam ego, quamdiu aliquis hoc in pectore pietati honos est, eorum, quae tibi debeo, obliviscar, nec te queribundum faciam, ingratum esse hominem, quem in sinu tuo foveris. Unum est, quo perturber: me tibi tali tantoque viro succedere: sed nihil sanctius et antiquius habebo, quam, tuâ imagine animo penitus ad imitationem infixâ, omnes intendere vires, ne spe in me positâ omnino fallaris. Ceterum, venerande senex! ut otium tibi sit tranquillum, laetum, neque otiosum, sed in meritis tuis augendis et amplificandis occupapatum, diu tibi Deus corporis mentisque incolumitatem largiatur.

Ad vos venio, Praestantissimi hujus Academiae alumni! ut si quid vobis prodesse potero, me vestrum nemini defuturum esse edicam. Quod vobis maxime testatum facere mihi dabitur, Ornatissimi Viri Juvenes! qui Theologiae studio vos addixistis. Vos ad sanctae hujus disciplinae penetralia, vos ad illam Literarum Sacrarum ducere conabor interpretationem, quam non solum populari Religionis Christianae doctori utilissimam, sed omni homini tristissimis etiam in rebus magno solatio et gaudio esse audivistis. Satis mihi beatum erit eodem a vobis coli studio, quo, quod nunquam non meminero, me Amstelaedami pars vestrum coluit. Sed vos officium vestrum non deserturos esse, et me certiorem facit observantia, quam viris his egregiis, collegis nunc meis, probastis, et ipsi, cum ad hanc provinciam suscipiendam me invitaretis, satis clare et perspicue mihi significastis. Hoc autem teneatis velim, Juvenes optimi! gratissimos se mihi facturos esse, qui, praeceptorum suorum vestigia presse et fideliter sequentes, apti et idonei reddantur ad illud regni, a Christo conditi, propagandi munus, quo his in terris nihil est pondere gravius, nihil origine divinius, nihil ad generis humani salutem fructuosius.

DIXI.

✻

NICOLAI CHRISTIANI KIST

ORATIO

DE

ECCLESIA GRAECA,
DIVINAE PROVIDENTIAE
TESTE,

HABITA A. D. XV DECEMBRIS ANNI MDCCCXXVII;

QUUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA ORDINARIAM THEOLOGIAE PROFESSIONEM PUBLICE SUSCIPERET.

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES PERILLUSTRES!

RECTOR MAGNIFICE!

QUI JURI DICUNDO AUT CIVITATIS COMMODIS CURANDIS PRAE-
ESTIS VIRI GRAVISSIMI!

QUARUMVIS DOCTRINARUM PROFESSORES VIRI CLARISSIMI!

LECTORES ERUDITISSIMI!

ORACULORUM DIVINORUM INTERPRETES PLURIMUM VENERANDI!

QUARUMCUNQUE ARTIUM AUT DISCIPLINARUM DOCTORES CONSULTISSIMI! DOCTISSIMI!

BONARUM ARTIUM STUDIOSI! SPES ACADEMIAE, PATRIAE, HUMANITATIS!

QUOTQUOT DENIQUE ADESTIS, CIVES, HOSPITES, CUJUSCUNQUE LOCI, ORDINIS AC DIGNITATIS, AUDITORES HONORATISSIMI!

Quod ex amplissimo hoc loco de gentium historia aliquando pronunciavit BORGERUS: » historiae doctorem Providentiae administrum esse Divinae"; ut verissimum est, ita illi est maxime tenendum, qui Historiam traditurus est Ecclesiae Christianae. Quae enim, in humani generis rebus, communi observatur sapientissimorum hominum consensu benignissima Numinis cura, quidni in illa conspiciatur societate, quae praeclarissimam omnium et sanctissimam humani generis caussam complectitur? Quodsi historici hoc officium est, ut esse Dei immortalis Providentiam, qualisque illa sit, et qua praecipua lege temperet res humanas et moderetur, observet atque declaret; ecquis beatum haud praedicabit Ecclesiasticae inprimis historiae interpretem, in illa quippe elaborantem universae historiae parte, quae reliquis omnibus evidentius curam illam ostendat et moderationem Divinam!

Nec tamen hanc aut solam aut primam historiae doctori scriptam legem puto, ut in rebus humanis supremum agens Numen ostendat. Non enim ut ligno aut ferro faber, vel ut brutis arator, sic mortalibus Deus utitur. Ipse agit, in Ecclesiae quoque historia, homo! Sua quisque indole et ingenio, suisque studiis ducitur. His agitatus ac veluti incensus magna omnia et praeclara perficit; his item in errorum prolabitur vitiorumque gurgitem. Hinc ingens illud, uti singulorum hominum, ita populorum discrimen, quod summam omni tempore in res humanas vim habuit et auctoritatem; quodque insignes istas, in societate quoque Christiana, rerum vicissitudines peperit. — Quid igitur? Historicum illum vere et dici credemus et esse, qui in rebus explicandis humanis, humanam negligat agendi rationem, Divinam unice spectet et curet? — Dicam quod sentio. Numquam immortalis ille memoriae vir, quem Ecclesia, literae, patria, nostra inprimis Academia lugent et desiderant, tanto Historiae doctorem, Providentiae Divinae administrum, celebrasset eloquio, nisi, quem mente fingebat et animo intuebatur, talis fuisset interpres historiae, qualem et ipse docendo se praestitit, et ante jam in praeclaro: » de Historia pragmatica" libro, aliis delineaverat et spectandum proposuerat. Scilicet A. A.! quae unica patet, ad rerum gestarum seriem rite cognoscendam, via, haec sola ducit ad veram Providentiae Divinae observationem. Pragmaticam dico historiam; quae germanis rerum gestarum monumentis in usus suos diligenter adhibitis: — nam quae sit historia dicenda, quae non ex ipsis sit fontibus hausta? — his igitur adhibitis, ipsum inprimis in rebus humanis agentem considerat hominem; quae gentes observat gentiumque discrimen; quaeque ex annalium jejunitate ad ipsius Historiae amplitudinem gravitatemque assurgens, non una absolvitur rerum gestarum enarratione; sed quo loco, et a quibus, et quibus de caussis, et quem in finem aliquid gestum sit diligenter animadvertit et exponit. Haec sane ea sunt omnia, sine quibus, summo monente POLYBIO, pragmaticae illo rationis auctore, » ludicrum spectaculum evadit historia, in praesens quidem adferens oblectationem, utilitatem vero in posterum nullam." — De Providentiae autem Divinae observatione quid quaeritis? — Nullus huic, absque ratione vere pragmatica, esse potest in historia locus. Quod enim hac ratione caret historiae studium, rudem quamdam indigestamque nobis exhibet rerum gestarum molem; non vero spectaculum illustre illud et plane Divinum, in quo hominum gentiumque vires et studia, loco licet et tempore et ratione maximopere diversa, per multos casus, ita tamen conspirant idemque sequuntur, non ut e plurimorum ingeniorum repetenda studiis videantur laboribusque; sed *unius* consilio et auctoritate sapientissime instituta et perpetrata appareant!

Quodsi ego, hac opportunitate, ex infinita exemplorum copia, quae hanc probant Providentiae Divinae curam historiae auctoritate, tale mihi explicandum oratione argumentum proponam, quod e temporis quo vivimus ra-

ratione petitum; cum religionis Christianae emolumento et humani generis salute conjunctissimum sit; nihil faciam, quod a loco quem adscendi, aut a munere quod auspicor, aut a sancta illa cui inservire studeo caussa, alienum haberi possit. Dicam igitur: *de Ecclesia Graeca, Divinae Providentiae teste.*

Cujus argumenti et dignitatem et gravitatem utinam mea posset aequare oratio! At quae deesse mihi ego quidem persentio penitus, haec vos A. H.! pro vestra, quam dudum expertus sum benivolentia, a mea orationis ingeniique mediocritate exspectare nolite!

Ingredienti autem mihi materiam hancce, non necesse videtur ut exponam continuo Ecclesiae Graecae originem et variam deinceps fortunam, ad illud usque tempus, quo schismate ab Ecclesia Latina disjuncta est. Hoc ipso enim schismate accidit, ut exstiterit, quam nunc spectamus, Graeca Ecclesia, i. e. *Christianorum Societas in Orientalibus Europae partibus stabilita, ac Latinis Christianis opposita.* Haec vero, quare illis opposita manserit, quosque illinc fructus, Providentiae Divinae curâ, res Christiana et ceperit fere et etiamnunc capiat hodierno tempore, nobis videtur accuratius explicandum.

Haud fuerunt sane nec ipsius schismatis nec perpetuae separationis caussae leves illae, quae vulgo memorantur: disputationes *de jejunio Die Sabbathi, de panis haud fermentati in Eucharistia usu, de suffocatis et sanguine haud comedendis, de Spiritus Sancti a Filio Dei processione*, aliisque dogmatibus; — quamquam hae suâ, ut opportunitatis, haud destitutae fuerunt efficacitate; — sed est communis quaedam et amplissima caussa, a qua ipsae opportunitates istae pendent totae; sine qua non invaluissent istiusmodi futilissimae lites; vel tanta certe vi caruissent et efficacitate. Magnum illud memoro, quod Graecos omni tempore a Latinis distinxit, indolis, morum, studiorumque discrimen. Hoc in antiqua, utriusque gentis, historia viget. Hoc item in omni ratione conspicitur, qua Christianam amplexi doctrinam, in diversam utrique viam abibant. Quod enim, suo jam tempore, de Romanis CICERO dixit: » considerate agere pluris existimare eos quam cogitare prudenter, omnemque virtutis laudem in actione ponere": hac veluti discriminis nota a Christianis Graecis Latini

Christiani recedunt. Doctrinae explorare et intelligere placita, hoc semper maxime Graeci ardebant; in vitae vero, cum privatae tum inprimis publicae, illa componere usum, id studiosius omni tempore Latini egerunt. Hac communi veluti nota distinguuntur, qui inter utrosque maxime inclaruerunt doctores Ecclesiae: ab ALEXANDRINO CLEMENTE TERTULLIANUS, ab ORIGENE CYPRIANUS, a GREGORIO NAZIANZENO, BASILIO, JOHANNE DAMASCENO AMBROSIUS, AUGUSTINUS, GREGORIUS MAGNUS. Idem in sectis adeo patet, quarum inter utrosque origo et natales fuerunt: Latini enim fere nullas habuerunt, nisi ansam praebente Ecclesiastica disciplina; Graeci vix alias, nisi quae ab ipsius doctrinae norma recederent. Et prouti in extrema ruentes Latini, practici inprimis argumenti errore peccasse censendi sunt, sic disquisitionibus nimium indulgendo theoreticis Graeci.

Tale igitur tantumque discrimen, quid mirum A. A.! si effecerit tandem, ut, qui ingenio, lingua, moribus toto coelo differrent populi, ejusdem vix amplius esse possent societatis Ecclesiasticae socii; neque Graeci ferrent Ecclesiam, quam pro suo ingenio sibi informaverant Latini? Et sane, utrosque inter, jam ante ruptum caritatis et communionis vinculum fuit, quam aperto essent divulsi schismate. Hinc, a multis jam antea seculis, mutuae multae simultates et odia. Hinc apud Graecos non Patriarcharum modo, sed plebis, neque de Hierarchia tantum sed de nulla non Haeresi in Latinos suspicio. Hinc PHOTII inprimis Patriarchae memorabilis illa de erroribus Latinorum epistola, qua, suo jam tempore, publici fundamenta dissidii posuit. Abhorrent enim in posterum Graeci ab omnibus, quae a suis aliena moribus, imponere ipsis Latini gestiant. Sua vero singula, doctrinam, opiniones, ritus, instituta, minima quoque et futilissima, eo magis servant, diligunt, acerrimeque vindicant, quo execrabilior evaserat iis Romanorum antistitum superbia et dominandi libido. Levissima quaeque dissensio, aeterni jam est odii caussa. Et exigua rerum accedente opportunitate ecce! coacervatis veluti per seculorum decursum injuriis, ingens illa fit eruptio, quae, mutuis sese petentibus anathematum fulminibus utriusque Romae Episcopis, tandem a Latina Ecclesia penitus Graecam divelleret.

Et sic quidem A. A.! dilacerata est Christi in terris Ecclesia! Turbata et rupta, per multa secula, Christi fidelium concordia! Et tristis ista exstitit divinae Religionis inter homines ratio, ut non caritatis, non virtutis, non felicitatis; sed dissidii, sed erroris, sed aeterni adeo mortalium odii fautrix ipsa et altrix videri facile posset!

Hic vero cavendum est ne judicemus temere! Altius est respiciendum A. A.! Praeclarissimis enim inserviit finibus ipsum ingens illud Christianorum dissidium! Religioni et humanitati in hunc usque diem prodest Ecclesia illa Graeca! Et pie nobis celebranda est benignissima rei Christianae favens cura, quae quod malum videbatur et deplorandum prorsus in bona omnia et fausta cedere jusserit! — Hac age in vindicanda caussa omnis jam versetur oratio nostra.

Et magna quidem jam excitatur nobis Divinae plane curae suspicio, si Graecam Ecclesiam, per tot jam seculorum decursum, in mediis istis gravissimis aerumnis, difficultatibus, periculis, et superesse et sui plane juris mansisse consideremus. Non enim profecto aut sponte hoc, aut facili negotio ita locum habuit. Turcarum cogitetis infensissimos contra Byzantinos progressus, Graecorum non Imperio tantum sed Ecclesiae minitantes interitum; nec sane quid fore magis expetitum Graecis et exoptatum dixeritis, quam restituta qualiscumque tandem cum Latinis concordia. — Sed Romam velim cogitetis: Romam inquam, non incertis amplius passibus ad Ecclesiae monarchiam procedentem; sed omnium jam in Europa rerum dominam. Hanc proponatis vobis, modo matris instar ab errore, periculo, interitu revocantem filiam, modo severissimae similem dominae, servam suam ad obsequium vocantem omnibusque viribus cogentem. — Verum non vi, non dolo frangi potuerunt caussam suam et jura vindicantium Graecorum animi! — Testes sunt quae XII° jam seculo, saepius factae sunt Latinorum ad Graecos legationes, frustra omnes amovere schisma tentantes. Testis illa quae, inter sacras expeditiones quarta fere recenseri solet, haud magis contra Saracenos instituta Christiani nominis hostes, quam contra schismaticos Graecos. Testis Latinorum saevum illud, per multos annos, in sede Byzantina Imperium. Testes vero ipsi illi Jmperatores Graeci, quos abjurare schisma, Graecam vero Ecclesiam Romanae submittere, sive Latinorum sive Turcarum metus coegit. — Irritum enim fuit, quo jam exsultabant summi Pontitifices, gaudium! Irrita omnis illa utriusque Ecclesiae, in conciliis sancita publicis, conciliatio! Non curabant haec omnia Graeci. Et quicquid proximis seculis, continuata fere serie, omni opera et studio moliti sint Romani antistites, ista ut deleretur Carthago: movebant multum, promovebant parum! Quaeque sic, miraculi instar, sustentata fuit et servata, a reliquis distincta Christianis omnibus Ecclesia Graeca: ecquis dubitaverit, quin Divino plane consilio et inservierit hactenus, et vero in posterum sit inservitura?

Nec frustra quaeruntur A. A.! momenta rerum quam plurima, quae hancce augeant suspicionem et confirment luculenter. Ne dicam de commento illo unius universaeque Ecclesiae, quae, civitatis et terrestris Imperii instar, legum et auctoritatis vinculo cives suos contineret; quo nimirum auctoritatem suam fundarunt maxime Pontifices Romani: — schismate hoc et separatione perpetua plane illud explosum est. Nec arrogantiam memorem Latinae Ecclesiae, se jactantis communem omnium in terris Christianorum dominam: — effecit Ecclesia Graeca, ut, quamvis retundi compescique illa vanitas haud potuerit, reapse confutata sit. Ne igitur haec et alia similia commemorem, schismatis beneficam consideremus vim, cum in Orientis Ecclesiam, tum universe in rem Christianam.

Et primum quidem hoc eo effectum est, ut Orientalis pars Ecclesiae malorum expers manserit gravissimorum, quibus caeteroquin oppressa fuisset. Miseriarum enim, in quas ipsa, jam relicta sibi, sensim incidit Ecclesia Graeca, ne existimetis quaeso, exiguam modo orituram accessionem fuisse, si vel omnium, quae inter Latinos mox invalescerent, unâ particeps evasisset. — Unum vel nominasse hominem sufficit, ut, a quanta clade salva et incolumis manserit, intelligant omnes et fateantur. GREGORIUM illum VII dico, quo nemo umquam vel majorem vel pejorem in rem Christianam efficaciam habuit. Hunc autem si Romanae praefuisse consideramus Ecclesiae, paucos modo annos post stabilitum penitus dissidium: — quantopere nobis pie celebranda erit Divinae Providentiae cura, quae opportuno maxime tempore, Christianorum hoc oriri schisma voluerit, ut, quae pestis magnam partem Ecclesiae infectaret per multa secula, non universam illam corrumpere posset et depravare.

Profecto beata praedicanda est Graecorum Ecclesia, in quam Gregorii illi, Urbani, Hadriani, Innocentii, Bonifacii, alii pejores etiam et impudentiores, nullam amplius vim, auctoritatem nullam haberent. Neque solam significamus ita, quae ad despotismi speciem jam plane adducta fuit Pontificum auctoritatem, qua publice pronunciare amplius haud vererentur: »de necessitate esse salutis credere, Romano Pontifici omnem subesse creaturam humanam”. At menti obversantur simul, quae, ad Tyrannidem hancce stabiliendam, cum illa conjunctissimae certe, jam, post alias aliae, ingenti numero invaluerunt doctrinae et disciplinae Christianae depravationes. Coelibatum dico, omnibus jam omnium ordinum Clericis lege impositum; quo quid aut a Divina Religione alienius, aut vitae morumque puritati perniciosius umquam inveniri potuerit, equidem nescio. Indulgentiarum memoro vendendarum impudentiam, ex hominum ignorantia et superstitione turpe et infame lucrum quaerentem. Inquisitionem significo, quique Actus Fidei impie dicti sunt, in majorem, uti credebatur, gloriam Dei, flammis caedibusque Christianos subinde pios tradentes. Ne addam Purgatorium et Transubstantiationem, quaeque: — de panis Eucharistici adoratione, de vino Eucharistiae Christianis negato, de satisfactionibus humanis, de operum bonorum thesauro Ecclesiae, alia plura occurrant humani figmenta ingenii: — has enim turpes illas doctrinae et disciplinae Christianae maculas, haec crimina sanctitatis nomine insignita, scelera haec piorum factorum specie commendata, haec omnia ab Ecclesia Graeca illius a Latinis schisma avertit.

Neque hic est unicus fructus, quem Christianis Graecis Ecclesiae dissidium tulit. Alia multa et egregia sic demum iis servata sunt; quibus, in hunc usque diem, ab Ecclesia Latina sese Graeca distingueret. His sane si Literarum annumero et humanitatis amorem ac studia, rem magnam summique momenti mihi laudasse videor. Haec enim studia, quorum, apud Ecclesiae antistites Graecae, omni tempore reliquiae superfuerunt, tunc maxime inter Graecos vigebant, cum in Occidentem omnem atra nox barbariei incumberet. Haec ad puriorem ipsis conservandam doctrinam valebant. Haec inprimis illud effecisse scimus, ut in hisce nostris Europae tractibus, Graecorum auxilio, propellerentur tandem ignorantiae tenebrae, atque immortalia WESSELI, AGRICOLAE, ERASMI, LUTHERI, ZWINGLII suscitarentur ingenia, quae meliorem Occidentis Ecclesiae conditionem pararent.

Sed in commemorandis virtutibus, quas privas sibi propriasque Ecclesia Graeca servavit, quî modestiam negligere possem et moderationem sentiendique illam liberalitatem ingenuam, quae cum illius indole semper conjunctissimae fuerunt. Non haec umquam se solam dixit Christi veram Ecclesiam. Non unicum sese habuit aeternae salutis fontem aut conservatricem. Dum vero sua magni faceret omnia et vindicaret, non Christianam tamen caritatem exuit; non in reliquos omnes Christianos despexit aut saeviit; secus vero sentientes ita tulit semper et in honore habuit, ut tolerantiae vere Christianae, iis quoque temporibus exemplum praeberet luculentissimum, quibus Christiani reliqui omnes, et Protestantes ipsi, hanc virtutem non in laude sed in vituperio ponerent.

Quod vero omnium maxime commemorandum puto, quodque vel unum cogat nos ut Divinum plane schismatis consilium, atque Graecae Ecclesiae felicitatem laudemus: integrum haec servavit sibi Sacrorum Voluminum usum. Praecluserint alii Divinum hunc religionis cognoscendae fontem; suis abstulerint solam hanc vitae vere Christianae normam; prohibitorum adeo librorum Catalogis Sacrae Scripturae versiones inseruerint: — abfuit tanta impietas ab Ecclesia Graeca. Supremo semper loco haec Sacri habuit auctoritatem Codicis; ejusque lectionem omnibus permisit, omnibus commendavit, versionibus faciliorem omnibus reddidit. Haec, haec inquam, omnium est pretiosissima et sancta Ecclesiae Graecae possessio! Quicquid enim per seculorum decursum, maculae sibi aut erroris contraxerit: salva Scripturae Sacrae auctoritate et usu, salva simul ipsi via est, qua ad omnem continuo Christianam perfectionem procedat.

Tanta A. A.! Graecorum Christianorum coetus Ecclesiae schismati debet. Quam justi vero horum omnium aestimatores ipsi Graeci fuerint, hoc quaeso e Graeci hominis, Sec. XII. verbis intelligatis. » Si Romanus Pontifex” ita ad Latinorum legatum NICETAS inquit Nicomediensis Episcopus, » Si Romanus Pontifex in excelso throno gloriae suae residens, nobis tonare, et quasi projicere mandata sua de sublimi voluerit, et non nostro consilio, sed proprio arbitrio, pro beneplacito suo, de nobis et Ecclesiis nostris judicare, imo imperare voluerit, — quae fraternitas, seu etiam quae paternitas haec esse poterit? Quis hoc umquam aequo animo sustinere queat? — Tunc nempe veri servi et non filii Ecclesiae recte dici pos-

„ semus et esse. Quod si sic necesse esset, et ita grave jugum cervicibus » nostris portandum immineret, nihil aliud restaret, nisi quod sola Romana Ecclesia libertate, qua vellet, frueretur, et aliis quidem omnibus ipsa » leges conderet, ipsa vero sine lege esset, et jam non pia mater filiorum, sed dura et imperiosa domina servorum videretur et esset. — Quid » igitur nobis Scripturarum scientia? Quid nobis Literarum studia? Quid magistrorum doctrinalis disciplina? Quid sapientum Graecorum nobilissima » ingenia? — Sola Romani Pontificis auctoritas, quae, sicut tu dicis, super omnes est, universa haec evacuat. Solus ipse sit Episcopus, solus » magister, solus praeceptor, solus de omnibus sibi soli commissis soli Deo, » sicut solus bonus pastor, respondeat."

Haec diximus A. A.! de praeclara vi, quam hactenus quidem, in ipsam inprimis Orientis Ecclesiam, ingens illud habuerit Christianorum dissidium. Emolumenta jam consideranda supersunt, quorum, nostra aetate, spem nobis et expectationem faciat Ecclesia Graeca.

Quodsi vero praesentem reputamus hujus Ecclesiae statum, tristis nostros fortasse animos cogitatio subit. Quid enim? Misera jacet, in ipsis illis in quibus exstitit primum et floruit tractibus. Conspirasse adeo videntur et Turcae et socii Turcarum, ut ipsos Graecos exstirpent. Et vero, postquam jamdudum haec gens servitute oppressa, his tandem temporibus, libertatem vindicare agressa est, saepenumero jam hi conatus generosissimi ipsi afferre interitum visi sunt.

Verumtamen A. A.! a Turcis non pendet Ecclesiae Graecae salus. Non enim antiquis amplius haec circumscribitur finibus. Non Constantinopolis, non regiones reliquae, in quibus Graeci inclaruerunt antiquitus, aut sola ejus aut praecipua hodie sedes sunt. Si vero rite velimus hodiernam illius dijudicare rationem, in alia plane loca age oculos convertamus.

Non frustra A. A.! Graecis patebant regiones immensae illae, quas, septentrionem versus, populi tenebant etiamnunc barbari quidem, et a Christi religionis omni cognitione alieni; at quorum, in omnium fere gentium fata, magna aliquando vis et auctoritas foret. Qui ab ipsius enim schismatis tempore, plane ceperat Graecos, propagandae Ecclesiae ardor; effecit idem, ut religionis omnis et humanitatis fons et origo, regionibus istis Ecclesia Graeca exstiterit. Haec Slavonicarum harum gentium Apostolos tulit. Haec stabilitae in his Ecclesiae; per multa secula, doctores dedit antistitesque. Haec, almae matris instar, cura sua et caritate Ecclesiam Russiae fovit. Sic Divinâ moderante accidit curâ, ut omnes inter populos, qui, ab Euxino Ponto ad Mare Glaciale usque, Orientales Europae partes incolunt, jam ante quintodecimum seculum, laete creverit Christi religio, et vero, ut, Constantinopoli capta et Imperio sublato Graecorum, cum ipsa jam interitura videretur Ecclesia Graeca, novam haec et tutissimam apud boreales hosce populos sedem invenerit.

Rem attigimus A. A.! quae, uti omnium maxime animadvertenda est temporibus nostris, ita ad vindicandam quam agimus causam egregie valet.

Arctissimo juncta est vinculo Ecclesia Graeca cum ingenti illo Russorum Imperio. Hinc profecto patet, quantum sit Ecclesiae hujus nostra aetate momentum, et vero exspectatio quanta! Prouti enim Divinitus jam destinata fuit, ut tanti Imperii subditos et Religionis luce Christianae bearet, et hoc modo ad cultum adduceret et humanitatem; ita sane, pro insigni quo est posita loco, in omnem Imperii hujus rationem, in progressus ejus et fata, non poterit non inposterum magnam efficacitatem habere. Quodsi consideramus, quale jam hodie sit istud Russiae regnum: quam late patens, quanta pollens potentia, qua vi et auctoritate politica in reliquos omnes Europae populos agens, quantorum denique incrementorum capax: stupenda profecto auctoritas est, quam in dies magis magisque, in omnem Europae conditionem, et politicam et religiosam, arcta illa habitura est Ecclesiae Graecae cum Russico Imperio necessitudo! — Indicasse hoc quam exposuisse praestabit. Id vero cunctis Europae populis, id caussae inprimis Protestantium gratulari merito licet: quod apud Russos Religio et Ecclesia vigeat, quae non a Christi in terris qui dicuntur Vicariis pendeat; in quam immanis haud saeviat Jesuitarum cohors; cui non alta insideat mente in Christianos omnes dominandi cupido; quae vero liberalioribus studiis ducta, non se unice spectet, at sanctam Christi religionis inter homines caussam!

Ne vero A. A.! istam modo cogitatione respiciamus, quam ipsi incolimus, orbis terrrarum partem. Quibus enim Orientem versus, Europa nostra cirumscribitur finibus, non iisdem sane et Russorum continetur Imperium. Magnam jam ipsius Asiae partem complectitur. Innumeri subsunt illi, ad ultimos usque Orientis terminos populi. Ejusmodi autem mutuo junguntur vinculo cum Russia Gentes, ad quarum abditissimas sedes, reliquis Europae populis, nullus fere aditus patet.

Hanc igitur, hanc inquam considerare juvat Russici Imperii conditionem, ut propagandae Religionis nostrae, per illos tractus, opportunitates animadvertamus. Quousque enim ingens istud Imperium patet, eo usque operatur et vim suam exserit Ecclesia Graeca. Hujus auxilio jam Christo subdita est Occidentalis late illa patens Siberiae regio. Haec novis in dies populis: Calmuccis, Buratis, Tungusis, Wodjacis, Morduinis, aliis quorum latina lingua vix nomina capit, doctrinam Christi annunciat. Quibusque omnem hactenus Religionis notitiam, ipsa regionum quas occupant natura negaverat, ad quos Brittannis adeo omnis praeclusa via est, — hi populi Graecae Ecclesiae hodie vocem exaudiunt. In ipsius Sinae jam et Japoniae confiniis Episcopales condidit sedes, non politicis inservientes propositis, sed Christi propagantes Ecclesiam et stabilientes. Neque Christianos novos hosce externis modo assuefacere ritibus atque formulis studet; non ad coecum eos Ecclesiae praestandum obsequium ducit; sed liberali studio scholas instruit ubivis, quae Optimae Religionis et humanitatis principiis juventutem imbuere possint. Sacri inprimis Codicis versiones conficiendas curat, quae Divinae veritatis fontem iis quoque aperiant populis, quorum linguae hactenus literarum adeo elementis carebant. — Quid plura? Magno cuidam et plane Divino consilio inservit hodie Ecclesia Graeca! Asiae superioris omnis et interioris populis optimum impertitur divinae benignitatis munus! Lucem accendit adeo, amplissimam hanc terrarum orbis partem universam aliquando collustraturam!

Sed haec si externam maxime conditionem Ecclesiae spectent, ne existimetis velim, interiorem ipsam rei Christianae in terris rationem, ab Ecclesia Graeca, ut se hodie habet, nulla merito expectare emolumenta posse. — Ipsi surgunt nimirum ad majorem humanitatem Russiae populi; nec potest non ad consummatiorem simul rationem progressus facere, quam profitentur, Religionis doctrina. Minime enim talis est Ecclesia Graeca, ut omnia pertimescat aut spernat, quae pristino suo statui inferre commutationes possint. Non odit non reformidat lucem, quam vel artes et literae, vel Sacri imprimis Codicis melior interpretatio atque usus, Religionis conditioni inter homines adferant. — Reformationem testor insignem, quam, emendatis Ecclesiasticis libris et Scripturae versionibus Sacrae, seculo jam XVII medio, Ecclesia Russiae vidit. Neque tum schismatici aut haeretici habiti sunt, qui emendatae rationis fautores sese praeberent et adseclas; sed qui, Rascolnicorum nomine, antiquae rationi addicti manerent. Testor inprimis Magnum illum, non Russorum Imperii potius quam Ecclesiae instauratorem, PETRUM I. Fracta est ab hujus inde tempore Hierarchiae vis; emendata cogitandi sentiendique ratio; Religionis correcta doctorum conditio; sublatus monachicae vitae abusus; liberalior ratio in omnibus adest; scholae inprimis conduntur ubivis et florent, novum, non artibus modo et literis, sed Religioni et doctrinae et pietati vere Christianae, Russos inter, vigorem parantes. Nec desiderantur hodie horum omnium uberrimi fructus. Jam magnos tulit Ecclesia Russiae viros: PROCOPOVITIOS, PETROVIOS, PLATONES, PHILARETOS, alios, nostra et recentiori memoria, doctrinae, facundiae et pietatis laude conspicuos; et vero ejusmodi scriptis suis informantes Religionis doctrinam, quae Christiana sese commendet simplicitate, quaeque ad illam jamjam accedat, quam Sacro duce Codice, Protestantium familiae variae, unanimo consensu profitentur. — Profecto haec considerantibus, optima quaeque nobis sperare licet. Per ipsam jam Ecclesiam Graecam sanior atque purior incrementa capit Divinae Religionis inter homines cognitio. Hactenus quidem cultus Dei in illa fuerit publicus a Christiana simplicitate, e nostris quidem opinionibus, multum recedens, rituum adeo et caerimoniarum pompa et prolixitate ad externam plane rationem compositus. Verum non frustra Russorum jam multi et vident meliora et probant. Nec vi sua carebunt, quae generosiora ubivis studia exsistunt. Hanc vero nobis expectationem firmant: fore tandem et fore brevi, ut Religionis et Theologiae vere Christianae pulcram et praeclaram sedem ipsa quoque Russia praebeat!

Et haec dum reputo, qui tacere diutius ipsam Graeciam possem? Expergiscitur et reviviscit, veluti e longe sopore, illustris illa artium et literarum inventrix, pristina illa Religionis Christianae et Graecae Ecclesiae sedes. Jam complures per annos, plaudentibus bonis et universa stupente Europâ, exiguae Graecae nationis reliquiae, jura, patriam, libertatem, sanctamque Religionis caussam, contra barbariei rabiem strenue vindicant. Et laeta arridet spes, fore, ut nobilis illa Helladis haud plane degenerata proles, longae servitutis jugum excutiat, interque cultiores Europae populos dignum sibi locum recipiat. — Profecto A. A.! quanta voluptate jactare sese oratio posset, quanto gaudio exsultare, si, liberatâ Graeciâ, in sede antiqua novis viribus agentem, crescentem, ad praeclara omnia jam procedentem proponere nobis liceret Graecorum Ecclesiam! — Et sane, jam surgunt Europae Principes Graecorum et Ecclesiae Graecae vindices! Jam Europam personat ingens illa Turcarum ad Navarinum clades! Justissimae jam, hisce diebus nostris, parari videtur caussae victoria! — Verum enimvero nos non vaticinamur. Non humanae est sapientiae res futuras praedicere. Deus est, Deus inquam, qui unus has tenet, et mortalibus ad ipsorum salutem occultavit. Sed idem Deus nobis facultatem dedit praeteritarum rerum et praesentium explorandarum. Et rite perspecta hodierna Ecclesiae Graecae conditione, hoc nobis licet certo affirmare: non amplius a belli cujusdam eventu Divinam Religionem in Orientalibus Europae tellurisque tractibus pendere. Nam vigent Russi juvenili vigore. Tenent illi tam in Asia, quam in Europa latissime patens Imperium. Immunes sunt iidem praejudicatarum opinionum, quibus omni aevo laboravit Ecclesia Latina. Et possunt illi et volunt studentque, una cum Codice Sacro, Religionem nostram in remotissimas proferre telluris partes.

Nec vero reticenda nobis est, in ipsa Graecia, Universitas Jonica, quae, in insula Corcyra extra Turcarum potestatem condita, studiis floret humanitatis, optimarum artium, Religionis. Dum proferunt Russi ad Sinam ad Americam usque Ecclesiae Graecae fines, hîc, in hac ipsa celeberrima Graeciae insula, lumen doctrinarum illustrat in dies magis Religionem optimam! — Haec tot ac tanta praeclarissimae caussae praesidia, non finguntur ingenio, non sperantur, nón somniantur, quasi fortasse aliquando vel probabiliter futura; sed adsunt A. A.! adsunt, et nisi magnam partem jam dudum affuissent, tantos progressus, quantas fecit hoc ipso seculo, Religio Christiana haud fecisset!

Ipsos vero Graecos propitius Deus respiciat, ut quibus excruciantur miseriis, caedibus, martyriis benigne finem imponat! quaeque generosiora illos inter eluxerunt studia, servet, sustentet, augeat! — Sic in ipsa tandem patria sua meliores videat dies Ecclesia Graeca! Quaeque in summis istis Graeciae tam diuturnis aerumnis, antiquam Graecis et linguam servavit et

Religionem et libertatis simul amorem et expectationem; haec dignum illud curae suae tandem pretium ferat, ut, quod testatur Russia, quod loquitur Asia, quodque hac oratione probare equidem studui, idem ipsa aliquando Graecia doceat: *Ecclesiam Graecam Divinae esse Providentiae testem!*

Sed vereor A. A., ne justo in hisce longior fiam. Quare eo veniam, quo non mei modo officii ratio, sed ipse dudum animus vocat. Reputantem enim quid sit, quod in amplissimum huncce ego iterum locum processerim, gratissimus me perfundit animi sensus, quem pietas jubet, ut vobis testificer Perillustres hujus Academiae Curatores! qui Optimo Regi suasores fuistis, ut, quem, ante hos quatuor annos, in me honorem detulit, eumdem nunc tam insigniter auctum vellet. — Equidem sentio arduam esse ac laboris et periculi plenam provinciam, quam suscepi; et tenuitatis conscius meae, et quibus quantisque aut succedam ego aut accensear viris considerans, parum abest, quin in hac ipsa felicitate mea tristis et miser jaceam! — Verum adsunt quae depressum erigant et sustentent animum! Superest inprimis benignissimi cogitatio Dei, quem uti auxiliatorem adhuc, in docendi etiam munere, expertus sum Optimum; ita mihi, in sanctissima caussa quae in me sunt ponenti omnia, neque in posterum defuturum et spero et confido. — Quare hoc vobis persuadeatis velim Illustrissimi Viri! licet verba desint, quibus, quas habeo, gratias vobis satis testificer, non tamen voluntatem deesse maxime sinceram, ut factis probem, quanti vestram de me exspectationem faciam, et vero quantopere talis fieri annitar, qualem me sancta Religionis et Ecclesiae caussa, disciplinae quam profiteor emolumentum, Leidanae denique Palladis gloria postulant!

Sed et vos mihi adestis Cl. Theologiae Professores! Collegae conjunctissimi! Nam vestram si doctrinam aut nominis celebritatem solam spectarem, etsi satis haberem quod in mediocritate mea fere animum desponderem; illud tamen in felicitatis meae haud infima parte pono, quod salutare vos collegas liceat, quorum et fama mihi incitamento, et doctrinae copia exemplo esse et emolumento possit; quorumque consiliis, familiaritate, amicitia utens, talis in dies magis evadam, qualem uti esse cupio, ita nondum evasisse scio. — Haec igitur tu mihi praebere pergas, venerande

VAN VOORST! Academiae nostrae Nestor! cui equidem ut otium gratulor, quod nactus es honorificum; ita spero fore, sperantque boni omnes, ut idem otium in vegeta senectute literarum Ecclesiaeque saluti diu adhibeas. Haec a vobis ne, in posterum quoque, desint mihi Optimi CLARISSE et SURINGAR! quorum benivolentiam ego semper plurimi faciam! — Haec a te item peto integerrime VAN HENGEL! quem uti jam suum esse Leida laetatur, ita mihi esse Collegam gaudeo! — Sic nos invicem Praeclarissimi Viri! mutua illa jungat caritas, quae Christianos inprimis Theologos decet; quaque non statione tantum et munere, sed voluntate et animo conjuncti, omnium maxime et generosae huic juventuti, et Patriae, et Ecclesiae prodesse possimus!

Neque tuum a me reticeatur nomen, celebratissime VAN DER PALM! — Profecto magnum est tua benivolentia et amicitia frui. Quod, si mihi per quadriennium hocce contigerit, non sane mihi id tribuo, sed tuae qua conspicuus es humanitati; et vero piae cum beati patris, tum summi EWALDI illius memoriae, qui uti carus tibi fuit amicus, ita patruus mihi et fautor, post fata quoque omni semper pietate colendus. — Tecum jam in posterum arctior intercedet mihi, muneris quoque, necessitudo. Quod uti honori est mihi, ita gaudio maximo. Nam ita sentio: quo quis est tecum conjunctior, eo abesse poterit ab omni humanitate propior. Vive diu Vir Summe! sic ut vivis: Litteris, Ecclesiae, immortalitati! Quodque Leidae Numen favet, ab illius et patriae et religionis caussa, summam diu avertat calamitatem!

Vobis autem omnibus, omnium doctrinarum Professores! Viri Clarissimi! multis me si commendarem verbis, vestram vel neglexisse viderer, qua novum me hominem excipere et prosequi haud dedignati fuistis humanitatem et amicitiam. Hanc vero uti plurimi facio et vehementer expeto, ita nec defuturam confido, dum, gratulantibus vobis, in amplissimo vestro ordine ipse locum capescam. Illud vero scitote; collegam vos accepisse, vestrae, qua cumulatissimi estis, laudis cultorem; cuique illud maxime curae erit cordique, ut, cum animi candore et integritate, tum pro communi literarum et disciplinarum emolumento ardore, se vobis commendet!

Et haec ea sunt, quibus vobis quoque me esse acceptum cupio Generosissimi adolescentes! vobis inprimis commilitones Optimi! qui ad praeclarissimum vos accingitis annunciandi Euangelii munus! Equidem vobiscum praeclaros hosce viros colo, et vestram felicitatem laudo, quibus tales habere duces et praeceptores contingat. Horum vero in numero si jam a vobis omnibus haberi ipse cupio, ita hoc facio, ut ducem me accipiatis velim aetate vobis propiorem, cui grata semper erit consuetudo et familiaritas vestra; cuique nihil exoptatius erit, antiquius nihil, quam omni labore et studio commodis inservire vestris; atque in istis, quas profiteor disciplinis, germanam vobis monstrare viam, qua ad Theologiam accedatis liberalem, doctam, piam, vere Christianam!

DIXI.

⁂

VINCENTII JOSEPHI DE SAINT-MOULIN,

EX HOUDENG-AIMERIES, IN HANNONIA;

PHILOS. NATUR. ET MATHES. CANDIDATI SUMMA CUM LAUDE RENUNTIATI; TUM MEDICINAE STUDIOSI IN ACADEMIA GANDAVENSI,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM E RE HERBARIA ET OECONOMIA RURALI,
AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET
PHYSICARUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA
A. MDCCCXXVII PROPOSITAM:

Plantae alicujus, quae ad vitae usum coli solet, exponatur historia naturalis, ejusdemque anatome, physiologia, analysis chemica, cultura et usus.

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT D. VIII MENSIS FEBRUARII
A. MDCCCXXVIII.

Eruditi habendi sunt, non qui multa legerunt aut didicerunt, sed qui utilia; et cuique maxima laus est civitati inservire.

RESPONSIO
AD
QUAESTIONEM BOTANICAM.

INTROITUS.

Magnae sunt profecto et ubivis opes conspicuae, quas Botanicae studium nobis attulit, iique eandem hanc doctrinam certe laudabunt, si maxima nôrint, quae inde accepimus omnes, commoda. Quantus enim in vita communi, quotidianus usus! Quantus ad victum amictumque! Quanta bene multarum medica virtus! Quot tandem inveniuntur, quarum magna est in plurimis artibus utilitas! Quarum igitur omnium naturam rite cognitam habere cujusvis hominis multum interest. Tantis igitur causis allectus, laborem in Quaestionem Celeberrimae Academiae Leydensis impendendi periculum feci, atque in ea ut patrii soli divitias extollerem, accidit voluntas. Soluta nobis erat plantam eligendi optio; sed quoniam pleraque, si non omnia, cerealia analysi jam subjecta sunt, quibus addam Solanum tuberosum, deliberatum et constitutum mihi fuit, arborem utilissimam eligere, nempe Quercum Robur, cujus plantae glandes, quibus singulus exuberat annus, praeterea majorem merebantur attentionem. Et profecto si quid juvenilem animum ad majora tentanda accendere possit, illud est, quod mihi accidit. Diligentem in glandes collocare operam, uti noscantur viae quibus ad illas, annonâ premente, confugere liceret, quid, quaeso, juveni scientiae cupido, optabilius, quid utilius? Propria itaque me commovit utilitas ad haec suscipienda. Atque profecto jam maximos inde accepi fructus; glandes enim omni amaritudine, et simplicissimâ quidem methodo, tandem destitui posse, compertum manet.

Quae cum ita sint, arduum quidem opus et viribus impar adortus sum, et in suscipienda hacce materiâ quasi temere impulsus juventute feci. Quoniam quidem semel suscepi, licet undique in me pericula impendeant omnia, hoc opus, si Vos aliquâ indulgentiâ allevabitis, feram, quantum in me, studio et industriâ, Clarissimi Judices! Quod si perferre non potero, opprimi me onere operis malo, quam id, quod mihi cum scientiae et studii cupiditate impositum est, propter animi infirmitatem deponere. Vos quoque magnopere, O Optimi! quaeso, ut quales Vos semper commilitonibus antea praebuistis, quum eorum dissertationibus iidem judices praeëssetis, tales Vos et mihi hoc tempore impertiatis. Quapropter Vos oro atque obsecro, Judices, ut bonâ cum veniâ juvenile meum opus accipiatis!

Vix opus ut hisce addatur ordo quem hac dissertatione servavi, cum quaestionis formâ abunde indicetur. Primo igitur capite exhibebitur Historia Naturalis; secundo Anatome; tertio Physiologia; quarto Analysis Chemica; quinto Cultura, et sexto tandem Usus enucleandi obveniunt.

CAPUT PRIMUM.

QUERCÛS ROBORIS HISTORIA NATURALIS.

Inter nostrates praecipuum sane locum obtinet Quercus Robur, et Rex arborum Europae salutanda est. Sua quippe magnitudo, crassities, formae robustiores, ligni durities ac robur, frondium densitas, omnia tot sunt voces, quae laudes ejus prae caeteris extollunt. Nimirum majores nostri, quibus animam omnibus Naturae productis tribuere mos erat, Quercum singulari quidem veneratione prosecuti sunt. Imo Dodonae vates, postea Gallorum sacerdotibus altarii loco fuit: sub ejus tegmine Druidae, in Supremi Numinis honorem, hymnos concinebant. Verum enim Graeci et Romani querceam coronam pro praemio vel eximio semper habuerunt, et venerandus civis illâ decoratus, semet quidem magis honoratum quam si vel apud reges quam maximâ valuerit gratiâ, censebat. Omnibus ita splendor! Rerum vero nunc immutata est facies; planta quippe tantum utilis, et Divina Jovis arbor, mysteriorum fabularium honores olim adepta, nil nisi materiem ad aedificia, rem nauticam, etc. tanquam offerens habetur. Atque ita si laudes Antiquorum non obtineat, ea saltem quae meretur, praeconia, é fonte quidem saniori procedunt.

Descriptio Botanica Plantae.

Sermone graeco	δρυς
« « latino	Quercus cum longo pediculo; Bauh. Πιναξ, lib. II. sect. IV. Tournef. cl. 19, arbores amentaceae, *Quercus Robur:* foliis deciduis, oblongis, superne latioribus, sinubus acutioribus, angulis obtusis, Linn, cl. 21, Monoecia polyandria; ord. natur. 50, Amentaceae; Jussieu, cl. 15, ord. IV. Amentacées. Corylacées, Mirb. Cupulifères, Rich.
« « patrio	Ongesteelde Eik.
« « gallico	Chêne à grappes, Chêne roure, etc.
« « anglico	Oak.

Floret Aprili, Maio. ♄.

Radix:	caudex descendens, fortissimus, altissimus.
Caudex	adscendens arboreus, crasssus, ercetus, ramosissimus: Cortice crasso, aspero, in antiquo sulcato, fusco; in tenello autem glabro, cineraceo.
Rami	patentes, tortuosi, in comam densam latamque conferti: ramis junioribus quinque angulis et ideo sulcis instructis.
Gemmae	stipulaceae, ovatae, exstantes, obsolete quinque angulares, instructae squamis 20—30, alternis; quinquefariam imbricatis; ovatis; angustis.
Stipulae	binae, lanceolato-lineares, integrae, deciduae.
Folia	tenella conduplicata; adulta alterna et in helicem disposita, oblonga, semper glabra, superne latiora, sinuoso-pinnatifida, lobis rotundatis et subirregularibus; supra levia, subatro-virentia; subtus subglauca, nervis laterali-obliquis nota; marcescentia.
Petioli	teretes, brevissimi; e ramorum angulis oriundi.
Flores	monoeci * mascula amenta laxa, pendula, filiformia. Calyx Perianthium monophyllum, membranaceum, subquinquefidum: laciniis acutis; deciduum. Staminum filamenta decem, brevissima. Antherae longiusculae, didymae.
* *	Feminei flores inferiores, pedunculo communi affixi, Involucrum triflorum? e plurimis foliolis, inaequalibus, imbricatis. Calyx superus, hexaphyllus, foliolis minutissimis, pubescentibus, basin styli incrassatam cingentibus, eidemque arcte adpressis. Corolla nulla. Stylus brevis, subpyramidatus, Stigmata tria, quatuor, quinque, reflexa, persistentia. Ovarium inferum, triloculare: ovulis geminis in singulo loculamento, basi affixis; ovatum, minimum. Pericarpii nux ovato-cylindrica, coriacea, glaberrima, basi cincta persistente involucro (cupulâ), hemisphaerico, extus tuberculato; matura unilocularis, evalvis, monosperma, non dehiscens. Semen compactum bilobum, rufescens aut ferrugineum.
Cotyledones	semi-ovatae, carnosae, crassissimae; Perispermum nullum.
Embryo	inversa; Radicula brevis, retracta, subovata, supera.

Arbor 30 — 35 ulnarum.

Statio. In sylvis, et juxta vias ubique.

Obs. Pedunculorum longitudine variat; hinc Linnaei species a nonnullis in binas species distinguitur: Willdenow *Quercum Robur* vocavit, et Cl. Smith *Quercum*

cum sessilifloram illam quae nuces brevi pedunculo adfixas gerit, et speciei typum instituit; quae verum aberratio glandes longo pedunculo suffultas habet, haec a Willdenowio *Quercus pedunculata*, a Cl. Smith vero, *Quercus Robur* dicta est. Omnino tamen male se res habet; observationibus enim Cel. Léman et Turpin (1), aliorumque, in eandem plantam occurrere nuces sessiles atque pedunculatas, notum manet. Jure igitur ac merito *Quercum pedunculatam* (*Querc. femineam*, Mill.), Cl. Desfontaines (2) pro mera aberratione, uti jam antea Immort. Linnaeus docuerat, tenet.

CAPUT SECUNDUM.

QUERCÛS ROBORIS ANATOMIA.

Ad organorum Quercûs structuram rite explanandam, ita procedendum esse mihi videor, ut de variis ejus organis, quae Natura nunquam adhibet inutilia, separatim agam, eaque in binos ordines dispertiri constituimus; quorum prior organa ad Individui servationem, posterior vero ad speciei propagationem spectantia, comprehendit.

ORDO PRIMUS.

DE ORGANIS AD INDIVIDUI SERVATIONEM IDONEIS.

SECTIO PRIMA.

De Trunco et Ramis.

Quercûs Roboris junior ramus transverse resectus, nobis offert aream decagonalem cum quinque exstantibus et quinque recedentibus angulis. Hi anguli, regulariter dispositi, in ratione cum foliorum dispositione in ramis quidem ponuntur. Quae in hocce canali medullari, pentagono nempe, continetur, medulla, e contextu celluloso, uti vegetabilium omnium medulla, omnino constat. Cellulae ejus, in genere longitudinales in series dispositae, formam prae se ferunt hexagonalem, quibusdam in locis sat regularem, in aliis autem plane irregularem. Hacce medullâ cum acido nitrico ebullitioni commissa, omnes cellulas observavi se invicem sejungentes, quae tot vesiculae distinctae sistunt, formam primitivam servantes.

---

(1) Mérat, Flore des environs de Paris, p. 381. 1812.

(2) Catal. Hort. Botan. Paris.

Medullae querneae singula cellula gerit plura corpuscula subrotunda, in marginibus opaca, in medio autem pellucida (Fig. 1). Haec corpuscula parvae sunt cellulae globosae, materiâ subviridi translucidâ repletae: quae cellulae more corporum sphaericorum translucidorum, radios luminosos in focum cogunt, et ideo opacae, ut physica docet, in circuitu videri debent. Haec thesis sequentibus imo probatur, quod si Quercûs medulla cum acido nitrico calefiat, magna pelluciditas cellulis impertitur, et corpuscula illa omnino fiunt opaca; centrum eorum jam nullum quidem luminis radium emittit. Scitur praeterea fluida acidis concreta, alcalibus dissolvi. Quaedam igitur fragmenta istius medullae, cujus corpuscula acido nitrico opaca evaserant, laminae vitreae superposui, quae dein tegi magnâ guttâ solutionis hydratis calcis; quo facto, laminam vitream flammae lychni spiritu vini confecti, caute exposui, quae dissolutioni faveret; contextu celluloso post quaedam minuta, microscopio examinato, omnia corpuscula in medio translucida, cum tinctu subviridi, uti in statu naturali, deprehensa sunt. Alcali proinde fluidum acido nitrico concretum dissolvit, illumque translucidum effecit. Ex his itaque patet, corpuscula illa subrotunda nihil aliud esse nisi minimas cellulas globosas quae fluido acidis concrescibili, alcalibus autem solubili, sunt impletae.

Caeterum, cellulae medullares nil nisi aërem includunt in ramis Quercûs vetustis; in turionibus autem hae cellulae fluidum pellucens calore et acidis concrescibile, in hisce tamen solubile, continent. Cujus rei certior factus sum, tenuissimum medullae segmen in aquam immittendo; in hocce nempe translucenti segmine tantum microscopio observavi cellulas pellucidas, in quarum parietibus corpuscula globosa sat magnâ quantitate deprehenduntur. Illâ caeterum medullae offulâ in acido nitrico frigido per unum vel duo minuta, maceratâ, plures cellulas fieri opacas cernere datum est, dum aliae pelluciditatem servant (Fig. 2.). Inprimis autem hae cellulae opacae prope vaginam medullarem fiunt numerosiores. Si cum acido nitrico calefiat illud medullae segmen, cellulae, quae opacae evaserant, pelluciditatem rursus obtinent.

Vagina medullaris, seu stratum peculiare ligneum medullam immediate cingens, cui forma pentagona, cylindrum efficit à Quercûs vertice ad basin usque continuum, sed in singulo novo turione leviter contractum (1); in illa trachae non tantum in prima ma aëtate, verum etiam in truncis jam aetate provectis, sese evolventes deprehenduntur (1). In genere tubos longiusculos sistunt tracheae, qui tubi in spiras conicas acutissimas quidem desinunt (Fig. 3.)

---

(1) De Cand. organograph. végét. tom. 1. p. 165; et pl. 3. fig. 3.

Quando Quercûs vegetatio jam provecta est, hujus contextus cellulae deplentur, sensim sensimque siccantur, coloremque induunt fuscum; tela tum medullae cellularis solidificatur, dura fit atque compacta, formam tamen suam primitivam continuo servat. In truncis aetate provectis medulla stratis ligneis adeo comprimitur, ut fere nulla quasi cernatur; nunquam tamen omnino aufertur, uti observationibus notum manet (2).

In sectione horizontali Quercûs rami conspicuae praeterea fiunt lineae, quae, e medulla proficiscentes, divergendo corticem attingunt. Horum radiorum medullarium simplicissima est fabrica; tantum formantur cellulis in sensum horizontalem elongatis; meatibus etiam intercellularibus instruuntur; e centro ad circumferentiam et vice versâ directam ponunt communicationem; in nulla vero circumstantia succos coloratos per illos transeuntes vidimus. Hi radii medullares, fasciae nempe verticales, illas rufescentes maculas in assibus quercinis oblique siccis conspicuas producunt. Quis nostrum non novit, quod hae asses, ita primum in nostra patria confectae, in errorem adduxerint Franco-Gallos aliosque? Putaverant enim illas e specie nova provenire. Hinc olim apud illos dictum: Chêne de Hollande.

Inter medullam centralem et corpus corticale, reperimus zonas concentricas, quibus nomen corpus ligneum seu lignea portio. Ea pars, arboris partem solidam efficiens, in vetustioribus truncis sub duplici vario quidem statu offertur: 1°. strata centralia; duriora, magis colorata, stratis externis aetate praestantia, lignum seu duramen audiunt; 2°. strata vero externa, teneriora, porro leviora, coloris albi intensioris, aetate minora, alburnum vocant. Haec alburni strata, quae pluribus fasciculis quovis anno superpositis constant, in lignum successive abeunt, et quidem eo citius, quo vividior est vegetatio.

In ligno Quercûs transverse resecto, vel oculo nudo deprehenduntur orificia crassorum tuborum, quorum superficies lineas transversas obscuras una cum punctis obscuris, offert. Uti naturam et indolem linearum opacarum notam habuerim, cum forti solutione aquosâ hydratis calcis querceum textum acido nitrico antea praeparatum calefeci, illae lineae opacae brevi translucidae factae sunt. Item fuit de corpusculis globosis. Hi crassi tubi corpusculiferi, in omni systemate centrali reperiundi, praesertim in stratorum annuorum intervallis deprehenduntur (Fig. 4). Nihil caeterum difficilius, in statu naturali, quam observatio microscopica partis lignosae systematis centralis; tollitur tamen difficultas methodo quam adhibemus (1). Si scilicet tenue quernei ligni fragmentum cum acido nitrico in phialâ calefiat, partes ejus constituentes brevi disjunguntur, minori quidem vi disgregantur, earumque tum observatio microcospica jam est in facili. Hâccè methodo docemur lignum majori parte componi tubis in medio eorum inflatis, et binis extremis in acutum acumen desinentibus (Fig. 5), hi tubi, alii aliis paralleli, ita ponuntur, ut pars eorum inflata parti tuborum vicinorum acuminatae respondeat. Idem tubi fusiformes replentur succo concrescibili, qui senescendo colorem intensiorem duritiemque majorem obtinet; imo ligni et alburni durities ab hujusce succi naturâ in eorum textu depositi deducenda est, non autem ab ipso textu, qui unus et idem videtur; textus enim Quercûs et Populi albae similis est factus, cum acido nitrico materies in illo contenta dissoluta fuerit. In singulis praeterea ligni et alburni stratis, vasa annularia (2) et punctata (3) reperisse nobis contigit. Hi postremi tubi, uti tibi illi fusiformes, inter quos plures sepimento transverso, alios etiam duobus vel tribus sepimentis divisos vidimus (Fig. 6, *a*, *bb*), intertexti sunt textu celluloso quem divisimus in fila longitudinalia, serie cellularum composita (Fig. 7). Hicce textus cellularis elongatus tegitur, ut medulla, corpusculis globosis (Fig. 1.), modo admodum irregulari positis. Aliquando tamen hujus telae cellularis elongatae portiones fuerunt observatae quae in mediâ cellulâ offerebant corpus lineare longitudinaliter positum, ut videtur in *b* (Fig. 7); hocce corpusculum forti vitreâ lenticulâ examinatum, videtur formatum serie quatuor vel quinque corporum globosorum ordine positorum, ut videtur in *a*. Textus cellularis elongatus de quo nunc hîc sermo, radios medullares producit. In turionibus vel junioribus ramis, tela cellularis elongata et corpusculifera, cum tuborum fusiformium fasciculis mixta, quae nimirum et medullae lateralis emanatio sistit, in sensum longitudinalem elongatur (*cd*, Fig. 7); in trunco vel in crassis ramis, res longe alia: textus enim cellulosus in *d o*, i. e. in sensum transversum elongatur, eoque modo formantur radii medullares, qui textu celluloso elongato exclusorie componuntur.

---

(1) Mirbel et Du Petit-Thouars; Vid. De Candolle, Organographie végétale, tom. 1. p. 165.

(2) Knight, Trans. Phil. 1805; Du Petit-Thouars (Essai sur la végét. XI, pag. 205, lu à l'Institut en 1805, et XIII, pag. 4, etc.)

In alburnum maximam vim exerunt quaedam media. Jam enim Quercus tempestatibus vel in locis humidis crescentes, in genere majorem alburni copiam quam illae in locis vel aestatibus siccis, acquirunt. Illud et Cl. Duhamel asserit, quod

---

(1) Cl. Dutrochet debetur haec agendi ratio.

(2) Malp., Oper., in 4., v. 1. pl. 5, fig. 21. Mirb., Anat., pl. 1. fig. 9. Elém., pl. 10, fig. 8, 9, 13. Link, Ann. Mus. v. 19, pl. 17, fig. 3, 5, 9. Kies. Mém., org. pl. 11. fig. 49, 50.

(3) Mirb. Anat. pl. 1. fig. 6, 8; Elém. pl. 10, fig. 5, 6, 7. Rud. Anat. pl. 4. fig. 7. Kies. Mém. Org. pl. 9, fig. 39 et pl. 14, fig. 66, 68. Auctor, fig. 4.

In variis Quercubus alburni strata septem ad viginti quinque numerentur; sic etiam alburnum aequale fit ligno in Quercu sex pollices in diametrum habente.

Quum alburni novus annulus quotannis crescat, non aliter singulis annis novum ligni stratum obtinet: hinc annulos in trunco transverse scisso concentricos observamus, qui generaliter arboris aetatem indicare possunt (1). Illa vero strata non semper perfecte fiunt concentrica, i. e. non aequalem in omni peripheriâ crassitiem obtinent: cujus rei ratio in sequentibus facile invenitur; radix enim crassa, si majorem nutrimenti copiam accipiat, ad partem trunci respondentem majorem quoque succi quantitatem advehit, hinc strata ibi crassiora. Eâdem etiam causâ Quercus ad sylvarum oras sitae stratis ligneis luminis et aëris actioni expositis major crassities impertitur.

Hucusque quae dicta sunt, ad systema Quercûs centrale pertinent; nunc autem de corpore ejus corticali tempus admonuit. Jam itaque, inter corticem et corpus lignosum quod circumdant, cernimus strata juniora recentiora, magisque flexibilia (Liber) (2); e pluribus cellularum elongatarum arctarumque fasciculis constant; ita ut diversi fasciculi certis in spatiis radiis medullaribus, qui corticem cum medullâ connectunt, intertexti sint; inter hasce cellulas, vi vegetationis, vasa succum descendentem vehentia explicantur; ad partem systematis corticalis internam novus libri fasciculis crescit; in laminas reticulares sejungere licuit.

Hisce stratis junioribus superponuntur strata antiquiora, coloris fusco rufescentis, proprie dicta *strata corticalia*; plurimus laminis tenuissimis et superpositis composita, novo libri annulo quotannis crescente producuntur, corpusque formant solidum strato ligneo analogum; radiis in librum transeuntibus intertexta sunt. In illis vasa annularia; vasa propria, quae stratis quotannis sese formantibus compressa, tandem fere tota quanta obliterantur, et ductus intercellulares inter se relinquunt in circulationem succorum propriorum. Quercus, praeter haec, systematis corticalis tubi fusiformes paulo longiores quam tubi corporis centralis, nobis videntur; corpusculis globosis, uti in systemate centrali, orbantur; fasciculi eorum textu cellulari corpuscolifero plane simili textui medullae cellulari, intertexti sunt. In illis etiam, et sat magnâ quantitate, reperiuntur cellulae repletae succo concrescibili acido nitrico frigido, et in eodem acido calefacto solubili.

---

(1) Origo horum annulorum probabiliter in eo est posita, quod cambii secretio non sit continua, sed quotannis interrupta; ita ut lignum et alburnum a cambio productum, hujus interruptionis signa ferat, et ut eodem modo ac cambium etiam lignum per strata annua debeat formari. Generaliter secundum hanc explicationem annuli aetati arboris respondere debent. Exceptio autem regulae aderit, si vel per totum hyemem annuli formatio pergat tempestate per totum annum fere vernali vel si bis per unius anni cursum cambii secretio interrumpatur, quo in casu duo annuli minus tamen distincti, eodem anno formabuntur.

(2) Duhamel, Phys. arb. 1. pl. 1. fig. 17.

Extra haec strata corticalia, reperitur telae cellularis zona, cui nomen *Parenchyma corticale*, ¾ partes systematis corticalis formans. Componitur textu celluloso regulari subrotundo, cujus cellulae, in juniori aetate, potissimum replentur substantiâ subviridi principium scytodepsicum continente; in illo etiam tubi fusiformes nec non vasa propria fascicularia eandem substantiam scytodepsicam continentia (1). Quercûs parenchyma, per quoddam tempus leve et unitum, cum, stratis corticalibus sese explicantibus, nimiam extensionem ferre postea nequeat, in longum rumpitur, fissurasque offert irregulares, atque lentâ et irregulari fragmentorum sejunctione destruitur: fissurae illae etiam altiores fiunt, si strata corticalia exteriora, uti parenchyma, findantur.

Illud Parenchyma corticale obtegitur membranâ exteriori, tenuissimâ, glabrâ, coloris cineracei, Epidermis dictâ; in eâ pori tenuissimi, seu stomata; (Fig. 8). Cellulis externis parenchymatis corticalibus formatur. Dimensione naturali acquisitâ, turio in longitudinem crescere desinit; primum itaque epidermis fit opaca, dein siccatur, rimulisque innumeris fatiscessit: in totum igitur vel partim destruitur. In illâ nulla vasa reperiuntur, si microscopio examinatur; formam reticulatam offert, cujus retis septa, male a nonnullis pro vasis habita (2), loca indicant ad quae epidermis cum telâ cellulari caeterâ conjungitur.

SECTIO SECUNDA.

De Radice.

Quercûs Roboris radix ad magnam quidem profunditatem pervenit; **Duhamel** observavit radices Quercuum juniorum jam fere ad quatuor pedum profunditatem extendi, quando caules vix sex pollices supra solum elevantur. Dum truncus in omnibus partibus crescit, radix tantum extremitate producitur.

Quercûs roboris radix, in systemate suo centrali, nobis offert tubos fusiformes mixtos cum crassis tubis qui formâ, crassitie nec non eorum positione cum magnis trunci tubis corpusculiferis congruunt (Fig. 4.), nullum vero corpusculum globosum in eorum parietibus observare potuimus: quod e tenuitate et magnâ corpusculorum pelluciditate deducendum videtur.

Textus cellularis elongatus in crassis radicibus disponitur in radios medullares concentricos, in radiculis autem in fila longitudinalia. Corpuscula globosa in illo contenta, omnino quidem pellucida sunt, nec opaca redduntur acido nitrico: hinc etiam minus visibilia quam trunci systematis centralis corpuscula. In radicibus nulla medulla, nec vagina medullaris, nec tracheae. Nimirum canalis medullaris, qui totam trunci longitudinem percurrit, in collo radicis protinus sistit, ubi fundulam seu angiportum efficit (1); medullae vero centralis defectus a magnâ parenchymatis corticalis, medullae exterioris nempe, explicatione compensari videtur (2).

---

(1) Mirb., Elém. pl. 10. fig. 17. Théor., éd. 2. pl. 3. fig. 12.

(2) Amici, Oss. micr. fig. 25.

Querneae radicis systema corticale, quoad structuram anatomicam, a corticali systemate trunci, essentialiter non differt; tantum non mihi contigit observâsse cellulas sui parenchymatis continere fluidum acidis concrescibile; in illo praeter haec nulla stomata (3).

Omnino peculiarem structuram habent radicularum extrema; quando enim tubi ad haec perveniunt, immediato modo foras non aperiuntur; in telam vero cellulosam, penitus arctam, cellulis rotundatis conflatam, mutantur: nullum igitur fluidum videntur tubi illi absorbere posse, nisi quod prius in cellulas telae cellularis penetraverit.

Radicum crassitudo et directio in Quercu saepissime respondet ramorum majorum crassitiei atque dispositioni; sic si ramus fortior versus partem lateralem unam dirigatur, versus eandem partem radicem majorem extendi videmus; hoc phaenomenum e tuborum continuitate videtur explicandum, qui radice ad caulem rectâ viâ adscendunt: eidem causae attribui debet consensus ille qui existit inter rami et radicis sibi respondentium processum vegetationis; si enim ramus major e foliis tempore aestivo denudetur, radicem ei respondentem languentem animadvertimus.

SECTIO TERTIA.

De Gemmis.

In Quercu, gemmae folia et flores simul includunt, praeterea sunt stipulaceae, i. e. stipulis formatae; cum petiolo igitur non connatae. Vere novo evolvi incipiunt, paulum increscunt per aetatem, perulâ tectae hyemem transeunt, tandemque subsequenti vere explicantur.

---

(1) De Candolle, Organogr. végét. tom. 1. pag. 242.

(2) Vid. Grew, pl. 14. fig. 1. 2; pl. 15.

(3) De Cand., pag. eâd.

Gemmae, telâ cellulari medullari in principio formatae, oriuntur e radii medullaris respondentis prolongationibus, fasciculoque tuborum cinguntur, qui tubi cum tubis eumdem radium cingentibus communicant: omnes hae partes corpus corticale perfodiunt, et foras prodeunt. Caeterum, cum corpore lignoso ineunt communicationem, vestiuntur et cortice, continuatione scilicet corporis corticalis. Simul ac elongari incipiunt, canalem medullarem ut junior caulis, stratumque lignosum offerunt; ipsis vero crescentibus, basis earum strato ligneo, in quo sunt ortae, quasi includitur (1).

Gemmae terminales, crassiores nempe, fortiores nec non praecociores, a lateralibus differunt, in eo quod e medullae continuitate et medullari ejus canali proveniant; terminalis igitur gemma ramum continuat.

SECTIO QUARTA.

De Foliis.

Folia Quercûs sunt articulata, i. e. cauli non nisi tubis haerent, proinde decidua fiunt. In foliis organa illa quae dispositionem annularem in trunco habent, in planum extenduntur. Formantur fibris e trunci massâ oriundis, quae fibrae ita expanduntur, ut singulus tubus a ceteris separetur, eoque modo orificium suum tandem sejunctum habet (2). Hisce positis, foliorum structura facilius eruenda videtur.

Verum enim, quamdiu fibrae e trunco proficiscentes, fasciculum simplicem nec expansum formant, illam brevissimam partem, seu petiolum, constituunt. In Quercu, petioli forma teres est; haec autem inprimis a decursu et divisione vasorum pendet: si v. g. vasa juxta longitudinem decurrentia, in cylindri formam junguntur, petiolus teres nascitur. In petioli structuram inquirentibus, eadem, quae in foliis inveniuntur, nobis occurrunt vasa, quae tenuissima scilicet, telâ cellulari elongatâ junguntur, et sic trunci speciem formant. Tubi fusiformes, quos jam in ligno reperisse diximus, etiam ad partem petioli exteriorem inveniuntur, corticemque, ut ita dicam, petioli formant; ad interiorem vero partem exstant tela cellularis elongata et corpusculifera, nec non crassi tubi quorum corpuscula in lineas longitudinales cum symmetriâ disponuntur (Fig. 9). In centro tandem petioli, reperimus tracheas spiris in statu naturali non se evolventibus, quas vero mediante in acido nitrico longâ ebullitione penitus evolvere licuit.

---

(1) D. C. Organogr. végét. tom. 1. pag. 197, 198. Koeler, Lettr. sur les boutons, fig. 1—7.

(2) D. C. id. opus, tom. 1. pag. 267.

Nunc autem fibris, quae in petiolo telâ cellulosâ compactae sunt, se expandentibus, nascitur discus foliorum. Ea vasa, simul ac ad disci basin pervenerunt, juxta ejus longitudinem decurrunt, et costam folii principem formantes, varios emittunt ramos laterales; rami vel hae costae in plures secedunt ramulos, qui rursus in minores abeuntes, plurimis anastomosibus junguntur, unde plexus ille reticularis egregius, opus quasi phrygianum, vulgo folii sceletus. (1).

Unde vero deducenda videtur loborum formatio? Thesim sequentem ipso hoc anno proposuit Cl. De Candolle, quam ex ipsâ foliorum structurâ eruit (2). « Chaque fibre," inquit Vir Solertissimus, « étant formée de vaisseaux et de tissu cellulaire entremêlés, celui-ci se développe quand l'écartement des vaisseaux lui en laisse la place, et il tend alors à combler les intervalles. Ceux-ci étant de la sorte remplis de tissu cellulaire, l'ensemble paroît entier; mais il peut arriver que les vaisseaux divergent trop relativement à l'accroissement du tissu cellulaire, pour que celui-ci puisse occuper tout l'intervalle qui les sépare, et alors il remplit seulement une partie de l'angle qu'ils forment entre eux; et de ce que le tissu cellulaire ne comble pas l'intervalle entier, il en résulte un angle rentrant, qu'on appelle un sinus" (3) (Vid. Fig. 10).

Quidquid ita sit, in disco duae facies, quarum superior coelo obversa est, inferior vero tellurem respicit. Vasorum interstitia replentur contextu celluloso, in quibus cellulis materia viridis parenchymati corticali analoga deprehenditur. Cellulae paginae superioris altius sunt formae quam cellulae inferioris paginae: cellulae enim hujus paginae magis in latum extenduntur; illae autem magis in longum extensae, et ad folii planum perpendiculariter sunt dispositae. Cellularum superficies exterior aëre siccatur, formaturque Epidermis, tenuissima quidem pellicula, in binis folii paginis multum differens: superficies enim superior levis, colore intenso viridi inducta, fere nullos offert poros, nec ullas eminentias formant nervi. Facies vero inferior inaequalis, nervis prominentibus rugosa, colore dilutiori, epidermide multo laxiori, glandulis et poris numerosioribus instructa est.

Notetur velim consensus inter foliorum Quercûs dispositionem ejusque vaginae medullaris formam: in hâc formam pentagonam cernimus; ad foliorum igitur dispopositionem si attendamus, haec alterna et in helicem disposita videntur: ita ut quinque folia, explendi causâ totum orbem rami, requirantur; haec thesis eo verisimilior nobis videtur, quod medulla ejusque tubi in folium penetrent.

---

(1) Vid. J. Beckman, Blätterscelete, in Beyträge zur Geschichte der Erfindungen, 4ter Band, pag. 212. et sqq.

(2) D. C. Organograph. végétal. tom. 1. pag. 300.

(3) Vid. Fl. fr. 1. pl. 4, in quâ gradus incisurarum omnes cum dispositione nervorum combinati delineantur.

SECTIO QUINTA.

De organis quibusdam adjunctis, squamis nempe, stipulis, glandulis et pilis.

Variis squamis ex epidermide, cortice et contextu celluloso oriundis et constantibus, sibi invicem impositis, gemmae sunt instructae, quarum exteriores durissimae, interiores vero tenuiores, deprehenduntur. Gemmarum squamas in ordine constanti semper positas in Quercu vidimus: duae enim priores observantur laterales. In illis organisatio eadem ac in foliis videtur; squamas inprimis superiores ad earum apicem pilis obsitas cernimus; Quercûs primordia in gemmis contenta, involvunt, illaque contra tempestatum hyemalium injurias defendunt.

Stipulae, parvula organa foliacea, ad petioli foliorum basin sita, omni caeterâ organisatione cum ipsis foliis congruunt; unde etiam in illis seorsim nihil considerandum occurrit, praeterquam earum figura et situs. Quercûs folia sese explicantia tegunt atque defendunt.

Glandulae contextu celluloso sat arcto formatae, vasa tenuissima quidem admittunt. Hae glandulae seu stomata, pori sunt ovales, subrotundi, perforati, quos in stipulis, calyce, praesertim in foliis reperimus.

Pilos in Quercu non nisi ad squamarum extremitatem, et in calycis foliolis quos pubescentes jam diximus, animadvertisse contigit; a praecedentibus non nisi formâ differre videntur.

ORDO SECUNDUS.

DE ORGANIS AD SPECIEI PROPAGATIONEM SPECTANTIBUS.

Hucusque de organis ad individui servationem conducentibus; nunc autem in partium propagationis structuram inquirendum est. Quamvis enim haec organa, delicatiora quidem et fugaciora, in Quercu careant hisce vivis coloribus, eoque aspectu laeto atque pulcherrimo, quibus hortorum flores superbiunt: non minoris tamen momenti a providae Naturae Scrutatoribus duci debent. Primum itaque de Florum sustentaculo.

SECTIO PRIMA.

De Pedunculo.

Pedunculus, amentorum axim constituens, brevior in flore femineo, contractior, ad basin suam offert inflationem, in flore autem masculo delicatior et multo longior, quae differentia e diversis functionibus ab hisce duobus organis explendis deducenda videtur. Quoad structuram interiorem, pedunculus eandem ac ramunculus junior, videtur habere; vasis enim constat vaginam medullarem circa medullam formantibus: quae vasa sistunt tracheas quas evolvere potui longâ ebullitione in acido nitrico, nec non crassos tubos corpusculiferos omnino similes tubis corpusculiferis in petiolo repertis (Fig. 9.): hi omnes tubi textu cellulari elongato corpusculis subrotundis obsito, intertexti sunt. Ad flosculum singulum perductus, horum tuborum fasciculus separatur, in ipsum penetrandi causâ. Vasa illa vestiuntur systemate corticali, prolongatione scilicet systematis rami respondentis.

SECTIO SECUNDA.

De flore proprie dicto.

Flos, pars localis et transitoria Quercûs, praecedens fecundationem in eâ aut per eam peractam, pedunculi vasorum explicatione producitur. In hâc parte, de organis utrique sexui communibus, dein de illis singulo flori propriis agendum occurrit.

SECTIO TERTIA.

De organis utrique sexui communibus.

§. 1. *De Receptaculo.*

Simul ac pedunculi vasa ad floris basin pervenerunt, discedunt et in plures abeunt fasciculos ut varia floris organa forment. Hic autem vasorum discessus, quemdam producit exteriorem tumorem, vulgo receptaculum: haec pars igitur tanquam extremitas pedunculi consideranda videtur. In hoc receptaculo structura eadem ac in pedunculo videtur; succi vero ita sunt modificati, ut organorum floris essentialium productioni faveant. Adeo tenue in Quercu receptaculum, ut illud existere negaverint nonnulli; nemo tamen id inficiabitur, quod scilicet organa florem constituentia cuidam loco adhaerere debeant, atque ita locus iste, cui flores insistunt, receptaculum ab omnibus salutatur. Receptaculum, in flore masculo, pro fulcro staminum inservit; in femineo autem ovarii basin sustinet.

§. 2. *De Calyce.*

Floris feminei calyx prolongatione vasorum quae pericarpium constituunt, formari videtur. In cortice nullae tracheae, adsunt autem in calyce; hinc male dixerat Cl. Linnaeus. « Cortex plantae in fructificatione praesens.” Vasa illa teguntur corticali involucro, pilis tenuibus obsito. Floris autem masculi calycem quod attinet, Linnaeana definitio forsitan vera: is enim calyx, in quo nullus tubus deprehendi potuit, corticis reipsâ continuatio foret (Mirb.).

Res ipsa cogit, quoniam de calyce tempus admonuit, ut de glandium involucro, seu cupulâ, quaedam referantur. Illud tanquam verum calycem accipiunt nonnulli; Sol. vero Mirbel et De Candolle, ipsum plurimis bracteis imbricatis, simul connexis, compositum volunt: quod maxime quidem probabile videtur; cupula namque glandium maximam ponit similitudinem cum Coryli avellanae cupulâ, quae duobus foliis simul adnexis admodum similis est. Omnino fit verisimile, ut Quercûs cupula, ut involucrum Fagi Castaneae, tres flores distinctos contineat; quos vero detegere non potui, nec rudimenta florum aborsorum in internâ parte cupularum explicatarum, ut Vidit Cl. Mirbel (1). Caeterum, cupulae folioli tubis e pedunculo or-

---

(1) Vid. Elém. de Physiol. végét. et de Botaniq. pl. 35, fig. 1. B. in 2.

ortis constant, inter quos inprimis tracheae spirales, juniori potissimum aetate, deprehenduntur. Vasa illa systemate corticali, systemati partium aliarum viridium analogo, investiuntur.

SECTIO QUARTA.

a. De organis in flore masculo sexualibus.

De Staminibus.

In staminibus Filamentum, Antherae et Pollen distinguenda nobis occurrunt.

Staminum filamentum filiforme, pars elevans adnectensque antheram, cônstat tubis spiralibus tenuibus per medium decurrentibus, et involvitur cellulis elongatis arctis, nec non Epidermide coloris albo-lutei, in quâ poros observâsse nunquam nobis contigit. E telâ cellulari et parenchymatosâ originem ducit.

Anthera, pars floris gravida polline, quod matura demittit, formam habet ellipsoïdeam, paululum applanatam, exteriori parte magis convexam; maxima quidem est relatè ad filamentum et florem; in binos lobos conjunctos divisa cernitur. Singulus lobus saccum sistit membranaceum, intus divisum per medium septum, et ad superficiem suturâ septo respondenti notum. Fecundationis tempore, hi lobi per binas valvas aperiuntur, pollenque ejaculant. Omnis antherae superficies tegitur laminâ luteâ cellulosâ, nempe laxissimâ, admodum tenui, et ad superficiem parvis mamillis conspicuâ. Sub hâcce laminâ reperitur alia firmior lamina magis elastica, senescendo contractionis capax: in sulco continuatur cum filamento loculos binos separante.

Pollen, in antherae loculis contentum, cônstat plurimis corpusculis organicis, qui globuli, lutei, pulveris impalpabilis speciem referunt. In polline Quercûs forma ellipsoidea (1). Singulum corpusculum duabus tunicis componi voluit Karteuser, quarum interior, tenuis, liquorem seminalem, s. fovillam, continet, exterior vero crassior, inaequalis, instructa vasis et poris per quos in statu naturali fovilla sensim effluit. Sic fere etiam sensis Gartnerus; Cl. autem Hedwig, unâ tunicâ vasculari pollen formatum contendit, quae tunica in ipsum stigma disrumperetur. Quae omnia tot sunt hypotheses: pollinis enim delicatula fabrica dissectionem non admittit.

b.

---

(1) Guillemin, Rech. micr. sur le Pollen, in Vol. II. des Mém. de la soc. d'Hist. natur. de Paris, 1825. pl. 8. f. B.

b. De organis in flore femineo sexualibus.

De Pistillo.

Partes tres pistillo: Ovarium, Stylus, Stigma.

Ovarium, pars infima; basi adhaeret receptaculo, circumferentiâ autem cupulâ cingitur. Unicum ovarium semper observavimus, scitur tamen, Cl. **Mirbel** (1) duas glandes aborsas ad faciem cupulae externam vidisse: in flore igitur tria ovaria, quorum duo aborsa, unico stylo nuncupata continebantur. Caeterum, in ovarii structuram inquirentibus, nobis occurrit ejus involucrum in quo vasa de quibus infra, quae tunicâ tegitur epidermide cum calycis epidermide continuatâ.

Stylus, pars inter stigma et ovarium media, brevissimus, simplex, basi inflatus in formam pyramidalem, calyce cingitur. Tubi spirales, qui omnes in stylum concurrunt, e tubis fructûs involucri exterioris oriuntur. Stylus, praeter tubos spirales ipsum nutrientes, nihil continet nisi cellulas elongatas; nihil autem obstat quominus pars pollinis tenuior, per cellulas ipsas ad ovarium penetret, uti in ipso caule per cellulas plures succi feruntur.

Stigma, pars glandulosa quâ stylus terminatur, triangulare, externe reflexum, componitur telâ cellulosâ subtili admodum, cujus superficies quasi mamillata microscopio videtur. Stigmatis superficies minutissimis poris pertusa est, et sub pollinis maturitatem, liquore glutinoso madet, cujus ope stigmati adhaeret pollen ab antheris per aëra sparsum.

Organisatio Pistilli.

Tubi in pistillo reperiundi, omnes e pedundulo proveniunt, quorum distributio ita locum habet. Nempe cum ad receptaculum pervenerint, in pistillum basi penetrant, ac in plures abeunt fasciculos; quaedam vasa quasi sceletum parietum ovarii formant: haec sunt vasa parietalia quae ad pistalli basin, partim in calycem, partim in stylum, penetrant; alia per placentas procedunt ut ulterius formetur funiculus umbilicaris, qui singulum ad ovulum tendit per sex funiculos distinctos, et sunt vasa nutritia. Quaedam quoque e singulo stigmate proveniunt, tresque formant fasciculos distinctos, qui fasciculi per stylum in tres placentas urgentur, ibique cum vasis nutritiis uniti, ad loculamentum respectivum tendunt ut in singulum ovulum dein penetrent: vasa sunt conductoria aurae seminalis? Vasa nutritia et conductoria in parte placentarii in-

---

(1) Elém. de Physiol. végét. et de Botanique.

internâ unita, componunt nervos, fasciculos nempe vasculares tenuissimos, qui immediate in ovula, sub nomine vasorum umbilicalium, tendunt. Ex illis fasciculis originem trahunt funiculi, quorum singula extremitas in sacculum prima novae Quercûs lineamenta continentem, explicatur: huic sacculo nomen ovuli inditum est.

SECTIO QUINTA.

De Fructu.

Fructus succedunt floribus, et nil aliud sunt nisi fecundatum ovarium et maturitatem adeptum. Ea pars est Quercûs glans dicta, e cupula, adventitio nempe involucro, separata. In fructu pericarpium et semen, distinguenda nobis obveniunt.

§. 1. *De Pericarpio.*

Pericarpium, exterius glandis involucrum, naturae coriaceae admodum, quasi ligneae, non dehiscens, ad apicem styli signa monstrat; ipsis ovarii fecundati parietibus formatur. Illud componi tribus partibus unicum involucrum reipsa constituentibus, nobis videtur. Jam enim, superficies ejus exterior (épicarpe), levissima quidem, species est cuticulae quae non nisi mechanice separatur, et in quâ nulla stomata detexisse contigit. Sub hâc parte scariosâ reperitur plexus fibrarum vasorum (mésocarpe), et telae cellularis admodum viridis in glandibus ad maturitatem nondum perductis; illa vasa nobis videntur vasa parietalia de quibus supra. In facie tandem pericarpii internâ, reperitur membrana sat crassa (endocarpe), quam in laminas plures sejungere licuit; alba caeterum et plexui praecedenti omnino adhaerens. De junioribus glandibus agitur. Cum semine in contactum venit; in ovario loculamenta formabat; in fructu autem ubi ovulum totam pericarpii cavitatem replet, et in quo plicaturae loculamenta formantes, deletae sunt, membrana illa est continua, et solum format loculamentum, ex quo capacitas pericarpii seminifera stabilitur. Denso quippem textu celluloso constat haec membrana, cujus basis format placentarium cui semen alligatur.

§. 2. *De Semine.*

Semen, verum novae Quercûs ovum, coloris rufescentis, aut ferruginei, formam prae se ferens ellipsoïdeam, componitur nucleo, et spermodermide, quae tribus partibus distinctis constat. Jam enim in superficie seminis externâ cernitur tenuis pellilicula, levis, lucida. Testa nempe; illud offert singulare, quod, etsi nulla pororum species hucusque microscopio in ipsâ fuerit observata, non solum aquam ambientem, verum etiam aquae coccinillâ coloratae moleculas absorbeat: quod spongiolis seminalibus attribuendum. Sub testâ reperitur textus tenuissimus, vixdum visibilis, mesospermum scilicet, vasis fibrosis telâque cellulari constans. Mesospermi fibrae ex umbilico generatim ortae, inter duas spermodermidis membranas expanduntur. Fibras ad germinationem conducentes observasse datum est, glandibus in aquâ coloratâ evolutis: quae scilicet fibrae, eâ, quâ latex aquosus introducebatur, ratione, sensim tingebantur; immo et colorem usque in embryonem penetraverat. Mesospermi tandem facies interior in contactum venit cum endoplevrâ, quae lamina interior, coloris albi uniti, tenuissima, mesospermo admodum adhaerens, nucleo immediate apponitur; succos juniorum seminum aquosos continet quin eos absorbeat, et germinationis tempore, impedit quominus aqua ad embryonem directe transeat (1).

Caeterum, in externâ Testae facie, seu seminis ipsâ basi distinguitur species quaedam cicatriculae, subrotundae (hylum s. Umbilicus externus); punctum format cui semen placentario adhaeret ope funiculi umbilicalis: hic igitur funiculus veram ipsius substantiae vasorumque ejusdem placentarii prolongationem sistit. In hyli centro cernitur parvula gibba elongata (Omphalode (2)), quae vasis nutritiis in spermodermidem abeuntibus transitum concedere videtur. Versus ejusdem hyli marginem adest parva depressio (micropyle (3)), ad embryonis radiculam tendens, tubisque spermaticis transitum praebens, quae scilicet vasa e stigmate ad germen adhuc invisibile principium fecundans advehunt.

Si nunc ad endoplevram attendamus, ad partem embryonis superiorem cernimus punctum quoddam, ex quo cibum e plantâ-matre accipit embryo (Chalaza, Umbilicus internus). Haec chalaza, sat tenuis in Quercu, producitur a funiculi vasis, quae vasa in plures ramificationes abeuntia et inter testam et endoplevram reptabunda, tandem ad organicum seminis apicem in unum colliguntur sicque tumorem de quo agitur, efficiunt (4).

Nunc autem de Nucleo. Seminis historiam ante maturitatem secuti, illud observâsse datum est, quod, ut primum semen visibile est, nucleus totus quantus constet e liquore mucilaginoso, cui nomen Amnios. Peractâ autem fecundatione, corculum in am-

---

(1) De Cand. organogr. végét. Tom. 2. p. 74, 75, 77.

(2) Turpin, Iconogr. tabl. 1. fig. 18; Ann. Mus. d'Hist. natur. 7. pl. 11. in punctis notatis o.

(3) Ibid. fig. 19. a. et in Ann. du Museum. 7 pl. 11. punctis notatis.

(4) Eandem vasorum dispositionem in Nuce Coryli avellanae detegere licuit cum Cl. Ph. D'Harveng, in Acad. Gandav. Medicinae Candidato, qui quidem ad hancce partem absolvendam me multum adjuvit. Has igitur lineas tanquam animi grati monumentum habeat (nota addita).

amnii liquore modo nidulans, nunc evolvi incipit; amnios itaque sensim imminuitur, crescit interea corculum et tandem maturum evadit. Nunc autem seminis maturi nucleus examini submissus, nobis offert: Embryonem, nobilissimam seminis fecundi partem, quae sola novam Quercûm largitur, et cui omnes reliquae in temporarios saltem usus additae sunt. Cum spermodermide connexionem organicam primum habet embryo; peractâ autem seminis maturitate, e partibus, quibus cingitur, tum solvitur, vique vitali ad suam evolutionem requisitâ, gaudet. Caeterum, Embryo semini conformis, inversus, luteo-pallidus, non vergit ad Umbilicum externum; Umbilicus igitur internus ab externo distinctus admodum evadit, et funiculus Umbilicalis trans mesospermum e cicatriculâ de quâ modo, ad chalazam prolongatur: inter hancce viam nomen Raphé induit. Quercûs embryo, nullum perispermum comitem habens, e tribus partibus componitur: E radiculâ, plumula et cotyledonibus.

Radicula glandis, externam seminis partem spectans, brevis, subovata, retracta cernitur; cum umbilicus internus, uti jam dixi, umbilico externo non respondeat, radicula, quae semper vergit ad chalazam, supera evadit: tunc igitur embryo fit inferus. Radicula majori parte constat e telâ cellulosâ, in cujus medio sub germinatione cernitur vasorum prolongatio, quae vasa e collo orta, cum vasis mammaribus communicant: eâ quâ discedunt, ratione, sensim minoris fiunt diametri, et brevi post aliis involvuntur vasis ad plumulam tendentibus. Vasa tum in embryone conspicua, vasa sistunt punctata (1), vasa moniliformia Mirbellii (2), et tracheas quas evolvere non licuit. Radiculae character essentialis in eo ponitur, quod omnis systematis vascularis embryonis inferiorem extremitatem recipiat (Mirb.)

Plumula, cui dispositio inversa, i. e. internam in semine partem spectans, est prima novae plantae gemma, jam intra seminis carceres ex embryonis scapo enata atque olim in vera plantae folia abitura. Adeo tenuis est, ut ante germinationem non nisi summâ difficultate cerni queat; magnâ etiam parte componitur contextu celluloso, in quo sub germinationem vasa e radiculâ prodeuntia delineantur.

Cotyledones, partes nuclei organicae, quae una cum radiculâ et plumulâ ipsam embryonis efficiunt compagem, duo corpora sistunt crassissima, semi-ovata, intus plana, extus convexa, planâ superficie unita; ita ut unionis punctum vix quidem distingui possit, et in unum idemque corpus illa confundi videantur.

Harum cotyledonum fabrica ex tribus partibus composita est: Epidermide scilicet, parenchymate, atque vasis s. tracheis. Epidermis est ipsa embryonis cuticula, quae omnem cotyledonum superficiem investit, eisque partim pro filtro inservit, per quod am-

---

(1) Mirb. Anat. pl. 1. f. 6, 8. Elém. pl. 10. f. 5, 6, 7. Rudolphi, anat. pl. 4. f. 7. Kies. Mém. org. pl. 9. f. 39, et pl. 14. f. 66, 68.

(2) Mirb. Elém, pl. 10. f. 15. Turp. Iconogr. pl. 1. f. 13. Kies. Mém. org. pl. 11. f. 51. pl. 12. fr. 56.

amnii liquor trajicitur, partim vero eas impedit quominus cum vicinis corporibus coalescere queant (Gartn.). Crassissima eorum massa de quâ modo, parenchyma nempe, contextu celluloso conflata est, in cujus areis oleum, fecula, etc., nidulantur: manifeste proficiscitur ab interno embryonis cortice. Tubi spirales, inprimis germinationis tempore conspicui, in omnem cotyledonum massam distribuuntur, et versus partem embryonis superiorem colliguntur, ut collo plantulae inserantur et dein abeant in radiculam: hosce tubos tum vasa mammaria dixit Cl. Bonnet.

CAPUT TERTIUM.

QUERCÛS ROBORIS PHYSIOLOGIA.

Usque adhuc non nisi in statu requietis Quercus Robur praecise considerata est; nunc autem ipsi motum vitalem reddamus, et mediante hâcce vi, jam pro viribus inquirere decet quonam modo variae hujus machinae nimirum mirandae numerosa vegetationis phaenomena implere possint. Quem in finem duplex ordo, uti in Anatomiâ, admittetur; In priori functiones evolutionis et servationis; in altero autem reproductionis functiones, enucleandae obveniunt: cui tandem de morte partiali et generali supplementum addetur.

ORDO PRIMUS.

DE FUNCTIONIBUS EVOLUTIONIS ET SERVATIONIS.

SECTIO PRIMA.

De Germinatione.

Glans matura conditiones ad germinationem requisitas obtinuit; hae conditiones diu non servantur: glandes enim jam non germinant nisi post ipsam maturitatem statim terrae mandantur, nive in arenâ superpositae ordinantur; in contactu igitur cum aëre atmosphaerico primo vel anno germinandi facultatem amittunt: principium earum

rum oleosum ramorum sub dio contrahens eoque modo germen corrumpens, phaenomenis illius causam sat eruere videtur.

Caeterum, in aptis mediis collocatae glandes, anno priori incipiente germinare incipiunt. Earum germinationis actio prima sistit ambientis humoris absorptionem: intumescit nucleus, distenduntur integumenta et brevi post discinduntur. Vis expansionis glandibus tum obvia, ingens quidem est; omnino tamen mechanica fit, in quibusdam enim vi germinandi spoliatis illam observâsse nobis contigit.

Brevi post inflationem illam, sequenti modo, in quantum observare potuimus, germen evolvitur (Fig. 11). Simul ac cotyledones, quasi mammae vegetabiles, humore tument, in ipsis lenta fit fermentatio, sollicitantur affinitates, amylacca materies in saccum lactosum migrat, qui succus per vasa mammaria in collum et dein in radiculam quae prior evolvitur, penetrat; effectu vegetationis, succus ille brevi versus plumulam urgetur, ejusque evolutioni, tardiori nempe, favet. Ad germinationem igitur omnino requiruntur cotyledones: imo et ipsis ablatis, vel germinatione jam provectâ, plantulam emori centies vidimus. Ut cotyledonum usus in germinatione melius aestimari potuerit, magnam glandium quantitatem, ante et per germinationem ponderavimus. In glandibus 172 decigrammata pendentibus, cotyledones 160 decigr. pondus habent; tempore autem maximae evolutionis, pendent 306 decigr.; post earum mortem, ad 29 decigr. reducuntur. Abstractione igitur acidi carbonici producti factâ, illud reperitur quod cotyledones plantulae suppeditaverint 277 decigr. materiae, quorum 131 propriâ earum substantiâ constant, 146 vero aquâ per radiculam primum acceptâ.

Glandium praeterea germinationem, ope liquorum coccinillâ coloratorum, secuti, illud observavimus, quod aqua colorata omnem testae superficiem penetret, minime vero trajiciat endoplevram; aqua illa per innumeros caneles, versus hylum ad chalazam tendit; ponitur in hoc loco radiculae summitas, immo et per istud organum colorata aqua penetrat in radiculam, exin abit in cotyledones quae, tumentes, integumenti disruptionem cogunt.

Caeterum, radicula, inter cotyledones quamdiu sita est, primam suam sequitur directionem; cum autem ad illarum circumferentiam pervenerit, quocumque modo semen collocaverimus, radicula versus terrae centrum tendit. Plumula, quae primum primitivam quoque sequitur directionem, sensim incurvatur; assecuta denique embryonis circumferentiam, versus coelum erigitur. Interea cotyledones sensim accrescunt, expanduntur; omne nutrimentum, quod continent, plantulae suppeditant; deinde marcent sensimque omnino disparent.

Quis nostrûm non novit Cl. Duhamel illam directionem impedire ejusque causam eruere voluisse? Quem in finem glans in idonei diametri tubum introducta, terrâ hu-

humidâ fuit obtecta; tubum dein ita suspendit ut radicula ad coelum, plumula vero ad terram spectaret: haec duo organa, explicata quidem, cum naturalem directionem sequi non potuissent, tubi parietibus in spiram convoluta sunt. Dixerant nonnulli radiculam versus terram dirigi, eo quod in eâ succos nutritios hauriret, plumulam vero versus coelum, quod ibi conditiones ad functionum concentum necessarias reperiret (1); experientia vero hancce thesim omnino repellit. Capsa quaedam terrâ repleta, et cujus fundus foraminibus pertusus erat, et in quibus foraminibus semina Phaseoli vulgaris collocata fuerunt, e lacunari demissa est. Hocce modo semina terrâ humidâ superne tecta, deorsum luminis et aëris actionem accipiebant; seminum radiculae in atmosphaeram in quâ brevi sunt siccatae, descenderunt; plumulae vero sursum in interiori terrâ elevatae sunt.

Sed quoquomodo se res habeat, sunt quaedam praecipua media glandium germinationi faventia. Solum jam enim requiritur, in eo autem inprimis consistit ejus actio, quod a lumine germinationi noxio semen subducat, quodque salia ac substantias terrosas plantae subministret. Aqua prior agere videtur, non solum ut integumenta comminuat, verum ut substantiam alimentariam praeparet. Calor aeque necessarius est ad germinationem; si soli nempe temperies est infra 0°, nulla fit evolutio.

Nullum latent Cl. Saussurii experimenta de necessitate aëris in germinatione; Solertissimus Vir probavit oxygenium directam in semen actionem exercere, probavit et acidum carbonicum ipsi potius noxium quam utile fieri. Lumen igitur (cujus in plantas influentia constat in eo quod carbonii acidi carbonici fixationem et oxygenii evolutionem et ideo partium duritiem producat), lumen, inquam, nocet quoque germinationi in quâ partes mollitie indigent. Quoad oxygenii actionem, tollit e substantiâ glandis carbonium superfluum, sicque carbonicum acidum formatur; pro vegetatione eo majorem oxygenii copiam requirunt glandes, quo sunt crassiores, ita ut minor glans, ad eandem profunditatem, melius vegetet quam major: si probatur crassas glandes evolvi ad altitudinem ubi parvae pereunt, non est quod hae non ibi germinent, sed quod earum plumulae debiliores, terram, quâ teguntur, elevare non valeant (2).

---

(1) Dodart, sur la perpendicularité des tiges, par rapport à l'horizon. Mémoires de l'Académie des Sciences, 1700.

(2) Th. de Saussure Rech. chim. sur la végét. p. 14.

SECTIO SECUNDA.

De Absorptione.

Quercus Robur, uti caeterae plantae, organis **Motilitatis** destituta, cibum non nisi in mediis vicinis per ora inhalantia haurire potest; substantiae igitur alimentariae per intussusceptionem introducuntur.

Nullum hodie profecto dubium de fluidorum gazorumque absorptione: quae phaenomena sub nomine **suctûs** et **inspirationis** indaganda nobis occurrunt.

§. 1. *De suctu liquidorum.*

Quamvis aqua praecipuum sit Quercûs alimentum, solum tamen non fit: varias enim substantias in solo contentas, dissolutas nempe vel in eâ suspensas ad illam transfert. Horum fluidorum suctus radicibus peragitur, quarum fibrillae, bibulae quidem, vel syphonis vices agentes, succos in interiori parte soli nutritios hauriunt, eosque per tubos ad omnia Quercûs organa traducunt.

Radices non absque ullo discrimine substantias quae, aquâ ipsas alluente, sunt solutae, assumunt, sed has prae illis eligunt, et in solutione duorum salium, unum sal tantum absorbent; sic muriatem sodae et potassae prae acetate et nitrate calcis praeferunt. Videtur haec proprietas haerere in ultimis radiculis; his enim ablatis, substantiae plures et facilius et minori discrimine facto in tubos penetrant. Haec diversa solutionum penetrabilitas a diverso earum lentore pendet, ita ut quae magis glutinosae sint, minus facile per radicum *cribrum* tenuissimum pellantur.

Quercus non solum aquam per radicum poros, verum etiam per folia omnesque ejus partes absorbent; inferior praesertim foliorum pagina absorbet fluida: Quercûs enim folia aquae exposui facie superiori, haec quinto die jam marcebant; inferiori vero paginâ aquae immixta, folia tres fere menses viridia permanebant. Huic functioni foliorum positio quam plurimum prodest: in planam enim superficiem horizontalem disponuntur, ita ut recipiant et aspirent paginâ inferiori vapores aqueos e terra exsurgentes.

Fibrae lignosae trunci ramorumque scissorum aquam quoque absorbent; Quercûs ramus, cujus caesio in diametrum pollicem dimidium, in longitudinem vero tres pollices habebat, intra sex horas, quinque uncias aquae adsumpserunt. Alium ejusdem ramum aquae immissum, ita ut basi in ipsam demergeret ad tres profunditatis pollices, aëri li-

libero exposui; per decem dies viridis servatus est: quibus elapsis marcere incepit. Caeterum, absorptio in ratione foliorum ponitur, ita ut ramus, omnibus caetera dotibus congruens cum ramo prioris experientiae, loco quinque unciarum aquae, tantum semi-dragmam absorbuerit. Observavimus praeter haec ramum magis absorbere per diem quam per noctem. Absorptio illa pendet ab actione vitali et capillari, nec non a repletione vacui facti expiratione foliorum.

§. 2. *De inspiratione gazorum.*

Gazorum inspirationi folia tanquam praecipua organa sunt habenda, horum vero pagina inferior huic functioni potissimum inservit. Absorpta autem gaza, pro ratione sitûs foliorum, et pro luminis praesentiâ aut defectu, admodum differunt. Quercûs enim folia solaribus radiis exposita, gas carbonicum aëris atmosphaerici absorbent, omne carbonium retinent et propemodum omne oxygenium expellunt; haec exhalatio semper ponitur in directâ ratione absorptionis. Folia autem in obscuritate posita, oxygenium absorbent, carboniumque exhalant: quae binae functiones etiam in ratione directâ alterutrius exstant (1), quantitas autem hujus oxygenii absorptionis omnino variat: ponitur enim in ratione qualitatis soli in quo crescit arbor; folia, v. g. Quercûs quae in solo jejuno vel in atmosphaerâ rarefactâ aut in locis depressis ac humidis crescit, minorem oxygenii, aliis caetera conditionibus aequalibus, quantitatem absorbent, quam folia ejusdem plantae crescentis in terrâ fertili cum aëris atmosphaerici puri libero accessu. Experimentis hâc de re Maio et Septembri institutis ductus, Cl. Saussurius probavit folia Quercûs in loco obscuro posita, intra viginti quatuor horas, oxygenii quantitatem quinquies cum dimidio volumen eorum adaequantem absorbuisse (2). Virides Quercûs partes, inprimis vero caulis et rami, in loco obscuro gas oxygenium etiam inspirant; Indefessus et Saussurius probavit ramum Quercûs Roboris crassitiei 7 millimetrorum (1 aut 3 linear.), tempore vernali et aestivo, temperaturâ 15° Sch. Reaum., intra viginti quatuor horas absorbuisse quantitatem gazis oxygenii minimum dimidiam ejus voluminis partem et ad summum semel ejus volumen adaequantem (3). Ejusdem Viri experimentis notum manet, a floribus, iisdem conditionibus expositis, gas oxygenium absorberi, gas autem azotum secerni (4).

Quercûs radices certam oxygenii quantitatem etiam absorbere videntur; est saltem Cl. Duhamelii et Saussurii sententia; Prior (5) adnotavit laterales ejus radidices eò fortiores fieri et validiores, quo magis soli superficiei sunt proximae. Hoc phaenomenum videtur explicandum ex eo quod hae magis sint in contactu cum aëre atmosphaerico, quam radices inferiores. Si quis autem in rei explicationem objiciat, quod scilicet majorem nutrimenti copiam ad soli superficiem radices hauriant, haec pariter illi objicienda habemus: radices enim in optimo solo crescentes si terrâ cumulentur, tum quid est causae cur Quercus languescere quandoque mori cernimus?

---

(1) Théod. de Saussure, rech. chim. sur la végét. p. 86.

(2) Idem. p. 97 — 100.

(3) Idem p. 115 — 116.

(4) Idem p. 126.

(5) Duham. phys. arbr. liv. 1, chap. 5.

Dixerant nonnulli truncum ramosque Quercûs decorticatos oxygenium absorbere, duritiemque tum acquisitam ab hujus absorptione prorsus pendere. Experimentis vero Cel. Saussurii constat nihil oxygenii absorberi, hujus autem actionem in eo versari, quod a trunco carbonium auferat, unde acidum carbonicum; eodem tempore oxygenium et hydrogenium majori proportione demittit truncus (1); horum principiorum substractio proportionate major, carbonii proportionem in residuo ligneo auget: unde textûs durities (2).

Transitus ille continuus horum corporum e statu aëriformi ad statum liquidum et solidum, quem efficiunt absorptionis functiones, certam materiae caleficae quantitatem producere debet; quae quantitas, parva quidem, cum plantae vitâ nexu quodam conjuncta videtur. Verum enim tempore hyemali, quo languescunt functiones, phaenomenum illud obtinet, nec satis a nostri aevi physiologis observatur; translatio illa caloris per radicem ad truncum fit tempore hyemali, quando temperatura soli superat temperaturam atmosphaerae: radix quae ad solum calefactum penetrat per suam substantiam (massam) ad truncum hunc calorem qui per terrae superficiem glacie constrictam et nive tectam pergere non potest, adducit, et ipsius temperaturam adauget; hanc ob causam gelu cessante nix semper circa arbores et ligna solo infixa invenitur fusa.

SECTIO TERTIA.

De Quercûs Roboris nutritione.

Jam modo a Quercûs potissimum radicibus et foliis substantias vitae necessarias e solo et aëre ambientibus hauriri diximus; has nunc pedetentim prosequi, illarum iter et per varia organa dispersionem, assimilationis modum, plantae dein accressionem, investigare jam operae pretium est.

§. 1.

---

(1) Th. de Sauss. opus cit. p. 149.

(2) Id. p. 124, 125; p. 147. sqq.

§. 1. *Motus succorum.*

Fluida in plantam introducta succi dicuntur; qui succi duplici motu valde diverso vehuntur: horum prior cursus est sequens.

Succi fibrillis radicum hausti, in corpus lignosum per vasa corporis lignosi et praesertim per vasa medullari vaginae quam proxima; succi in vasis punctatis tubisque crassis corpusculiferis contenti, lateraliter quoque sese dispergunt, et cum radiis medullaribus atque medullâ communicant (1); nunquam in tracheas penetrant, quae contra respirationi plantae inservire videntur (Knigth aliique).

Non semper eadem intensitate succi in Quercum ascendunt; eorum ascensio jam ponitur in relatione intimâ cum temperiei elevatione; modificatur pariter soli genere: si solum, v. g. siccum atque aridum est, motus succorum fit lentissimus, etsi temperies elevetur; si vero humor terrae, ut fit verno tempore, cum temperiei elevatione congruat, succorum cursus tum maximâ vi gaudet; id temporis sequens instituimus experimentum. Ramum Quercûs Roboris abstulimus, et vulneri tubum vitreum formam incurvam litterae S habentem apposuimus, ita ut quasi esset continuatio ipsius rami. In hunc tubum hydrargyrum immisimus, quod curvaturam occupans ramum non tangeret. Guttae tantâ vi a ramo pellebantur, ut vel ad viginti et novem pollices hydrargyrum elevaverint. Vis vitalis, vasorum irritabilitas, ac capillaritas, contra graviditatis leges ita succos elevant.

In hoc cursu succus sensim elaboratur, omnes Quercûs partes evolvit atque nutrit, et cum succis propriis communicat. Dum succus in folium pervenit, mutationes passus est per aëris et luminis contactum, ibique in humorem plantae transformatur: quo facto motu sequenti vehitur.

Succi nutritii in vasis propriis contenti, e foliis ad radices usque juxta corticis et alburni longitudinem decurrunt; permeant quoque corpus lignosum mediantibus radiis medullaribus. Ad asserti veritatem demonstrandam, nobis etiam instituisse sequentia placuit. Corticis annulum juniori Quercûs ramo detraxi, corticemque superiori parte regenerari observatum est; alius praeterea ramulus fuit constrictus, supraque ligaturam in cortice formatus est nodus, quem Galli *bourrelet* vocant. Si detractus corticis annulus ita sit latus, ut vulneris latera uno anno conglutinari, sicque mediante textu corticali directam inter ramos et radices communicationem sistere nequeant, radices crescere desinunt, suctus in dies imminuitur, et tandem duobus vel tribus annis elapsis, planta moritur. Ex his igitur sponte patet, succos in foliis elaboratos sequi canales corticis, sicque nutrimentum ad radices

---

(1) Vid. De Candolle, Organographie végét., tom. 1. p. 172.

ces transferri. Succi descendentes, secundum Cl. Dutrochet sententiam, inter strata libri et alburni recentia potissimum reperiuntur.

Succorum descensui inprimis favere videntur vitalis actio, gravitas, et sane capillaritas.

§. 2. *Elaboratio et assimilatio succorum.*

Simul ac humor soli in Quercûs radices penetravit, varias patitur mutationes, prout e caule ad folia vehitur.

Succorum elaboratio potissimum in foliis obtinet, et quidem eorum paginâ inferiori. Hâc de re experimentum instituens, Darwinus sequens phaenomenum citatu quidem dignum observavit. Ramus *Euphorbiae Heliscopiae* decocto rubiae tinctorum immissus, hoc liquore itâ fuit imbutus, ut organa interna, principalis nervus, pluresque nervi paginae foliorum superioris, colorem induerint; ad faciem vero inferiorem cernebatur peculiare vasorum systema e folii marginibus ortum, et in binos abeuns truncos ad singulum petioli latus collocatos et secundum rami longitudinem descendentes. In his vasis succum elaboratum continentibus liquor lacteus tantum erat conspicuus. Reipsâ transpiratio foliorum paginâ superiori peragitur, et inferiorem eorum paginam gaza absorbere, jam notum manet.

Illud autem experimentis constat acidum carbonicum a foliis absorptum, luminis actione decomponi in principia sua, carbonium atque oxygenium: gas oxygenium, tempore diurno, e foliis ejicitur; gas acidum carbonicum partim nutritioni inservit, partim vero tempore nocturno, nullo accedente lucis stimulo, e foliis exhalatur. In his praecipue ponitur sucorum elaboratio.

§. 3. *Explicatio et accretio Quercûs Roboris.*

Si Quercûs caulis biennis docta dissectio instituatur, additione turionis perpendicularis illum in altitudinem crevisse cernitur: qui turio constat e cortice, ligno et medullâ, penitusque est similis turioni prioris anni. Illius caulis in diametrum accretio probatur additione novi ligni et corticis strati, quod stratum inter lignum et corticem prioris anni producitur, ac praecedentem investit turionem formâ coni elongati, ut charta sacchari metam tegit. Ita res quovis anno renovatur; ita ut post decem vegetationis annos, decem coni inter se immittantur. Horum conorum spatium inter extremitates comprehensum elongationem novorum turionum indicat. Hicce modus accretionis inter omnes Phytologistas convenit, non item vero de novorum stratorum formatione; firmissimis tamen nunc experimentis confirmari videretur illorum accretionem obtineri interventu materiae singularis indolis, quam Cambium primus dixit Duhamel; quae materies, primum limpida, brevi autem gelatinosa et *viscosa*, secernitur ab utroque libro cum systematis centralis tum systematis corticalis; inter lignum igitur et librum tempore vernali et autumnali interposita, in novum librum mutatur, et exiguum proinde libri stratum utrique systemati apponit; caules et rami hoc praecipue modo quoad diametrum augentur. — Cl. Knight, monstrando ramum foliis denudatum jam nihil crescere, probavit elaborationem succorum a foliis institutam, ad formandas partes novas plane requiri. Hic est itaque accretionis modus per 2um, 3um, etc. vitae annum: in diametrum planta crescit depositione novi strati ligni et corticis; novi vero turionis evolutione crescit in longitudinem. Quercûs itaque truncus e stratis concentricis constat, quorum numerus aetatem, volumen, statumque vegetationis plus minus prosperum indicat: ita ut stratorum aspectus statum temporum praeteritorum sat exacte detegere queat.

Omnia Quercûs organa, singulum tamen organum secundum partem praecipuam e quâ pendet, cujusve videtur extensio, eodem modo formantur et nutriuntur. Ita radices in diametrum et longitudinem (uti truncus et rami), sed inversâ ratione, crescunt, etc.

Illud nequeo praeterire quod hic quaedam proferam de probabili causâ et ratione secundum quas principium scytodepsicum in Quercu formari nobis videtur. Haec autem primum dicenda:

1°. Principii scytodepsici proportio in iisdem Quercubus secundum varias aestates, varia deprehenditur;

2°. Reperitur inprimis scytodepsica materies in stratis corticalibus albis, libro scilicet;

3°. Strata corticalia alba comparate sistunt copiosiora in junioribus quam in vetustioribus Quercubus, cortices igitur illarum, pondere aequali, majorem principii coriarii copiam continent.

De priori horum principiorum nihil adnotandum habeo, perfecte enim congruit cum aliis effectibus prorsus similibus ex ipso vegetationis progressu provenientibus. Secundum autem et tertium factum majoris quidem momenti videntur; probant enim materiem scytodepsicam praecipue formari, aut postremo loco deponi in stratis alburno quam maxime proximis.

Connexio igitur intima inter novi ligni et principii coriarii formationem existere videretur. Haec thesis quoque roboratur, si natura harum substantiarum chemica consideretur. Fibra quippe vegetabilium lignosa carbonio, oxygenio, hydrogenio, constat: quorum autem principiorum carbonium principale et essentiale sistit.

Non secus carbonium sine dubio in principii coriarii partem praecipuam venit. Nunc autem si consideretur quod lignum et materies illa scytodepsica inprimis carbonio formentur, quod hoc principium secernatur in ipsâ corticis parte in quâ deponitur novum lignum, quodque quantitas ejusdem principii major sit in junioribus arboribus et hâcce causâ accretioni earum validiori et rapidae ligni formationi magis respondere videatur: illud omnino fit verisimile, ut plantae quibus obvia materies scytodepsica, facultatem habeant absorbendi majorem carbonii copiam et aliorum principiorum ad formationem variarum substantiarum vegetabilium immediate requisitorum; videtur etiam illud probabile, ut haec principia, quae supersunt, combinatione quâdam chemicâ fiant principium scytodepsicum in cortice albo interno secretum; ut praeterea in hoc statu principium sit inprimis destinatum, assimilatione factâ, ad novi ligni formationem; id etiam fit verisimile, ut materiei scytodepsicae non fiat continua accumulatio in plantis hancce substantiam largientibus, cum successive sit formata unâ cum stratis corticalibus albis, et pariter sit decomposita ad ligni novi formationem conducendo; et tandem quando vegetabilia ad terminum perfectae incrementi maturitatis quam proxime accedunt, quando lignum non tam cito et perfectè formatur, aeque minor principii coriarii copia producitur; nam si quid eo magis ad perfectionem suam proxime accedat, quo minor sane rerum copia ad illam absolvendam requiritur.

Ex his itaque sic intellectis tendit animus in istiusmodi causam, et modum ad quem in Quercu aliisque plantis principium scytodepsicum formari videtur; quam tamen opinionem pono tanquam thesim probabilem, quae futuris observationibus, si sors patitur, rejici aut confirmari poterit.

SECTIO QUARTA.

De transpiratione et dejectionibus.

Jam diximus a Quercûs foliis luminis actioni expositis oxygenium, in umbrâ vero et germinatione acidum carbonicum secerni; nunc autem secretione in foliis peractâ, pars quaedam substantiarum superest nutritioni non amplius inserviens, et inutilis facta pro oeconomiâ vegetabili, excernenda.

In foliis potissimum obtinet transpiratio; quis nostrum, sub Quercûs tegmine recubans et studiis deditus, matutino tempore succos limpidos in foliis ejus non observaverit? Hi succi, ut scitur, e transpiratione condensatâ noctis refrigeratione proveniunt. Quamvis folia praecipua sint transpirationis organa, tamen, stricte loquendo, quum virides cunctae partes, uti stipulae, calyx, etc. suctûs fiunt capaces, pariter etiam transpirare possunt, imo et hae binae functiones, teste Cl. Mirbellio, in relatione cum statu hygrometrico ponuntur. Sic igitur cum terra vulgo sit humidior aëre, aliquando fit ut per radices suctus, transpiratio autem per folia locum habeat: quando autem fervoribus aestivis aret solum, cumque vaporibus onustus aër subita causâ refrigescit, folia vapores majori quantitate absorbent, et in radicibus transpiratio peragenda videtur: quae tamen radicum transpiratio omnibus in casibus multo minor quam transpiratio per folia, fieri debet.

Permagnis quidem succorum profluviis, subito modo erumpentibus, interdum laborat Quercus Robur; hae fluxiones nimio radicum suctui videntur attribuendae, cum folia scilicet nondum eâ polleant explicatione, uti producta vel exhalari vel absorberi possint.

Si Quercûs folium, aquae immissum, brevi post ex hâc educatur, pagina ejus superior madefacta deprehenditur, inferior vero ne ullam quidem aquae particulam retinet; haec quippe pagina substantiam quamdam, indolis mellitae, secernit, uti jam a plurimis observatum fuerat (1). Illa materies mucosa diebus fervidis elicita, et subsequente nocturno tempore in unctuosum laticem coacta, secundum sententiam Clar. Brugmansii scientiis eheu! citius abrepti, pertinere videtur ad secretionem foliorum morbosam, ex atmosphaerâ nimis calidâ oriundam. Radicum extremis etiam pingue fluidum observavimus adhaerens, quod ipsis excretionis quâdam specie videtur appositum; haec secretio probabiliter causa est cur inter nonnullas plantas adsit quasi sympathia et antipathia (2).

In foliis, turionibus, quandoque in filamentis staminum Quercûs Roboris observantur tumores morbosi puncturâ Cynipis Quercûs folii Linn., et Diplolepis Gooff, variarum specierum producti (gallae). Nimirum Cynips feminea et alia aculeo caudae perforat epidermidem, et ovula deponit, quae secretionem et accumulationem succorum gignunt, simulque, dum hi sensim indurescunt, domicilium aptum larvarum et pupparum effingunt, donec hae, involucro deposito, formâ muscarum, claustra foramine solventes, avolant.

---

(1) Chomel, Dictionn. économiq. tom. 1. pag. 552. Rozier, Dict. d'agricult. tom. 6. pag. 542. Gilibert, Demonst. élément. de botaniq., tom. 3, pag. 337.

(2) Fieri posset ut hae radicum excretiones nihil aliud essent nisi succorum propriorum partes, qui succi, ad plantae nutritionem non adhibiti, ejicerentur simul ac ad partem vasorum inferiorem pervenirent! Quidquid ita sit, notatur quod fluida excreta a querceis radicibus et agris et pratis omnino noceant.

ORDO SECUNDUS.

DE FUNCTIONIBUS PROCREATIONIS.

SECTIO PRIMA.

De Florescentiâ et fecundatione.

Florescentia et foliatio iisdem circumstantiis expositae videntur; evolutionis florum foliorumque causa videtur attribuenda temperiei; flores, foliis praecociores, mense Aprili vel Maio prodeunt. Flores inferiores primum explicantur, et florescentia pergit ad verticem arboris accedendo. Eâ dispositione jam probatur flores succo adscente nutriri, non autem substantiis in aëre per poros corticales haustis.

Genitalium organorum in Quercû, monoicâ nempe, peculiaris dispositio reddere videtur fecundationem non adeo certam quam in plantis hermaphroditis. Si verum quaecumque ad illam instituendam conducentia consideremus, in illâ statim non minus solers atque provida quam in caeteris plantis Natura salutanda erit. Quercus enim fere omnes sylvarum arbores altitudine superans, exponitur ventis, quibus pollen ad stigmata vehitur; flores caeterum masculi, insuper superiores, numero et longitudine femineos superant: quibus mediis addere liceat sat crassum volumen antherarum magnam pollinis quantitatem emittentium.

Fecundatio sequenti modo locum habere videtur. Pollen ex antherâ per valvarum aperturas ejaculatum, et per aëra sparsum, stigmatibus obvenit, quibus adhaeret ope liquoris glutinosi; vel analogam subit mutationem ac si oleo solveretur; globuli pollinis sensim diametro imminuuntur, sensim disparent, ac si auram genitalem ipsis contentam, sensim stigmati et proinde stylo ac germini traderent. Aura illa genitalis per vasa conductoria ad ovulum ducta, subsequentes ingeminat mutationes, sed de quibus Natura silet.

SECTIO SECUNDA.

De Fructificatione.

Antequam flos marcessit, et pistillum expandi incipit, ovarium est impletum contextu celluloso subtilissimo qui omni puncto videtur naturae perfecte homogeneae, cujus cellulae pellucidae impletae sunt fluido limpido. Sub illam fecundationem, membranae pericarpium formandae evolvi incipiunt; paulo post ovula sex, duo nempe pro singulo loculamento, in contextu depinguntur: haec ovula corpora sistunt globosa, viridia, polita atque lucentia; omnia placentae adjuncta, et accipiunt puncto Umbilici extremitatem vasorum nutrientium (1). Postea vero, unum ovulum, rarius duo (mihi nuper contigit vidisse in eodem pericarpio tria ovula omnino explicata), ad superficiem offert integumentum firmius et arctius, sensim et lineamenta vascularia, embryonis indicia, monstrat. Ea caeteris ovulis praevalens evolutio unius ovuli ex absorptione hujusce magis activâ videtur deducenda, quod ovulum omne nutrimentum usurpans, alia hoc privat sicque omnino illa delet. Sensim elongatur illud ovulum, formam induit ellipsoïdeam omnemque ovarii cavitatem replet: ita ut hylum basi respondeat; id temporis semen audit, et conditionibus ad vegetationem tandem acquisitis, e plantâ demittitur, inviduumque format separatum, conditiones evolutioni suae propitias praestolans.

De morte naturali, partiali seu generali Quercûs Roboris: Supplementum.

Cum mors naturalis necessaria sit vitae sequela, i. e., cum quidquid vivit, ex lege naturali, ipsâ hâc vitâ necessario tandem deduci debeat ad tempus quo legibus generalibus physico-chemicis resistere jam non valet; esse quidem duxi meae sortis istud negotii, ut mortem Quercûs naturalem seu partialem seu generalem, brevibus exponam.

Circa mortem et solutionem foliorum et aliorum organorum quae quotannis moriuntur et a plantâ solvuntur, plures a Botanicis theoriae fuerunt propositae; nulla autem quae accuratius legibus omnibus vitae et phaenomeni omni decursui respondet, quam quae in dissertatione hâc de re conscripta demonstratur a Celeberrimo **Vrolik** (2). Folia tempore defoliationis fato senili succumbunt, vitâ in arboribus superstite; quidquid vivit, ipsâ hâc vitâ magis condensatur, magis rigidum fit novis in dies appositis particulis omnibus tubis qui fluida vehunt, qui tubi sic vel plene occluduntur, vel ob nimiam rigiditatem inepti fiunt ad liquores ducendos. Dum tubi majoris diametri, et contra tempestatum injurias melius muniti, in trunco immutati persistunt, tubi tenuissimi in foliis obvii rigescere et occludi debent, quo facto folia per tubos illos nutrita, sensim colorem flavo-pallum induunt, et necessario tandem moriuntur, quod in nostro climate fit appropinquante frigore hyemali. Quidquid autem mortuum corpori viventi apponitur, a corpore illo vivente lente absorbetur. Illud igitur etiam cum folio mortuo ramo viventi apposito fieri debet; petioli mortui lamina parti viventi apposita, a posteriore illâ absorbetur, secundum legem generalem. Laminâ autem illâ absorptâ quâ folium cum caule cohaerebat, omnis cohaesio destructa, et folii petiolus a caule vel ramo solutus est.

---

(1) **Henschel**, von der Sexualität der Pflantzen, 1820.

(2) Dissert. medico-botanica, sistens observationes de Defoliatione vegetabilium, etc., Lugd. Bat. p. 5 et sqq.

Eodem mechanismo explicandae obveniunt mors atque solutio florum masculorum et glandium cum pedunculis. In Quercu, foliorum lapsus mortem eorum non immediate sequitur; vasorum enim textus adeo fortis evasit, ut oscillationes, quibus solvuntur alia folia, ferre queat; eoque modo ad ver subsequens illa servat, tumque gemmae in axillis explicatae, folia funditus eruunt atque solvunt. Scitur amenta Quercûs mascula citiori morte corripi quam feminea; cujus rei ratio in varia eorum structurâ et functione detegi videtur. Feminei quippe flores, ad succos vehendos quibus ovarium et postea semen explicari debent, destinati, pro illâ functione tubis crassioribus magisque evolutis gaudent: quae vasa facile cernimus, floribus utriusque sexûs, aestate floriparâ, microscopio examinatis; florum enim quantitas si cum axis volumine comparetur, in masculo amento, 15 ad 20 flosculos aliquando ferenti, deprehendimus axim diametri multo minoris quam axim feminei amenti saepius 4 aut 6 flosculis tantum referti: quae differentia videtur attribuenda minori vasorum capacitati et evolutioni, et proinde haec citius rigescere et obstrui, ulteriusque phaenomenis modo enarratis obnoxia fieri debent.

Ex praecedentibus abunde patet Quercum vegetare non nisi libro qui quotannis ad superficiem corticis internam producitur. Vita proinde quasi immortalis Plantae nostrae tributa, omnino fit vana et ficta, nec magis Naturae legibus obsistere potest; ipsâ enim Quercu crescente, stratorum ligneorum vasa successive occluduntur; succi in dies difficilius vehuntur; cumque liber tandem renasci non valeat, sensim sensimque imminuitur arbor, postea magis decrescit, et denique tota quanta desinit.

Sic igitur, Arbor Gigantea, perire debes! terra, modo tuâ vegetatione superba, nunc spoliis laetificatur; germina quidem valida in sinu suo deposita, mox renovabunt sobolem, et ex ipsâ morte species tua continuo resurget!

Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

CAPUT QUARTUM.

QUERCÛS ROBORIS ANALYSIS CHEMICA.

Si utilitatem ubivis conspicuam agnoscamus, quam Naturae scrutatori Chemia praebuit, ejusque solers ac diligens applicatio, inprimis tamen illam accepisse commoda facile intelligimus ex illorum laboribus, qui principia plantarum proxima indagati sunt. Quamvis enim laude non careat ulterior vegetabilium analysis, quâ remotiorum principiorum examen absolvitur, illa tamen nec tantâ ubertate nec tantâ utilitate sese commendat. Remotiora nempe principia fere ubivis eadem, non nisi proportione differunt. Quae si ex herbis educantur, siquidem absque violentâ quadam illarum destructione acquiri nequeunt, intellectum subtilioris plantarum compaginis parum adjuvant. Materiarum vero proxime eductarum tum magna sistit diversitas, tum amplissimus patet usus, ut earum extractio et depuratio artes nonnumquam plurimas adjuvârit, et ad multa artium Naturaeque phaenomena intelligenda multum contulerit. Quem enim, ut hoc unum afferam, quem latet magnum lumen, quae haec analysis Pharmacologiam illustravit? Nonne haec ex indigenis quoque herbis elicere saccharum edocuit? Nonne plenius fermentationis phaenomena explicuit, indeque vinariam artem multis numeris auxit? Quae nimirum omnia tot sunt voces, quae hujus analyseos laudes extollunt.

Accedamus igitur ad difficillimam hancce disquisitionem, et propter ea quae diximus, examen praecipue proximorum principiorum instituetur.

De foliis junioribus et adultis Quercûs Roboris.

Folia e gemmis prodeuntia, trita scilicet, actioni calidi alcoholis submissa fuerunt; paulo post colore foliorum viridi tinctus est alcohol, et subfuscus color foliis impertitus est: ipsis itaque binae colorantes substantiae sunt obviae. — Refrigeratione deposita est parva materiei subflavae et granosae quantitas, quae alcohole frigido lauta, vel cerae consistentiam et ductilitatem desiccatione induit; hâc lavatione peractâ, colorem habebat fuscum; igne liquescebat et in vapores albos tota quanta resolvebatur. Acido muriatico oxygenato immissa, albescit, consistentiam et ductilitatem ce-

cerae servando; mollior tamen quam antea, nobis visa est. — Liquorem alcoholicum, in quo resina viridis suspensa erat, destillavi; alcohole evaporato, materiem resinosam, viridem atque liquidam accepi; filtro immissa, ad siccitatem non facile perducebatur, stratis tamen tenuibus sub dio exposita, tandem siccabatur; ipsi primum levis sapor, at non multo post in ore producebatur amaritudinis sensatio; levis erat odor, peculiaris tamen, quasi foeneus; dissolutio hujus resinae in potassâ aquâ dilutâ, colorem induebat luteum, qui ebullitionis calore, migravit in viridem; in eâ plumbi acetas praecipitatum edebat maxime copiosum coloris viridi-subflavi. Illam materiem credidi resinam colorem foliorum viridem constituentem. — Liquor aquosus residuus, ex quo chlorophylla illa fuerat dejecta, colorem habebat fuscum, odorem fatuum, saporem insuper adstringentem, amarum et nauseosum. Ferrum colore nigro, copiose vero ichthyocollam fusco vel intenso, praecipitabat; tincturam Heliotropii admodum rufabat; principium autem gallarum scytodepsicum in illo nullam attulit mutationem. — Ex his patet, in hoc liquore magnam reperiri materiae scytodepsicae copiam, nec non acidum gallaceum. Eadem quoque principia in querceis gemmis adesse, compertum manet.

Juniora Quercûs folia pluribus alcoholis portionibus successive adhibitis effeta, colore subflavo tum tingebantur; aquae bullienti colorem subfuscum, lentorem, et sub agitatione spumandi facultatem, induxerunt. — Liquor deinde evaporatus parvam materiei pullae copiam praestitit, quae tenuibus stratis imo splendentibus adfixa est capsulae parietibus; quae materies pulla tumescendo comburitur, vaporem foetidum vel ammoniacalem spirans: dissoluta in aquâ, sulphatem ferri nigro colore, at fusco plumbi acetatem dejicit; neque ichthyocollâ, neque principio scytodepsico praecipitatur. — Substantia illa nobis videtur combinatio materiae animalis ac principii scytodepsici, alcohole insolubilis.

Nunc autem haec folia sic alcohole et aquâ successive tractata, quorum color albicans in fulvum migraverat, destillatione vaporem protruserunt ammoniacalem adeo fortem, ut vix quidem ferri posset; productum praetereâ destillationis liquidum etiam omnino alcalinum erat. Hic enim liquor cum acidis admodum effervescens, ferri solutiones sordido tinctu nigro turbabat, ipsasque acido muriatico saturatas dejiciebat. Residuus in cornutâ carbo, in cineres conversus, nullum quidem alcali vestigium reagentibus patefecit; qui cinis absque effervescentiâ acido muriatico dissolutus est; ex hâc dissolutione ammonia disjunxit phosphatem calcis; in eodem liquore nullum dein edidit praecipitatum carbonas potassae; in ipsum autem sic ammoniâ praecipitatum aqua calcis immissa, praecipitatum phosphatis calcis iterum fecit: hinc in illo phosphas solubilis probatur. Folia illa partibus solubilibus effeta mediantibus alcohole et aquâ, destillata scilicet, nobis praebuerunt productum alcalinum: alcali comes habebat acidum galicum aut principium coriarium. — Hinc jam confirmatur tannas gelatinae Quercûs roboris foliis obvius (1).

Nunc vero folia adulta in pulpam, quantum id effici potuit, reducta, novis quatuor portionibus alcoholis successive adhibitis leni calore, effeta sunt; postrema autem portio per aliquod tempus cum hisce foliis ebullierat. — Subvirides flocci omnibus cerae proprietatibus pollentes, refrigeratione sunt depositi. — Folia sic effeta colorem fulvo luteum habebant. — Destillatione institutâ in alcoholis separationem, resina praecipitari incepit simul ac spiritus vini quantitas ad ipsam plane dissolutam retinendam jam non sufficiebat: omni tandem alcohole evaporato, foliorum aqua vegetationis in cornutâ superstes, ex rubro-fusco colore distinguebatur. — Hae materiae binae seorsum examinatae, proprietates fere easdem ac substantiae e foliis junioribus elicitae, nobis obtulerunt. Sic pars in aquâ solubilis, cui sapor amarus et adstringens, gelatinam copiose figebat; ferrum nigro colore, luteo autem plumbi acetatem, calcis aquam albo-subflavo colore, praecipitabat, tincturam et Heliotropii fortiter rufabat. — Infusio autem foliorum aquosa, alcohole prius effetorum, proprietates fere easdem ac infusio foliorum e gemmis prodeuntium, obtulit.

Caeterum, haec folia sic alcohole et aquâ tractata, infusioni cum acido nitrico aquâ diluto admodum, nunc commisi; ipsi nihilominus color luteus, ipso vel acido nitrico luteus tinctus impertitus est. Huic acido nitrico sejuncto immissus acetas plumbi, copiosum in eo praecipitatum edidit album. Id praecipitatum lotum et in aquam hydro-sulphuratam immissum, liquorem fecit acidum, ex quo spontaneâ scilicet evaporatione, crystalla acida admodum accepi. Igne nigrescebant crystalla, parvamque carbonis copiam relinquebant: iste carbo lautus aciditatem aquae adhuc sensibilem, eique facultatem praecipitandi calcis aquam in floccos, impertivit. — Antequam in acidum nitricum immissus fuerat acetas plumbi, per oxalatem ammoniae calcis praesentia jam in eo detegebatur: acida illa in eo juncta calci videntur.

Horum foliorum alia portio in acido muriatico macerata est; acidum expressum et paucis post diebus filtratum sequentia nobis obtulit. Ammoniae quantitas, quâ acidum muriaticum saturari non potuerit, in eo praecipitatum effecit album, omnibus caeterâ proprietatibus oxalatis calcis simile. Liquor dein filtratus et ammoniâ plane saturatus, luteum edidit praecipitatum phosphatis calcis cunctis proprietatibus gaudens.

Ex hâc proinde analysi consequitur, foliis Quercûs inesse materiem ceraceam, materiem resinosam viridem (chlorophyllam), magnam principii coriarii et acidi gallici côpiam, ôxalatem calcis, phosphatem calcis, magnam materiei lignosae côpiam, materiem vegeto-animalem ammoniam destillatione suppeditantem (Vid. destill. junior. folior.); materiem mucosam.

---

(1) Iisdem foliis materies mucosa videtur adesse; in eorum enim infusionem aquosam immissus alcohol, substantiam sub formâ floccorum dejecit; in eâdem praeterea subacetas plumbi copiosum attulit praecipitatum mucilagine et oxydo plumbi conflatum.

Ut tandem salia detegerem, Quercûs folia spiritu vini, aquâ nec non acido muriatico tractata, in crucibulo combussi; hi cineres fere albi reagentibus vexati, sulphatem potassae, phosphatem calcis, carbonatem ejusdem basis, silicam, et ferri indicia, praebuerunt. — Principiis igitur supra dictis sulphas potassae, carbonas calcis, silica et oxydum ferri, addenda obveniunt.

De floribus nondum explicatis.

Hosce flores nondum evolutos cum pedunculo communi in mortario vitreo tritos, macerationi cum alcohole commisi: alcoholi color viridis, floribus autem subflavus inductus est. — Horum foliorum alcoholica infusio ad sextam voluminis partem evaporata, refrigeratione deposuit floccos subalbidos, pro cerâ sanè habendos, quorum vero multo minor fuit quantitas ut experimentis confirmari potuerit; huic praeterea infusioni alcoholicae leni calore evaporatae dein aquam addidi, et materies resinosa viridi-subfusca, aquâ levior, illi innatavit. — Haec experientia experientia non longius processit; omnibus itaque partibus non absolutam habeo.

De staminum filamentis.

Staminum filamenta experimentis nostris exposita antheris adhuc referta erant; alcoholi flavus color inductus est. Spiritum vini post septem dierum moram decantatum, in vasis clausis evaporavi; quo facto, resina flava, mollis, e liquore dejecta fuit. Hicce liquor, cui rubro-fuscus color, sapor saccharinus et leviter amarus, aquâ scilicet dilutus, ichthycollam tinctu albo-flavescenti figebat — Quercûs igitur filamenta tres substantias solubiles continent: nempe, 1°. resinam flavam e staminum antheris pro maximâ parte elicitam; 2°. materiem saccharinam cujus levis amarities parvae quantitati resinae superstitis debetur; 5°. principium scytodepsicum. Nimirum inter hasce substantias quaedam reperienda erant salia, quorum vero naturam, pro parvâ staminum de quibus actum est, copiâ eruere nequivimus.

De Quercûs Roboris humore.

Quercûs Roboris humor, tempore Maio mihi allatus, cui rubro-fulvus color, sapor stypticus, vel infuso materiae scytodepsicae proximus, sequentes reagentibus obtulit proprietates; tincturam Heliotropii rufabat; ammonia, baryta, subcarbonas potassae, in eo leve praecipitatum albo-subflavum effecit; acido oxalico praecipitatum album copiosius ortum est; acido muriatico oxygenato color luteus, et brevi post sedimen floccosum ejusdem coloris; acido sulphurico concentrato color niger et odor acidi acetici; sulphate ferri protinus niger tinctus; ichthyocollâ tandem praecipitatum album maxime copiosum, oriebantur: hisce jam indicantur acidum galicum atque materies scytodepsica. Ita mihi sufficiebant indicationes, ut in accuratiore examine pergere possem; nec fere alia reagentia adhibui, cum ex illis nunc jam adhibitis pauca aut forsan fallacia efficere potuissem; plane enim ignoramus actionem reagentium plurimorum mineralium in diversas adhuc commixtas regni vegetabilis substantias. — Ut igitur de principiis proximis, quantum effici poterat, judicarem, humorem illum in capsulâ porcellanâ leni balneo arenae evaporavi; odor seu sapor ille principii coriarii nonnihil perierat per evaporationem; massa tamen ad siccitatem perducta, et aquâ diluta, ichthyocollam adhuc figebat ac ferro nigrum inducebat colorem. — Per evaporationem humoris cujus color magis saturatus evaserat, magnam materiei extractivae, pullae nimirum, quantitatem accepi; quae substantia calci vivae mixta, levem ammoniae spiravit odorem. — Eadem destillatione vexata productum praebuit ammoniacale, oleum spissum ac faetidum, carbonemque reliquit ustu difficilem. — Iste carbo in quem acidum muriaticum affuderam, substantiam praebuit deliquescentem, tincturam Heliotropii rufantem, cui sapor adstringens et stypticus: illum salem acetatem aluminae credidi. Acido sulphurico aquâ diluto, extractum illud odorem fortem acidi acetici, odori levi empyreumatico mixtum, illico sparsit. Alcohole non nisi parva quantitas illius substantiae dissoluta est: ex hoc itaque extractum maxime mucosum probatur. — Separatâ materie illâ quae per evaporationem dejecta fuerat, nunc humorem filtratum et aquâ dilutum ichthyocollae miscui: sedimen albo griseum maxime copiosum ortum est. — Hocce principio coriario secreto, liquoris color jam magnâ parte perierat; sapor imo mutatus, nigro tamen colore ferri solutionem adhuc inficiebat: acidum igitur galicum ipsi liquori obvium probatur. — Illâ dein solutione evaporatâ, materies extractiva dejecta est. Interea flocci quidam e combinatione materiei scytodepsicae cum ichthyocollâ oriundi, fuerunt depositi. Liquori ad siccitatem reducto alcoholem ebullientem infudi: istud reagens rubrum induit colorem; maxima tamen extracti portio, non soluta nempe, sub formâ materiei nigro-splendentis mansit. — Illius extracti dissolutio alcoholica ad siccitatem evaporata, rubro-subflava, plane pellucida, videbatur; ipsi sapor salinus et acutus, humoremque aëris fortiter attrahebat. Hoc extractum aquâ penitus solubile erat; acida autem erat dissolutio; in eâ carbonas potassae copiosum edidit praecipitatum, quod naturae calcariae credidi: ammoniâ leve praecipitatum oriebatur. — Pars extracti alcohole insolubilis, in aquâ liquefacta, pulverem fusco-subfulvum deposuit, nullius saporis sensibilis, difficile comburentem, fumumque spargentem corporibus animalibus combustis similem. Quamvis

vis haec materies in crucibulo argenteo rubra diu manserit, semper nigra visa est; cum acido muriatico multum efferbuit, et carbo sub levis pulveris formâ separatus est. Nunc autem haec materies aquâ diluta est, liquorque filtratus ope carbonatis potassae, carbonatem calcis praebuit. Mediante igitur calore, substantia extractiva videtur obtinere facultatem calcis acetatem decomponendi, et separandi acidum, ut basi ejus sese jungat.

Unde colligendum videtur, Quercûs Roboris humorem continere aquam, acidum galicum, materiem scytodepsicam, acidum aceticum, acetatem aluminae et calcis, materiam mucosam et extractivam: quibus addendus acetas potassae forsitan obvenit.

De junioribus Quercûs Roboris corticibus.

Cortices juniorum Quercuum in pulverem grossum redacti, iterum et saepius cum sufficienti quantitate alcoholis infusi sunt; ita ut postremâ vice nullo amplius colore vini spiritus tingeretur. Liquor hicce filtratus, cui color rubro-fuscus, odor amarus et adstringens; additâ aquâ lactosus reddebatur, et in eo sulphas ferri pulchrum ciebat colorem caeruleum. — Hancce corticum infusionem alcoholicam destillavi, ut alcohol sejungi, et materies in eo dissolutae, separatim obtineri potuerint. Alcohole evaporato, aquosus liquor residuus materiem resinosam pulverulentam, griseosubfuscam, saporis adstringentis, deposuerat; quae materies, caeterum ichthyocollam abunde figens, et sulphati ferri colorem intensum viridem inducens, alcohole et aethere sulphurico plane solvebatur: haec dissolutio abunde praecipitabatur aquâ, et ita turbata, sulphatem ferri in virides floccos dejiciebat; in oleis praeterea fixis et in potassâ et sodâ dilutis aquâ, solvebatur; missa autem in ferrum rubro-candescens, primum flammam luteam, deinde fumum spissum atque copiosum, spargebat, paululo carbone ustu difficili relicto. — Liquor ab hâcce materie resinosâ residuus, odoris fatui, coloris fusci, chartam succo Heliotropii tinctam rufans, sedimen copiosum subflavumque cum ichthyocollâ dedit; caeruleum inducebat colorem solutioni sulphatis ferri; colore autem fusco sulphatem cupri praecipitabat; nullam vero mutationem in solutione tartratis antimonii et potassae, nec in solutione Kinae vulgo dictae Sancta-Fé, effecit; formâ tandem floccorum subflavorum aquâ calcis; acetate autem plumbi luteo floccoso, dejiciebatur. Semper observavi praecipitata variis reagentibus acquisita, fieri copiosiora, pondere aequali, in junioribus quam in vetustioribus corticibus. In cortice igitur principium scytodepsicum et acidum galicum (1).

Iidem

---

(1) Ex Corticibus quercinis nullum acidum gallicum extricare potuit Cl. Davy (Philosoph. Transact. for 1803), qui multorum corticum analysin instituit, eo praesertim consilio, ut latentis in iis coriarii copiam cogno-

Iidem cortices pluribus alcoholis portionibus successive adhibitis effeti, nunc cum aquâ purâ infusi sunt, ipsi colorem subfuscum, lentorem, et sub agitatione spumas agendi facultatem, impertiverunt: exin jam indicatur substantia mucosa. In hâcce infusione tinctura iodii caeruleum ciebat colorem, amylo tribuendum. — In eandem corticum infusionem infudi solutionem sulphatis aluminae et potassae, cui infusioni dein solutionem subcarbonatis sodae immisi; quo facto, dejectum est alumen, quod principium, se praecipitando, materiem colorantem secum contraxit; receptum deinde praecipitatum acido hydrochlorico aquâ diluto tractavi, quod acidum alumine positum est, materiemque sejunxit colorantem, quam largâ aquae copiâ lavavi, eo scilicet consilio, ut parva pars hydrochloratis aluminae ipsi adhaerentis tolli potuerit; illam dein igne leni siccavi, et accepi substantiam pulverulentam, coloris fusco-subrubri, materiem nimirum corticis colorantem. — Pars quaedam illius infusionis, quam seposueram, in capsula porcellanâ balneo arenae evaporationi commissa est; urgente evaporatione, liquor coloratus est, extractumque fusci coloris, igne ductibilem, praebuit; in hancce materiem suffusus alcohol, non nisi partem quamdam dissolvit, residuumque floccorum formâ dejectum est: omnino igitur mucosum videtur extractum. — Idem extractum aquâ penitus solubile, tumescendo comburitur, vaporemque faetidum, nimirum ammoniacalem, spargit. — Pars quaedam corticum alcohole et aquâ tractatorum, acido hydrochlorico aquâ diluto immissa est; postero die aquâ novâ lavavi residuum, pro acido ipsi adhaerenti secernendo, et tandem accepi materiem solidam, coloris albi sordidi, saporis et odoris expertem, vulgo nuncupatam principium lignosum. — Alia pars corticum alcohole et aquâ, ut diximus, tractatorum, infusioni cum acido nitrico commissa est, quod acidum, licet aquâ dilutum, luteo colore tinctum est. In hoc acidum filtratum immissus acetas plumbi, copiosum in ipso praecipitatum effecit album. Id praecipitatum lotum et aquae hydrosulphuratae immissum, liquorem fecit acidum, ex quo, spontaneâ scilicet evaporatione, crystalla admodum acida accepi; quae crystalla igne nigrescebant, parvamque carbonis partem relinquebant: iste carbo lotus aciditatem aquae sensibilem adhuc, eique facultatem aquam calcis floccorum formâ prae-

sceret. De partium istud principium aut acidum galicum constituentium naturâ et indole, multae controversiae existunt; illud autem si notatur, quod 1. pleraque corpora gelatinam figentia, sint acida; 2. quod saepius infusiones vegetabiles illam non nisi addito acido praecipitare possint; 3. quod denique magna pars nativorum coriariorum tincturam Heliotropii rufet, inde colligendum videtur, principia coriaria nihil esse nisi combinationes acidorum vegetabilium cum substantiis quarum natura variare potest; quae opinio Chemicis nostri aevi eo verisimilior est, quod plurimae vegetabiles substantiae, quibus si acidum quoddam addatur, gelatinam praecipitandi facultatem obtineant. Quis praeterea credat corpus *tannans sui generis* reipsa existere, cum illud purum nequaquam obtineri possit? ipsi enim semper adhaerens acidum galicum notatur; in officinisque coria colore nigro tingi solent solutione sulphatis ferri.

praecipitandi, impertivit. Jam priusquam in acidum nitricum fuerat immissus acetas plumbi, oxalas ammoniae in eo calcem praesentem indicabat; acida igitur de quibus agitur, calci unita erant. — Tertia pars horum corticum cum acido muriatico macerata est; acidum expressum et post dies aliquot filtratum sequentia praebuit. Ammoniae quantitas, cujus ope muriaticum acidum saturari non poterat, in eo praecipitatum effecit album, omnibus oxalatis calcis proprietatibus gaudens. Liquor dein filtratus et ammoniâ saturatus, luteum praebuit sedimen phosphati calcis simile.

Ex his igitur experimentis intelligendum videtur, in corticibus quercinis inesse: principium scytodepsicum, acidum galicum, materiem resinosam coloris griseo-subfusci, parvam amyli quantitatem, materiem mucosam et extractivam, materiem colorantem, principium lignosum, oxalatem calcis, phosphatem ejusdem basis.

Nunc autem ad salia in corticibus querneis alcohole, aquâ et acido muriatico successive tractatis reperienda pergendum. Jam itaque, hosce cortices in crucibulo combussi; cinerem fere album immisi in aquam, et solutionem justo modo evaporavi. In partem hujusce solutionis infudi aquam barytae; conflatum est praecipitatum album, quod dein acido nitrico tractavi: cum effervescentiâ protrusum est corpus gazozum quod in aquam calcis tubo mediante deduxi; corpus gazozum ita fuit absorptum, albumque citum est praecipitatum, quod, acido acetico diluto tractatum, de novo efferbuit cum evolutione ejusdem gazis, omnibus acidi carbonici characteribus praediti; hoc igitur acidum cineribus obvium videtur. Cum autem acidum nitricum omne praecipitatum dissolvere nequivisset, variis fortissimis acidis residuum tractavi, et semper in iis insolubile mansit; id igitur sulphas barytae videtur. — In aliam liquoris portionem oxydum argenti infudi; formatum est praecipitatum acido nitrico solvi nescium, ammoniâ vero admodum solubile; hinc acidum hydrochloricum videtur. — Etiam inveni phosphatem calcis, subcarbonatem potassae, carbonatem calcis, oxydum ferri et silicam.

Praecedentibus igitur addenda principiis obveniunt: subcarbonas potassae, sulphas et hydrochloras potassae, carbonas calcis, oxydum ferri et silica. Vix opus est monitu, quantitates materiarum organicarum difficulter definiri posse; saepius enim aliquid aquae retinent, quod non facile ab illis removeri potest; saepius siccatione ad temperaturam aquae ebullientis aliquid ipsius materiei deperditur. Huic defectui analyseos nostrae certe facilius veniam dabit, quicumque chemiam experimentalem usu ipse suo cognovit.

De glandium cupulis.

Infusio cupularum alcoholica, cui color profunde viridis, sapor amarus et adstringens admodum, reagentibus vexata, nobis obtulit resinam viridem amaram, principium scytodepsicum, acidum galicum, acidum liberum. — Infusio autem earumdem aquosa concentrata, saporem habebat acidum, salsum et subnauseosum; aquâ calcis praecipitabatur; etiam ammoniâ dejiciebatur, et in hoc postremo casu, filtratus liquor de novo aquâ calcis praecipitabatur; hinc acidum phosphoricum; murias platinae copiosum quoque sedimen in illâ efficiebat. Illa igitur infusio aquosa, quae colorem praeterea nigrum inducebat ferri solutionibus, continet phosphatem calcis, acidum liberum (phosphoricum?), sal potassae, acidum galicum.

Cupularum tandem cineres, duri et agglutinati, saporem habebant salinum et leviter alcalinum; atqui chartam Heliotropii caeruleam reddebant acido quodam rubefactam. — Solutio eorum aquosa, acido muriatico saturata, nullum fere praecipitatum aquâ calcis edidit; minimam igitur phosphatis alcalini partem continet. — Iidem cineres loti et cum sub-borate sodae fusi, colori nigro luteum induxerunt: quod ferro oxydato videtur attribuendum. — Cineres iidem loti in acido muriatico cum effervescentiâ dissoluti sunt, exceptâ silicae parvâ quantitate. Colore albo-subflavo dejiciebantur per ammoniam, caeruleo autem per prussiatem potassae, et jam per ammoniam praecipitati, etiam oxalate ammoniae dejiciebantur.

Cupularum igitur cineribus inesse videntur: parva pars phosphatis potassae, phosphas calcis, carbonas ejusdem basis, ferrum oxydatum, alcali et silica.

De glandium pericarpio.

Infusio pericarpii alcoholica, colore luteo inducta, saporem habebat amarum; evaporationi commissa, in luteum abiit coagulum quasdam partes virides continens; quod aquâ lavavi; liquor filtratus chartam succo Heliotropii tinctam rufabat; per aquam calcis in floccos subflavos dejiciebatur; per oxalatem ammoniae in album granosum; per acetatem plumbi in luteum floccosum; sulphas ferri in eo primum nullam efficit mutationem, acidi autem excessu saturato, liquor caeruleo nigrescenti tingebatur. — Acidum liberum in hâc infusione contentum videtur acidum phosphoricum. — Eadem illa solutio platinae muriatem colore luteo dejecit: hinc sal quoddam potassae indicatur; nitras barytae copiosum in illa praecipitatum, acido nitrico solvi nescium, effecit; hinc acidum sulphuricum. — Altera pericarpii infusio alcoholica ad siccitatem evaporata, aquâ diluta, materiem omnibus resinae proprietatibus praeditam, praebuit; haec resina, alcohole recepta, pulverem dedit subflavum combustione spargentem odorem corporibus animalibus combustis similem; cinis ejus fuscus in acido muriatico dissolutus, ipsum colore luteo tinxit. Ea cinerum dissolutio colore caeruleo dejiciebatur per prussiatem potassae; albo autem roseo, per ammoniam.

Infusioni igitur Pericarpii alcoholicae, inesse videntur: principium scytodepsicum, forsitan acidum galicum, sal basi potassae et calcis, acidum phosphoricum, acidum sulphuricum, resina, oxydum ferri et manganesii.

Infusio pericarpii aquosa, fere easdem, minori tamen intensitate, proprietates obtulit. Pericarpia tandem illa alcohole et aquâ successive tractata, in crucibulo combussi; cineres continebant phosphatem potassae et calcis, carbonatem calcis, ferrum oxydatum et silicam.

De quercinis glandibus.

1ª *Operatio.* Infusio glandium in pulverem radulâ extenuatarum, saporis amari et adstringentis, tincturam Heliotropii rufabat; ichthyocollae solutionem colore subflavo praecipitabat, nigro autem ferri solutiones. Ex his et aliis experimentis in eandem rem adhibitis mihi patuit in glandibus inesse, acidum galicum, materiem scytodepsicam, acidum liberum.

2ª *Operatio.* Quamdam glandium partem in pulverem tenuissimum in mortario marmoreo extenuavi; quem pulverem, coloris rubro-subflavi, in cribro supra vas posito, dein deposui, et largâ aquae copiâ dilui; pulveris color idem mansit. Aqua, cujus ope dissolutus est mucilago, secum traxit feculam amylaceam quae, in illâ solvi nescia, dejecta est; aquam illam, cui color succineus et sapor infusionem quernei ligni referens, decantavi, et materiem residuam filtro immissam, lavavi, donec aqua effluebat limpida et omnis odoris expers deprehendebatur; quo facto, fecula leni calore siccata est. Id amylum humidum coloris est, ut ochra, lutei sordidi, de quo tamen colore, siccescendo, aliquid demittit, et ad colorem gallarum in pulverem extenuatarum tandem proxime accedit. Materies illa, nempe non amara, sapore scobis querceae distincta, certe sistit amylum; iodio enim triturata, caeruleo tingebatur colore, et cum aquâ cocta, glutinum effecit coloris rufi admodum fuscati, lignique quernei gustum continuo servans. Ex hoc amylo sicco nullam tincturam traxerunt aqua et vini spiritus. — Alio experimento novimus, solâ expressione succi, reliquum destitui amaritudine et adstringendi facultate, et siccatum in pulverem tenuissimum redigi, nullo modo ingratum.

3ª *Operatio.* Aquâ frigidâ glandium farinam tractavi; post duorum dierum macerationem liquor filtratus, in tres portiones divisus est. 1°. In alteram portionem alcohol infudi, et materies mucilaginosa floccorum viscosorum formâ dejecta est; 2°. In alteram dein infudi potassam silicatam, quae secundum Cl. Thompson sententiam, omnium optimum reagens videtur ut gummi dissolutum dignoscatur; album in eâ praecipitatum effecit floccosum. 3°. In postremam tandem infudi subacetatem plumbi et copiosum accepi praecipitatum mucilagine et oxydo plumbi compositum, oxydo nempe, hydro-sulphates enim solubiles, ut hydro-sulphas potassae et sodae, illud oxydum in sulphuretum plumbi, convertebant. Ex his itaque conclusi, in glandibus existere materiem mucilaginosam.

4ª *Operatio.* Glandium farinam ex aquâ subactam in manibus mollivi sub epistomio fontis aquae venam tenuem inducentis, donec aqua, quae initio lactosa erat, jam nihil partium alienarum dissolvens, limpitudinem suam servaverit; tum in manibus habui substantiam quamdam mollem, elasticam, coloris albo-subgrisei, odoris spermatici, omnibus tandem dotibus glutinis praeditam.

5ª *Operatio.* Quum glandes maturae, quamvis amarae et austerae, saporem imò subdulcem habeant, nobis succurrit opinio, quamdam in ipsis sacchari quantitatem latere; ita ut curasse natura videretur, ut in glandibus substantias sapore et proprietatibus maxime contrarias libens miscuerit. Atque ut haec facilius intelligere potuerim, sequens institui experimentum. Glandium itaque farinae libram octuplâ aquae portione dilui, cui addidi unciam fermenti aquâ subacti; hancce dein miscelam exposui temperaturae 20° ad 25° + 0; horae dimidio quo haec gesta sunt, fermentatio jam locum habuit, immo et ad sex pollices extra liquorem supereminuit. Duobus post diebus, liquorem in cornutâ destillavi, et quamdam alcoholis quantitatem accepi. Atqui jam perspicuum est, absente saccharo, nihil alcoholis formari posse, quum alcohol nihil aliud sit nisi saccharum, substractâ quadam carbonii et oxygenii quantitate in proportionibus acido carbonico formando idoneis; hujusce autem acidi carbonici pondus fermentatione protrusi, circiter dimidiae parti sacchari in liquore latentis aequiparatur. Ex his itaque, saccharum in glandibus reperiri abunde patet.

6ª *Operatio.* Quamdam farinae glandium portionem aethere tractavi temperie 25°, 26° therm. Centig.; quatuor post diebus liquor decantatus est et in eum infudi partem aquae octuplam. Brevi post autem ipsi supernataverunt flocci leucophaeo proximi, qui tanquam olei concreti species considerari possent; quoniam quando resina alcohole vel aethere soluta, in aquam infunditur, ipsa semper vasis fundum petit; quod vero phaenomenum in hac operatione locum non habuit. Huc accedit, quod circum supraque floccos illos supernatabat oleum fixum fluidum, quod oleum aquae decuplâ portione dilutum, et in breve testu introductum, lychno spiritu vini confecto calefici; omnino in vaporem abiit aqua, et oleum tandem in carbones resolutum est: ex hoc igitur illud oleum esse fixum jam concludendum est. Item fuit de specie olei concreti supra dicti: quae olei species odoris et saporis expers erat. — Res etiam longius processit. Glandes enim in pulverem subtilissimum extenuatas tractavi potassâ causticâ multâ aquâ dilutâ, ipsasque per quadrantem horae infervefeci; decantavi et ad trigesimam partem evaporatione dein reductus est liquor; quo facto, in ipsum infudi quamdam acidi hydrochlorici quantitatem, quae potassam adhibitam saturare potuerit. Liquori etiam supernatavit oleum quoddam, idem sane ac illud aethere acquisitum, quod vero, agente potassâ, in acidum oleicum sine dubio conversum est, quodque oleum, saponis specie ita formatâ, dein acido hydrochlorico sejunctum est.

7ª *Operatio.* Quamdam glandium partem in aquâ per viginti quatuor horas maceravi, ut inflari et sensim ad statum humiditatis naturalis revocari potuerint. Per hanc infusionem, dissolvitur parva pars materiae extractivae quae colorem subflavum et saporem amarum aquae impertitur. Glandes dein in mortario marmoreo mediante pilo ligneo pinsui, ut in pastam reducerentur, quo facto, illas in porphyrite cum ligno versatili trivi. Glandes commode tritas dein in ampullam, in quâ sufficiens alcoholis concentrati quantitas, immisi; vini spiritus aureum colorem intensissimum brevi post acquisivit. Ampulla in loco subcalido exposita, saepius de die agitata fuit. Liquorem dein, post viginti quatuor horas filtratum, cum forti expressione colavi.

Farina in lagenam de novo immissa cum novâ alcoholis portione, per viginti quatuor horas infusa est; multum etiam coloris acquisivit alcohol; modo quem jam volui, colavi, et easdem institui operationes donec nullo jam colore tingeretur alcohol. Postremâ vero infusione colatâ, in farinam linteo impositam iterum et saepius alcoholem infudi, uti scilicet melius lavari potuerit. Farinam postea prelo vexatam stravi craticulis chartâ obtectis, et aëre libero siccavi; quae farina, non amara, in pulverem reducta, cribro serico succreta est.

Omnem deinde vini spiritum in farinam glandium adhibitum destillavi; liquori aquoso, nempe coloris subrubri, supernatabant flocci gummi-resinae opacae; liquore autem filtrato, gummi-resinam in filtro accepi; quae substantia, amara, aquâ solvebatur, liquoremque ciebat subflavum. Alcoholi autem, in quo male solvebatur, colorem luteum inducebat; hanc resinam praecipitabat aqua, et mixtio tinctu albo et lactoso distinguebatur. Liquor filtratus, ex quo resina disjuncta fuerat, saccharino sapore et non parvâ amaritudine distinctus erat; color ejus potassâ non mutabatur; huncce liquorem evaporavi, et accepi extractum omnino saccharinum, at amaritie notum.

8ª *Operatio.* Glandes omni amaritie destitui, ope alcoholis, et aquae experimentis patuit; at methodum multo minores sumptus et labores exigentem inquirere operae pretium erat. Quem in finem, glandes aquâ coxi, sperans fore ut amaritudinem earum secernerem; at omnem amaritiem et astrictionem servaverunt. Cum vero non me lateret potassam facultatem habere varias resinas modificandi, glandes in cineribus ligneis calidis coxi, et hâcce methodo, illas omni amaritudine et astrictione liberâsse contigit. — Potassa cineribus obvia, cum resinâ glandium amarâ combinata, amaritudinem glandium destruisse videtur, formando quamdam saponis speciem; resinis enim impertitur facultas cum potassâ seu sodâ connubium ineundi.

Ex his experimentis constare videtur, Glandibus Quercinis inesse acidum galicum; materiem scytodepsicam; acidum liberum; feculam amylaceam; materiem mucilaginosam; gluten; materiem saccharinam; resinam amaram; materiem extractivam; oleum fixum.

Cineres continebant potassam, phosphatem calcis et potassae, sulphatem potassae, oxydum ferri, silicam.

Destillatio ligni Quercûs Roboris, ejusdemque humi fuscae.

Cl. Saussurius e ducenis granis ligni quercei, et quantitate aequali ejusdem arboris humi, destillatis acquisivit (1):

	E ligno pollices, cubos	Ex humo pollices, cubos
Gazis hydrogenio-carbonati. . . .	116	124
Acidi carbonici.	29	34
Aquae continentis acetatem acidum ammoniae.	80 grana	53 grana
Olei empyreumatici.	13	10
Carbonis.	42	59
Cinerum.	½	8.

Et sic huic parti Chemicae finem imponimus, cujus difficultas pro desiderandis veniam impetrat.

CAPUT QUINTUM.

QUERCÛS ROBORIS CULTURA.

Omnes fere expositiones, omnia sola Quercui conveniunt: nimirum imae valles, collium dejectus, vertex montium, solum siccum ac humidum, pariter argilla, limus et arena; arbor vero illa Europaea, septentrionale frigus fugiens, felicius crescit in terris limosis, profundis atque fertilibus; ipsi nec omnino displicent terrae arenosae, cretaceae et calculosae, dummodo justâ proportione sint profundae.

Quercus non nisi glandibus multiplicatur; hae autem tempore quo demittuntur, tum enim maturae, solo mandari debent; quae vero priores ac posteriores sunt demissae, glandes merito rejici solent, et prorsus crassissimae, praegraves, porro maxime coloratae, et ex arboribus longe robustis ortae, eligendae obveniunt.

---

(1) Th. de Saussure, Rech. chimiq. sur la Vég. pag. 163, 164.

Scitur solum ad plantarium destinatum esse debere clausum et optime praeparatum; quin et illud eo magis subactum est, quo felicius crescent glandes. Quum vero Quercûs perpendicularis radix alte descendat (1), solum potius ligonibus fodere quam aratro, longe praestat; aratrum quippe nil nisi superficiem dividit, non item vero ligonum usu. In hancce operationem brachiis hominum ita confectam nimirum multo longior et carior opera insumitur, at summi nostratum labores etiam centum annis compensati mitigantur (2).

Glandium satus variis quidem modis institui potest. Jam enim, semina huc et illuc (gallice *à la volée*), aut in sulcorum directionem, seruntur; at postremo hocce modo, ab intervallo pollicum octo ad decem usque, quantum fieri potest, disponi solent. Primo autem anno cum frigore plantarium indiget, avenam aut hordeum simul serere multum confert; eo enim modo, praeter sumptus jam pensitatos, a nimiis solis ardoribus defendetur. Secundo autem anno repastinabitur plantarium; quo facto, istiusmodi iteratio jam non nisi quarto, sexto, etc. institui poterit, donec suis pollens viribus, nec indigum nostrî, malas suffocat herbas. Plantarium ita confectum a suibus, muribus, porro corvis, dein a vaccis et ovibus defensum, necessario feliciter crescere debet.

Alia sistit methodus magis oeconomica, quae fere exclusorie pro vacuis sylvarum spatiis iterum frequentandis instituitur. Illa autem in eo versatur, quod per intervalla ad duos vel tres pedes terram largo ligone subvertant; in medio dein tres vel quatuor glandes ad altitudinem trium vel quatuor pollicum seruntur. Subsequenti anno solum iteratur, et plantarium eo modo quem supra voluimus, colitur.

Caeterum, sunt qui perpetui seminarii institutionem, uti pluries accepi, prae caeteris extollunt. Quem in finem in pulvinis (gallice plate-bande) semina eâ quâ decet distantiâ, seruntur: per quinquennium repetitur haec operatio. Quinto autem anno Quercus e priori satu oriundae, transplantantur, novisque supplentur glandibus. In perpetuum ita renovatur seminarium, ex quo juniores plantae, terreno scilicet opimato, semper acquiruntur. Si Quercus quintum annum agens, viribus ad [illegible] transplantationem non polleat, glandes in aliis pulvinis serantur oportet; quod si confici nequeat, finis hyemis exspectetur, et per hancce aestatem glandes per strata dispositae et cum arenâ semi-siccatâ mixtae, in loco sicco et arenoso collocentur. Verno dein tempore, cum gelu jam non est timendum, cauta manu glandes vicibus alternis capiuntur, parcendo radiculae vel plantulae; et in fossis vel sulcis in finem praeparatis ita collocantur, ut ad coelum plantula vergat. Illud autem objiciendum habemus, quod extremis digitis radiculam stringere quidam soleant, eo scilicet consilio, ut radicis perpendicularis formatio impediatur; quod perperam tamen; Quercus enim procellas ferre succosque nutritios ad magnam altitudinem haurire debet.

---

(1) Quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit.
Virg.

(2) Cum apud nostrates magna quercei ligni copia singulis annis absumitur, erit illud tempus cum annonâ gravi conflictabuntur, si scilicet in hâc arbore pretiosâ ubivis colendâ indormire pergant. Cuique tamen domino haec res esset admodum in facili, ut scilicet in hortis aut aliis in locis quamdam glandium quantitatem serere posset. Ecquando dies futurus est, quo vacuam istiusmodi neglectu Patriam visuri sumus? Quandiu etiam furor iste sylvas destruendi nos eludet?

Ex ipsâ vel naturâ transplantata Quercus non nisi magnâ difficultate radicatur; optimâ tamen culturâ evolvuntur fibrillae quibus transplantatio felicem habet exitum. Haec autem ut prosperius succedat, ante annum jam fossae sunt praeparandae, ut terra scilicet principiis fecundis per aëra sparsis imbui potuerit. Caveant inprimis ne perpendicularis radix seu fibrillae mutilentur; caveant insuper ne cava in quibus sunt collocandae, magnitudini et viribus radicum respondeant. Quercus e sylvis ortae magnoque pretio emptae, vulgo pereunt si transplantentur, eo quod radices decurtatae fuerint.

Quercus nostra a bimatu ad quinatum usque, et duobus anni temporibus, ex ipsâ soli naturâ, transplantari potest. Verum enim, in locis siccis atque frigidis per Februarium atque Martium plantetur, autumni quippe et hyemis aquationes copiosae radicibus arborum tempore autumnali consitarum nocere possent. In solis vero siccis plantationes institui possunt, cum glandes fiunt maturae, cumque folia autumno demittuntur. Cautiones profecto jam enarratae, et sequentes vel utrâque aestate nunc adhibeantur.

Jam itaque gelu vel aquilone vexantibus nulla unquam planta eradicanda est; quippe si ventus, inprimis exeunte hyeme in radices irrumpat, hae protinus siccantur; pororum contractio et occlusio locum habet, suctus itaque radicum, et proinde succorum motus languescunt, eoque modo pereunt arbores. Tempore autem pluviali plantas evellere satius est, et ad diem usque transplantationi idoneum illas terrâ obruere. Quod si transplantatio Mense Februario Martiove instituta fuerit, ut radices adhuc tenellae a nimiis caloribus subsequentibus aptius defendantur, arbores paleâ cingere, nec non quibusdam frumenti fascibus fossarum quadratum cooperire, multum quidem interest: tempore enim aestivo terra sic frigida manebit, paleaque putrefacta in fimum cedet. Retulisse praeterea juvabit, quod juniores plantae palis sustineri, spinisque pro arcendis animalibus, si campo liber aditus pateat, obtegi debeant.

Quando Quercuum minorum resatarum radicibus parcitum fuit, ipsas succidere omnino fit inutile; si vero fuerint decurtatae, tum succisio fructuose instituitur. In sylvis pereunt rami laterales; Quercuum autem a caeteris sejunctarum rami juniores adhuc interputari debent; in crassioribus enim ramis succisis vulnera partem interiorem rondentia obtinent. Si quis in sylvis, ambulacris, etc. consitas Quercus ſelicius crescere velit, per priores annos arationibus minimè parcendum erit.

Nec silentio praeterea premendum, quod apud Anglos, in Comitatu Yorck, Quercus antiquo modo jam non serantur; radicum enim pullis satae, ad 30 vel 40 pedum altitudinem, decem pollices crassitudine colligentes, intra 40 annos perveniunt. Acra Quercubus ita confecta viginti libras Sterlings domino refert: alio autem culturae modo, acra illa vix plus octo Shellings per annum refert (Cl. Marshall) (1).

Quercus Robur crassitiem et altitudinem immensam obtinet. Quis nostrûm non audivit de Quercu illâ, cujus rami quatuor et quinquaginta pedes longi, trecentos equites seu quatuor millia peditum inumbrare poterant (2)? Naturae etiam studiosis Bruxellarum contigit magna admiratio hujus assis querceae longitudinis centum et viginti pedes habentis. Hisce addam, quod in Pago Allonville dicto (in Praefecturâ Sequanae inferioris), quidam mihi hercule proximus anno 1817 demiratus sit Quercum Robur, cujus truncus orbe metra undecim colligit: in interiori autem parte, cavâ scilicet, posita est aedicula, supra quam habitatio pastoris collocatur.

CAPUT SEXTUM.

QUERCÛS ROBORIS USUS.

In Europâ nulla quidem arbor extensiorem offert usum. Nimirum diceres Naturam in ipsâmet utile dulci miscere, damnaque ex amaris glandibus orta, magnis profecto commodis compensare voluisse. Cujus rei argumentum in sequentibus facile inveniri potest.

---

(1) Nouv. dictionn. d'Hist. natur.; appliq. aux arts, tom. V. art. Culture.

(2) Plot, Hist. natur. d'Oxford; Ray, Hist. génér. des Plantes.

SECTIO PRIMA.

Usus medicus.

Arbor omnibus suis partibus adstringit. Cortex et Folia, inquit Clariss. Voltelen (1), ad usum externum decocta, utiliter applicantur partibus relaxatis, emollitis, prolapsis, putridis, formâ fomenti, cataplasmatis, gargarismatis, injectionis. Cortex admodum tonicis pollens viribus, in Kinae succedaneum pro morbis usum hujusce corticis repetentibus adhiberi posset: Sic jam cortex ille quercinus, *Anthemidi nobili* et *Gentianae luteae* si mixtus sit, conflatur medicamentum optimum in Hospitiis militaribus cum successu pro febribus intermittentibus adhibitum. Novimus hominem fluxu urinae immodico s. diabete affectum, qui se sanum laudavit usu potûs aquae calcis in quâ cortex querceus, ad s. q. maceratus fuerat; laudatur praeterea in diarrhaeis chronicis, haemorrhagiis passivis; meretur haec res summam prudentiam in administratione medicamenti certe Styptici, et ab usu interno, nisi causa gravis subsit, tutius abstinebitur. — Glandes vero aliquo tempore a nonnullis impense celebratae sunt. Dudum quidem inter domestica apud Brunsvicenses, et Nostrates quoque, remedia, contra erysipela, habitae fuerunt in pulvere cum cerevisiâ calidâ sumptae; nuper vero Cl. Schroeder (2) glandium leviter tostarum infusum ad glandularum obstructiones, atrophiam scabiem, tabem cum nodis podagricis, arthritidem, variolas non rite suppurantes, etc. mire depraedicavit. Postea, scilicet 1776, vires glandium confirmavit Cl. Marx (3), suisque et aliorum experimentis conduxisse affirmat, hisce morbis de quibus modo, aliisque quos, ne multis morer, referre displicet. Meretur haec res ulteriorem indaginem, vel simul prudentiam, ut jam diximus. Magno cum successu glandium infusum ad mesenterii debellandas obstructiones, quibus laborabant infantuli, adhibuit Cl. J. L. Kesteloot. — Gallae pro usu interno vix in censum veniunt; a nonnullis tamen aliquando combinatur cum amaris seu aromatis ad debellandas haemorrhagias passivas, diarrhaeas rebelles, febresque intermitmittentes (1). Nobismet data fuit occasio gallas laudandi, sub formâ gargarismatis, in ptyalismo ex unguento hydrargyri orto; quem in finem gallarum uncia cum aquae viginti quatuor unciis ebullierat. — Boletus-pseudo-igniarius rite praeparatus, optimum sistit adstringens ad sanguinem sistendum coarctando diametrum arteriae. Pulvis Carbonum efficaciter adhibetur externo modo ad taeniam capitis; cariei dentium obicem ponit; gangraenae, ulceribus malignis, exanthematibus diurnis utiliter opponitur (J. L. Kesteloot).

---

(1) F. J. Voltelen, Pharmacologiae Universae pars 1. pag. 278.

(2) Von den Wirkungen der Eicheln, Verstopfungen der Drusen im menschlichen Koerper aufzuloesen; in 4. Goettingen 1774.

(3) Geschichte der Eicheln, nebst Erfahrung ueber den diaetetischen und medicinischen Gebrauch derselben; in 8vo. Dessau.

Obs. In urbe gallicâ cui nomen Ambianum (Amiens) exstat moletrina ad quercinos cortices in pulverem reducendos destinata. Illud ibi multiplici observatione constat, quod opifices, qui vitam degunt pulveri ex corticibus pulverisatis obnoxii, febribus intermittentibus nunquam laborent; dum e contra alii diversis operibus intenti, nec non incolae illius loci palustris et humidi, hisce morbis, saepius autem autumno, vulgo afficiuntur (2).

SECTIO SECUNDA.

Usus Oeconomicus.

Lignum Quercûs tempore opportuno caesum, et optime siccum adhibitum, per sexcentos annos servari potest, dummodo scilicet ab aëris injuriis subducatur. Ut autem a putredine, rimis et carie sit defensum, 1o. Quercus non nisi per hyemem caedantur; 2o. arbor caesa protinus quadretur; 3o. in aquis sale infectis, quantum id effici potest, tessellae macerentur; 4o. quae dein sub tecto itâ disponantur, ut cum aëre (nec cum radiis solaribus), undequaque in contactum veniant. Quercûs certe vitium in eo ponitur, quod multum admittat alburnum, quod humidis in locis brevi putrescit, positum et in sicco, cariosum fit, conterminaque vitiat ligna; quâ de causâ Quercûs alburnum ad aedificia ne adhibeant, statutis sancitum est (3). Id autem incommodum penitus arcebitur, si scilicet, ut jam fit in Angliâ et Germaniâ, caedendae Quercus stantes adhuc verni succi tempore decorticentur; quo facto hyeme subsequenti succiduntur: hâc nimirum methodo impeditur quominus arbor formet novum alburni stratum, cumque succus, cujus ope id stratum fuisset explicatum, in alburni stratis jam formata vehatur, haec duritiem medii ligni duritiei comparandam obtinent.

---

(1) J. F. Kluyskens, Mat. médicale pratiq. tom. 1. pag. 362.

(2) Vid. Barbier, Matière médicale, tom. 1. pag. 292.

(3) Encyclopédie alphabétique, art. Chêne.

Ex ejus Radicibus fortissimis stivae confici solent. — Lignum durum, tenax, flexurae patiens, nec tormentis concussum facile rimas agens; ad naves proinde primarium. Laeditur a teredine navali; difficile alias est conglutinatu, hinc tornatores ad coli rotas potius alnum usurpant (1). Sub aquâ prae caeteris durissimum, ibique quam diutissime servatur, et quotannis nigrius evadit, adeo ut denique ad colorem Ebeni proxime accedat: hinc ad opera nautica, aggeres, pontes, machinas hydraulicas maxime idoneum. Omnium praeterea expetissimum ad aedificia, taliaque instrumenta, quae magno submittuntur attritui, prela nempe, cochleas, rotas molares, rotarum radios, etc. Expetitur et ad temones, plaustra, cistas sepulcrales, mensas, sellas, repositoria, volvulos agrorum, aratra, palos, etc. Lignum etiam a tornatoribus, sculptoribus, nec non ex ebeno operum artificibus, quam plurimum usurpatur. Fissile caeterum est, hinc e laminis silulae, modii, dolia, cupae, aliaque vasa ad vini praeparationem elaborantur. Quercûs viridis pondus specificum . . . . 993; ejusdem pars media . . . . 1170; id autem pondus determinatur per metrum cubum, metro aquae pondus 1000 Kilogr. adaequante.

PROSPECTUS

VIS RESISTENTIAE LIGNI QUERCÛS ROBORIS, SECUNDUM CL. BUFFONIS EXPERIMENTA.

Opera quadrata quinque pollicum dimensione.		Opera quadrata sex pollicum dimensione.	
Longitudo.	pondus quae ferunt.	Longitudo.	pondus quae ferunt.
7 pedes	11525 ℔	7	16950 ℔
14	5100	14	7475
28	1775		
8	9787	8	15525
16	4550	16	6362
9	8308	9	13150
18	3700	18	5562
10	7125	10	11250
20	3225	20	4950
12	6075		
24	2162		

---

(1) Linnaei Amoenitates: Flora Oeconomica, tom. 1. pag. 533.

Opera quadrata, septem pollicum dimensione.

Longitudo.	Pondus quod ferunt.
7 pedes	32200 ℔
14	13225
8	26050
16	11000
9	22350
18	9425
10	19475
20	8275

Opera quadrata, pollicum octo dimensione.

Longitudo	Pondus ab ipsis latum.
7 pedes	48100 ℔
14	19775
8	39750
16	16375
9	32800
18	13200
10	27750
20	11487

Arbore putrefactâ, inquit Linnaeus (1), scobe pro hortis et praesertim plantis bulbosis nec non pro fumatione pleuronectum, utuntur. Haec rasura ligni desecti, s. scobs, ad vias hortorum ornandas a plurimis adhibetur. — E Ramis ambrices, hortorum cancelli, sepimenta praeparantur, nec non fascinae, carbonesque optimi. — In foco laudabile lignum: idem pro coriariorum usu decorticatum, a coquis usu vulgari recipitur, ignem clarum faciendi gratiâ. — Ex ipso Cortice quamdam chartam confici posse, experientiâ notum manet (2). Idem cortex fulvum praestat colorem qui cupularum gallarumve loco ad opera nigro tingenda adhibetur; illo colore plus minusve fusco pro variis praeparandi modis lanas infecit Cl. Dambourneius (3). Cortex praeterea, ob principium quo scatet, scytodepsicum, praecipue coriariis utilissimus: cui vero folia, praesertim vero scobem substitui posse, compertum. Referre juvat, quod pro pulvere corificante praeparando, eligi debeant cortices Quercuum viginti vel triginta annos natarum: qui cortices verni succi tempore evellendi sunt, in his enim principia adstringentia tum majori copiâ deprehenduntur. — Pulvis ille secundus, i. e. quo coria aliaque infecta fuerunt, in caldariis ad strata, vel etiam in hortis ut viae tam noxiis non scateant herbis, adhibetur, aut denique in nassulas cogitur, quibus accensis utuntur mulierculae aliique ad pedes tempore hyemali calefaciendos. — Folia recentia a nonnullis in pabulum pecorum vertuntur: suibus vero praecipue grata; haec folia, uti turiones, liquorum rem saepe destillant mellitum, quem sedulo colligunt apes. — **Gallae** foliis innatae (sicuti Venales e Q. Cerri Orientis incolâ ortae) etsi minor sit vis styptica, in quosdam usus vocari possunt. — **Cortice** et **Cupulis** glandium pelles in corium optime vertuntur; hae cupulae tritae et cum sufficienti quantitate aquae coctae, lanis praeparatis pulcherrimum inducunt colorem griseo-rufum: qui color, solidissimus scilicet, ad aulaeorum umbras maxime idoneus est (1). — Quae de usu **Glandium** pro consueto cibo apud veteres leguntur, ad alias potius species sapidiores et saniores pertinent, prout de Quercu Virginianâ **Mill.**, et de Quercu Subere traditur. A nostris sapor jam avocat, ut vix, nisi fame coacti, ad easdem accessuri fuissent. Fieri tamen inde panem in Norvegiâ, **Bartholinus** refert (2). Ad easdem suppetias confugere, annonae caritas in Galliâ anno 1709 coegit (3); sed alvus inde stipata, et cholera funesta erupit (4). Ab opprobrio tamen noxii effectûs glandium pro cibo usurpatarum, eas liberant millena in Smolandiâ exempla obvia, quibus istae, annonâ deficiente, cibum panemque salutarem, nec palato displicentem, suppeditârunt (5). In memet de glandium panis usu experimenta suscepisse placuit; glandibus enim in aquâ alcalinâ coctis (sic enim dulciores fiunt), siccatis, postea et in farinam redactis, addidi dimidiam vel ad minimum tertiam farinae frumentaceae partem; atque in hoc pane ita praeparato victus meus per octo dies constitit; cumque ex hoc nullus quidem noxius effectus sit secutus, glandes ad rem cibariam, si res in nostra Patriâ urgeret, eo modo tutius adhiberi posse nobis videntur (6). Sponte patet sermonem non nisi de fructu maturo esse, quia siccior aestas, austeritatem et amaritiem minuit, et saporem mitiorem, imo subdulcem, reddit. Faxit tamen Divus Patrii soli servator, ut hisce summis angustiis nunquam urgeamur! Caeterum, ex ipsis glandibus potus fermentatus confici potest (7): qui quidem liquor, oeconomicus nempe et salubris, in cerevisiae succedaneum a pauperibus usurpari potest; ex iisdem praeterea fermentatis praeparatur species alcoholis in regione Austriacâ usitatissimi (8). Alio experimento novimus, solâ expressione succi, reliquum amittere amaritiem et adstringendi vim, et siccatum in pulverem subtilem redigi, nullo modo ingratum, et quidem nutritium (1). Tempore belli, durante imperio Napoleontis, atque commercio interrupto, tum hae glandes Coffaeae quam plurimum substituebantur; et reverâ Coffaeae penuriâ, in succedaneum vocari qeuunt. Nunc in totâ fere Europâ e tostis glandibus conficitur pulvis, Cichorii Intybi pulveri immiscendus, ut decoctum obtineatur saturius; liquor ex hoc pulvere paratus ad Coffaeam proxime quidem tinctu accedit: id autem aroma, tot et tantarum sensationum dulcis origo! deest ac desideratur. Glandes praeterea porcis admodum utiles, quibus lardum fit optimum, quibus et opimari queunt apes, caprae, etc.; eaedem tandem molitae, et furfuri aliaeve substantiae mixtae, ad volatilis pecoris pabulum adhibentur, nec non quibusdam in locis avenâ deficiente, equis porrigi solent.

---

(1) In opere citato, pag. ead.

NB. In Responsione meâ ad Quaestionem a Cl. Academiâ quae est Ultrajecti, propositam, etiam de Quercu Robore tractatum fuit quoad descriptionem ejus botanicam, et generaliores usus; adeo ut haec dissertatio veram laborum meorum continuationem sistat.

(2) Du Mont de Courses (Le Botaniste cultivateur) tom. 1. p. 385.

(3) Dambourney, Recherches sur les teintur. solides, p. 147.

---

(1) Idem, p. 158.

(2) Dan. domest. p. 404.

(3) **Duhamel** (Physiq. des arbres), tom. 2, p. 209.

(4) **Gaillard**, Hist. de France, I, tom. 3. p. 193.

(5) Verkoskrift för Läkare Vol. 6. p. 102.

(6) Glandium torrefactio quondam proposita fuerat ut earum amarities diminui vel tolli potuerit; haec vero methodus amaritiem vel intensiorem reddit. Ex his seminibus torrefactis sat magna quantitas olei acquiritur; ita enim destruitur mucilago glandibus obvius: quae materies egressum olei liberum impedit.

(7) **Du Tour**, Nouv. dict. d'Hist. natur., appliq. aux arts etc., tom. 5, p. 150.

(8) Nouv. cours complet d'agricult. théor, et pratiq. tom. 3. p. 496.

Nostratum maxima arbor. Hiemum chronica maximeque longaeva (2). Agris et pratis noxia; ad altas pulcherrimasque sepes, uti Fagus Sylv., idonea. Hasce arbores, tanquam praeceptores suos habuit Cl. Bernardin, cujus ingenium ipso fatente horrore silentioque sylvarum acuebatur.

SECTIO TERTIA.

Caeterum, varias inter utilitates quas ex hâc Quercu percipiendas jam commemoravi, nonnulla supersunt producta fructuose acquirenda de quibus agere non absurdum videtur: haec autem ad sequentia referre constitutum est:

1ª Boletus pseudo-igniarius, Viscum album et Lichen;
2ª Chlorophylla, s. materies foliorum viridis;
3ª Humus Vegetabilis et laetamen;
4ª Carbones;
5ª Gaza in illuminationem domuum et platearum;
6ª Gummi et saccharum;
7ª Fuligo;
8ª Cineres;
9ª Principium scytodepsicum;

---

(1) Parmentier, Recherch. sur les végét. qui pourroient suppléer en temps de disette.

(2) Aetatem 300 annorum vulgo attingit.

10ª Acidum pyro-aceticum;

11ª Acidum sulphurosum; sulphis calcis.

Nunc successive horum productorum usus investigare conabor.

§. I. *De Boleto pseudo-igniario, Visco albo et Lichene.*

Boletus pseudo-igniarius, Viscum album et Lichen, praecipuae sunt plantae in truncis Quercuum reperiendae. *Boleti igniarii* pars spongiosa in medio posita, igni amicissima, ad ignem domuum servandum saepius a sylvicolis adhibetur; eadem materies lixiviâ macerata, dein tunsa atque siccata, illud efficit igniarium (gallice *amadou*), non flammâ, at igne serpente, combustibile; pars autem ejus spongiosa, scilicet fere lignosa, si minutatim concidatur, pluribus in locis in succedaneum funium, qui sulphureum pulverem incendat, adhibetur; illud praeterea fungum loco gallarum adhibent nonnulli, ad pannos nigro tingendos. *Viscum album* baccas habet candidas, succo tenacissimo praeditas, unde gluten aucupatorium conficitur. — Ex ipso *Lichene* colores violaceos, caeruleos, rubros sive fuscos, directo modo aut variorum mardacium ope, sibi comparare nôrunt (1).

§. II. *De chlorophyllâ.*

Ex hâc chlorophyllâ quaedam composita insolubilia, Laccae nuncupata, mediantibus oxydis metallicis confici notum manet. Cel. Pelletier et Caventou, de artibus praeclare jam meriti, probaverunt hasce laccas optime adhiberi posse in succedaneum Coloris viridis Scheelii, cujus coloris usus metuendus est. Scitur praeterea Cl. Dambourneium hancce chlorophyllam in verum Indicum transformâsse (2).

§. III. *De humo vegetabili et laetamine.*

Folia delapsa ob principium quo scatent, scytodepsicum, fermentationem non facile subeunt. Protracto tamen tempore, urgentibus scilicet aëre humido et calorico, sese decomponere et in humum abire possunt. Non abs re igitur erit haec coacervare, scobem praeterea, et pulverem quo pelles infectae sunt, quove in caldariis ad strata sunt usi, omnesque arboris partes ad nullam partem utiles factas. Ex his pariter laetamen optimum, addendo stercora, cineres et lotia, conficeretur.

§. IV.

---

(1) Guibourt (Hist. abrégé des drogues simples) tom. II. pag. 171.

(2) Journal de Pharm. de la société des Pharm. in 4to. pag. 102; Dict. des Sciences médic. tom. 45, pag. 192.

§. IV. *De carbonum usu.*

Praeter eximium usum ad temperiem in aedificiis elevandam et ad rem coquinariam, quercei carbones ferro mixti, ad aciei confectionem: ad pollienda metalla, reducendaque aliquot metalla quam plurimum adhibentur. Optimi fiunt electricitatis conductores: hinc ad armandos pedes apparatuum fulmen avertentium idonei. Materiem vero caleficam pessime conducunt: metallici proinde, ut in crucibulis concentretur caloricum, haec crucibula mole argillaceâ carbone pisto saturatâ spissius inducere solent: hinc etiam agricolis mos carbones pulverisatos pedibus arborum aestate calidiori subjicere; sicci caeterum carbones aëris humorem avide absorbent: huic igitur usui, aedibus pariter humidis siccandis, admodum utiles. Verme quodam et mucore quam plurimum laeduntur Allii Cepae radices; noscitur autem hic morbus colore foliorum glauco, quae folia, dein flavescentia, brevi post omnino marcent. Huncce morbum averti, in domo paternâ nuper probatum est, si per solum, antequam serantur semina, carbonum pulvis circiter semi-pollicis crassitie dispergatur; fuit et observatum eandem carbonis dispersionem inflationi (1) radicum Brassicae Vulg. occurrere: qui morbus, ex quo haec legumina seruntur in horti partibus ubi pro Allio Cepâ carbonum pulvis fuerat adhibitus, omnino cessit. Ob porositatem ipsis propriam, quodcumque gaz absorbent carbones: hinc substantiae vegetabiles et animales eorum usu optime servantur: hinc carnes in vitia jam pronae, aquae dulces inter navigandum vitiatae, si cum pulvere carbonum ebulliant, odoribus tetris nocivisque proprietatibus penitus orbae fiunt. In hâc virtute carbonum depuranti Fontium Filtrantium theoria ponitur, qui fontes mediâ in arenâ stratum carbonis grosso modo pulverisati continent; ponitur et theoria doliorum intus carbone infectorum. Plaustrum praeterea quoddam ad pisces tempore calidiori longe transportandos confici posse nobis videtur; variis scilicet capsis sese invicem recipientibus constaret, inter quas quoquoversus pollicum aliquot intervallum pulvere carbonum apte replendum, relinqueretur. Capsa autem centralis pisces reciperet, qui pisces sani et salubres imo post quatuor vel quinque dies itineris, ad locum destinatum vehi possent? Caeterum, vasa carbonum pulvere eluta, odoribus acidi benzoïci, vel succinici, olei empyreumatici, etc., quibus redolent, plane purgantur. Ab iisdem etiam carbonibus decolorari solent liquores, et purificatio mellis Britannici quocum syrupum optimum comparare nôrunt, in illâ virtute versatur (2).

§. V.

---

(1) Haec inflatio (club) attribuenda videtur laesionibus insecti gallice dicti Charancon chlore, seu Oseine du Chou, quo plantae radices perforantur.

(2) Bussy, Journal de Pharmacie, tom. VIII.

§. V. *De gazozâ illuminatione e carbonibus parandâ.*

Quod autem maximam meretur attentionem, gazoza illa est illuminatio pro plateis atque domibus, e destillatione carbonum acquirenda. Ex his enim destillationem subeuntibus magna gazis hydrogenii carbonati erumpit copia, quod flammam lucentem admodum combustione secum trahit; imo et e carbonio in retortâ relicto, dum aquâ illud adspersum in apparatu idoneo calori exponatur, gaza protruduntur. Exp. Döbereiner, qui multa in lignorum carbones experimenta suscepit, refert hujus carbonis unciam, et sescunciam aquae tantam gazis evolvere copiam, quanta conclave quoddam per totum hyemalem vesperum illuminari potest (1). — Illuminatio igitur gazoza parvo quidem pretio conflari potest ex ipsis patriae nostrae divitiis; cumque ex anthracibus e longinquo adductis magnisque sumptibus emptis praeparata illuminatio, nimirum majori stet pretio quam si solito modo oleum in lampadibus combureretur, lignei carbones ipsis omnino sunt praeferendi; quod etiam fieri non dubitarem, si non verum esset dictum, « homines proxima semper spernere, et longinquis in oris quaerere, quamvis indigena longe meliora sint."

§. VI. *Gummi et saccharum.*

Nullum ferme latet quamdam gummi et sacchari speciem confici posse ex omni materie lignosâ ope acidi sulphurici. Hac re quidem utilissimâ ductus, sequentia suscepi experimenta quibus exitus, quem optaveram, contigit.

Tribus acidi sulphurici concentrati libris in mortario vitreo sensim humectavi duas materiei lignosae libras siccatas minutatimque concisas; tritûs ope post quadrantem horae, substantia tenax, mucilaginosa, leviter colorata, et aquâ solubilis, orta est. Haec dissolutio aquosa in binas portiones divisa fuit; quarum altera per duodecim horas sub frequenti agitatione ebullitioni commissa est; nec multo post illa materies gummosa in saccharum amylaceo sacchato analogum conversa est.

Quoad gummi nunc obtinendum, alteram dissolutionem aquosam, acidum sulphuricum auferendi gratiâ, carbonate calcis tractavi, acido dein oxalico qui calcem praecipitavit, tandem alcohole qui potitus est acidis; quo facto gummi disjunctum est. Notatu quidem dignum, quod ratio gummi rationem materiae lignosae adhibitae superaverit.

§. VII.

---

(1) J. W. Döbereiner, Neueste Stoechiometrische Untersuchungen und Chemische Entdeckungen, Jena 1816, tom. I. pag. 84.

§. VII. *De Fuliginis usu.*

Fuligo, pulvis carbonii tenuissimus e Quercûs ligni incensi materiâ proveniens, maximi quidem momenti in Oeconomiâ. Jam enim, summam in illâ virtutem antisepticam agnovi, et pluribus jam abhinc mensibus substantias animales imo integras nec vitiatas servo. Fuligo etiam adhiberi potest, ubi res poscit, ad servandas substantias quarum putrefactio suffumigationis ope vulgo arcetur. Eandem substantiam saepius adhibent coriarii, piscatores et venatores, ut nigro coria retiaque tingantur. Scitur praeterea fuliginem, praeter vulgarem ejus usum ad artem typographicam, in pigmentis etiam aquâ tritis quam plurimum adhiberi; quem in finem fuligo aquâ macerata coquitur, et solutio per pannum linteum colata, ad usum servatur. — Atramentum Chinense colorque fuscus *Bister*, atramenta nimirum in picturis ubique usitatissima, etiam e fuligine parantur (1). In officinis caeterum tinctoriis fuligo vulgari usu recipitur, ut colore fusco panni lanei vel lintei tingantur; hi nimirum postea odorem spirant ingratum, quo tamen odore a tinearum laesionibus defenduntur. Fuligo tandem hydrati calcis mixta et aquâ diluta, ad fuscos colores in pictarum chartarum officinis adhiberi potest, ut experimentis nostris notum manet.

Quoad fuliginis usum in agriculturâ, eximiam ejus utilitatem experientia docuit, adeo ut mos optimus ipsam cineribus miscendi, incesserit; in hoc autem mixto cinerum ratio fuliginis rationem multo magis superat, eoque modo potens laetamen conficitur, quod quidem nullo negotio transferri potest; minores praeterea sumptus exigit, et prae variis laetaminibus varia praebet commoda. Nigriori nempe inducta colore, illa fuligo temperiem agrorum per quos dispergitur, auget; locis etiam depressis et uliginosis admodum fit utilis, in quibus muscos, juncos, aliasque plantas aquaticas, si hoc dici potest, prolixe crescentes maximo cum fructu delet. Fuliginem etiam dispergere solent per agros *trifolio*, *viciâ sativâ*, *lino usitat.* etc. consitos, in quibus multum confert; sed ejus dispersio aliquam requirit prudentiam, et operae quidem pretium est ineunte hyeme fuliginem dispergi, ut illius aestatis aquationes salia dissolvere ipsaque cum aliis terrae principiis combinare potuerint. Illa enim operatio si post hyemem instituatur, et si vere novo siccitas locum habeat, nimirum trifolia aliaque magnum detrimentum accipiunt, et odorem insuper spirant ingratum. Si quis autem in agris ad frumentum fuliginem adhibere cupiat, ut jam enarratum arceatur incommodum, et uti potens conficiatur laetamen, illam apte fimo miscere debebit, et hoc ita confecto, uti poterit ad agros uberandos.

Nec silentio premendum fuliginem arcere a plantis laesiones quibus insecta noci-

ra

---

(1) Prechtl, Grundlehren der Chemie in technischer Beziehung, tom. II. pag. 344.

va ipsas vulgò afficiunt, sicque jam formicas enecare nidos struentes inter arborum fructiferarum radices. Praeterea, frumentum aquâ fuligine saturatâ tractatum, a cariei laesionibus immune redditur; quin et nuper fuit observatum illam tantis pollere viribus, ut simul frumenti germen laedere queat: majori proinde aquae copiâ ut fuligo diluatur, omnino curandum est.

Caeterum, meminisse juvat fuliginem, quâ si praeparetur ager, ut ipsi dein mandentur semina, nimirum germinationi noxiam fieri; haec quippe magnum accipit detrimentum ab evolutione acidi carbonici, cum semina scilicet illud decomponere non valent (1); ita caeterum ad illa accedere nequit oxygenium, cujus tamen accessus ad germinationem plane necessarius est, carbonii nempe portio, agente oxygenio, ex ipsâ seminum substantiâ protrudi debet (vid. phys. de Germinat.): tantum igitur fuligo post germinationem adhibenda est, imo vel exiguâ ratione, carbonium enim cum solo tractu corporis in acidum carbonicum abit, portio e carbonii fuligine largâ scilicet quantitate adhibitâ, in agris ubi seges colitur, diutius quam planta remaneret, eoque modo obstaret quominus cerealia rursum terrâ conderentur; quam ob causam fuligo forte magis arboribus prodest, quae scilicet acido carbonico semper indigent, et jam ille mos optimus incessit, ut in seminariis arborum magnam fuliginis quantitatem adhibeant, ipsâque magno cum successu radices *vitis viniferae* et fruticum e genere *Ribis* adspergant. Thesis illa caeterum probatur, quod arboribus fructiferis scilicet effetis vigorem restitui, observatione notum maneat.

§. VIII. *De cinerum usu.*

Variae Quercûs partes non eandem cinerum quantitatem largiunt. Major jam copia reperitur in partibus ubi major fit transpiratio (2); minor in trunco quam in ramis; minor in ramis et fructibus quam in foliis (3); minor etiam in partibus internis quam in cortice ubi transpiratio trunci immediate obtinet; minor tandem copia cinerum in ligno quam in alburno. Haec praeterea quantitas vulgo etiam modificatur arborum aetate, maturitatis gradu, tempore illarum succisionis, methodo quâ combustio instituta fuit.

---

(1) Th. de Saussure, Rech. chimiq. sur la Végét. pag. 26.

(2) Th. de Saussure, op. cit. pag. 175.

(3) Perthuis, Ann. de chim. tom. XIX.

Tabula cinefactionis (*Th. Saussure*).

Nomen plantae. Tempus perceptionis.	Cineres e 1000 part. plantae viridis acquisiti.	Cineres e 1000 part. plantae siccae acquisiti.	Aqua vegetationis in 1000 part. plantae viridis.	Observationes.
Folia Quercûs Rob., 10° die Maii.	13.	53.	745.	In sylvâ, cujus solum clculosum et fere sterile erat
Eadem, 27° die Septembr.	24.	55.	549.	Ibid.
Trunci vel rami junioris Q. decorticati, 10° Maii.		4.		Ibid. Hi rami circiter 5—6. diametri lineas adaequabant.
Cortices ramor. praecedentium.		60.		In hoc cortice liber et epidermis comprehenduntur.
Lignum Quercûs dealburnatum.		2.		Proveniebat e trunco octo pollices in diametrum habente.
Alburnum ligni praecedentis.		4.		
Cortex truncor. praecedentium.		60.		In hoc cortice comprehenduntur liber et epidermis.
Liber corticis praecedentis.		73.		
Extractum ligni praecedentis.		61.		
Humus ligni.		41.		
Extractum praecedentis humi ligni Quercûs.		111.		

Caeterum, Quercûs Roboris cineres ad lintea depurganda, aut in saponis et salnitri officinis, vel etiam in arte tinctoria vulgari usu recipiuntur; idem cineres arenae aliisque rebus ad vitra conficienda idoneis immixti, per colliquefactionem igne paratam ductiles redduntur; ex his itaque vitra conflari queunt. Lignorum cineres lixivios ad signinum adhibere solebat Biggins, illosque mortarium reddere spongiosum, ipsum et ad siccitatem et duritiem praeparare observavit, atque ita efficere, ut rimes non agat.

Tantam praeterea cinerum utilitatem in Agriculturâ docuit experientia, ut ruricolae lignorum cineres ab oppidanis emere soleant, elaborentque ut sat magnam quantitatem colligere queant: qui cineres sicci servantur in horreis ad rem accommodatis. Hi vero cineres in Flandriâ et Brabantiâ saepius usitati sunt, et agri trifolio, viciâ, lino usit. etc. consiti, per quos disperguntur, brevi validissimas altissimasque producunt plantas. Nonnunquam tamen ibi cineres cum seminibus statim in terrâ conduntur; alias etiam in serendis arboribus adhibentur, in singulo nempe cavo aliquantulum cineris immittitur, eoque modo melius et celerius excrescunt.

Jamque lubet agros indagare quibus cineres inprimis prodesse videntur. — Hi sicci cineres, partium tenuitate et facultate qua gaudent, humorem absorbendi eumque retinendi modo admodum diviso, summam afferunt utilitatem terris arenosis cuidam calcis quantitati mixtis, quae minus mobiles redduntur, ita ut plantas melius sustineant: nec non terris argillaceis quae redduntur minus durae et resistentes, ita ut aër beneficam suam actionem in ipsas facilius exercere possit, ita ut quoque plantarum radices proclivius sese explicare queant. In prioribus insuper humorem adaugent; in posterioribus nimirum illum imminuunt, saepe etiam colore vulgo nigriori temperiem soli frigidioris elevant, vel eam saltem reddunt, qualis substantiarum vegetabilium fermentationem adjuvare solet, cujus fermentationis subsidio, acidum carbonicum praesertim evolvitur, calce demum in ipsis contentâ, ex atmosphaerâ illud acidum carbonicum deducunt, et in suâ substantiâ figunt, quod dein fermentationis ope ex ipsis protrudi potest. Prolatis addere juvat, humidos agros locaque depressa reddi sicciora et calidiora, calx enim cineribus obvia multam aquam attrahit, multum proinde caloricum liberatur, quod dein à terrâ proximâ et praesertim ab humo nigrâ recipitur (1).

Requiruntur ad fermentationem putridam: Expositio certae temperiei (10 ad 25° + 0); contactus cum s. q. aquae; liber aëris aditus. — Agri cespititii qui, multam aquam continentes, densi sunt, et per quos aër vixdum penetrare potest, qui insuper plantarum partibus non satis destructis plerumque constant, egregie nimirum

---

(1) Elementen der Agricultur-Chemie von Humphry Davy, p. 139.

rum corrigerentur cineribus, calce et argillâ albâ, quae acidis sese jungunt, reliquasque partes magis destruunt (1); redderentur et leviores, calce multam aquam absorbente: hinc terra fieret calidior, urgeretur fermentatio putrida, humusque fertilissima ex his formaretur; caetera salia tanquam excitantia in plantarum radices agerent, et sic earum accretioni multum conducerent.

Nunc autem animadvertendum est cineres quibusdam plantis malis nocere, illosque obstare quominus per totum agrum propagentur; sic enim junci, musci, arundines, aliaeque plantae mucosae in agris vel pratis rusticis invisae, cinerum usu delentur. Cujus rei ratio in sequentibus invenienda videtur: cineres avide attrahunt humorem qui illarum plantarum incremento inservit, cujus humiditatis superfluitas ad earum physicam constitutionem et vitae servationem plane requiritur; hae tum molles plantae, quarum radices fere sunt superficiales, brevi post siccatae, marcent, sitique demum quasi moriuntur. Nec illud reticendum est, quod cineres à segete tenerâ laesiones arceant, quibus insecta nociva ipsam afficere solent. Non erit igitur abs re, cineres per agros dispergere: hinc duplex commodum, delebuntur enim insecta, et agris fertilitas impertitur. Pratis etiam cineres admodum conveniunt, modo enim aequabili sese dispergi sinunt et facile penetrant, et praeterea haec uberandi methodus non tam gravem quam alia laetamina, laborem expostulant. Scitur postremo agricolas solertes frumentum in aquâ cineribus vel calce saturatâ macerare: quae operatio tam efficax est, ut illud à cariei laesionibus immune reddatur.

§. IX. *Principium scytodepsicum.*

Materies illa scytodepsica plurimos usus egregios quidem offert. Ex illâ enim cum pellibus inflatis combinatâ conflantur coria; eadem acido galico et sulphati ferri unita, constituit materiem quae ad pannos nigro vel griseo tingendos, et ad atramenti praeparationem, usu vulgatissimo recipitur. Illo praetereà principio retia, velae, telae molendinariae aliaeque vegetabiles substantiae, aëris injuriis exponendae, infici solent; quo facto diutissime servantur. Principii tandem illius *compositi* seu acido galico uniti infusum, constituit fidelissimum reagens ad ferri praesentiam in quocumque liquore detegendam idoneum.

Pro variis aestatibus principii coriarii in corticibus Quercinis quantitatem variam fieri, experimentis notum manet. Sic jam tempore hyemali caesae Quercûs cortex scytodepsico principio non tam dives; secundum enim Cl. Biggins, cortex ejus vero novo avulsus, quater tantum continet materiem scytodepsicam, quam cortex tempore hyemali evulsus. In cortice etiam principii coriarii proportiones e variis aestatibus arborum atque magnitudinibus admodum differunt; quae tamen proportiones rebus adventitiis alias variae fiunt, ita ut non sine maximâ difficultate determinari queant.

---

(1) Valmont de Bomare, Dict. d'hist. natur., tom. VII, pag. 139; Hermbstädt Archiv. B. I. pag. 364—81. B. IV. pag. 105.

Pars illa corticis interior, liber nempe, magnam principii coriarii copiam continet; in mediâ autem parte, ubi pars colorata seu parenchyma, in genere major est materiae extractivae proportio; Epidermidi principium coriarium ac extractivum raro obviam deprehenditur.

Strata corticalia interna alba in junioribus Quercubus comparate sistunt copiosiora; cortices igitur earum, pondere aequali, majorem principii *tannantis* copiam, quam cortices antiquiorum arborum, continent. In corticibus ejusdem speciei, variae vero aetatis, eâdem tempestate avulsis, partes similes semper easdem, paululâ re demptâ, principiorum adstringentium quantitates continent, et strata interna fere easdem materiei scytodepsicae portiones praestant.

Tabula proportionis materiae scytodepsicae in Quercu Robore repertae.

Uncia strati corticalis albi	materiae solidae	principii coriarii.
in Quercu antiquiori praebuit.	108 gr.	72 gr.
Id. in juniori Quercu.	111	77
Id. corticis integri.	61	29
Id. parenchymatis corticalis. . . .	43	19

Quamquam autem nemo hucusque principium coriarium disjunxerit, omniumve illud constituentium partium remotarum naturam et rationem indagârit; syntheticâ tamen ratione ipsius compositionem quodammodo imitatus est, et materiem quamdam, si non omnibus, saltem praecipuis instructam scytodepsici proprietatibus obtinuit Cl. Britannus Hachett, diuturniori digestioni cum acido nitrico carbones committendo. Praeclara sunt et lectu dignissima, quae de hoc argumento observavit et expertus est vir solertissimus (1). Ex omnibus etiam rejectaneis Quercûs partibus, sive igne sive acido suprâ dicto digestioni traditis, eo facilius illam obtinuit materiem scytodepsicam, quo magis curaret, ne alia quaevis corpora aliena, na, oxygenio excepto, intermiscerentur. Cum haec quam simplicissimâ ratione nec multos sumptus exigente locum habeant, res in oeconomiâ maximi quidem est momenti; eodemque modo, si non sisti, verum imminui poterit in nostrâ patriâ destructio ligni praematura.

---

(1) Vid. ann. de Chimie, tom. LII, pag. 113, sqq.; tom. LVIII, pag. 211, sqq.

§. X. *Acidum aceticum.*

His in temporibus praesertim in Angliâ atque Galliâ, quantitas ingens acidi pyro-acetici e lignis destillatis comparatur. Minime vero Gallis hujus inventionis honorem sibi usurpantibus fides adhibenda est. Glauberius enim jam construxerat quemdam furnum cui nomen Prelum (1) ut illud acetum unâ cum carbonibus et oleo nigrescentis coloris, obtineri potuerit.

In rem apparatus ita nunc perfectos habemus (2), ut varia producta e lignis destillatis protrudenda alendo igni inserviant. Nimirum pro rei magnitudine quaedam institui experimenta, eo scilicet consilio, ut plantas longe optimum acidum praestantes, notas habuerim, eoque modo patrii soli divitias iterum laudare potuerim. Ex illis igitur experimentis colligere fas est:

1°. Tenera atque alba ligna, uti Tilia, Aesculus Hipp., populus alba, languidum praestant acidum aquâ vegetationis dilutum: in artibus igitur, quoad acidum, jure rejicienda.

2°. Quercûs Roboris, Fagi Sylv., Ulmi Camp., producta semper plus minus varia fuerunt pro vario siccitatis gradu; Ulmus itaque optime siccata, acidum certo minus abundans, at validius acido Quercûs semi-siccatae, praestitit.

3°. Tres hae species arborum eodem gradu siccatae, acidum aceticum pro texturâ earum plus minusve durâ atque solidâ, praebuerunt; Quercus igitur, aequali quantitate, acidum praestitit aceticum optimum; deinde Fagus, et tertio tandem loco, Ulmus camp. sequuntur. In cujus rei argumentum sequentia collegi:

---

(1) De figurâ, usu et utilitate preli, sive torticularis, cujus adjumento ex lignis sine magno labore, copiosè exprimitur succus idoneus ex quo salpetrae parantur, Miracundi Mundi Continuatio, pag. 16—42; alio loco Glauberii apologia, pag. 26, articul. 19.

(2) Inter Ephemerides hujusce anni 1827. Mensis Augusti positum fuit, Patriae nostrae administratores nuper rescriptum seu praerogativam inventionis concessisse Willelmo Plumier, Leodiensi, pro methodis perfectis in fabricationem acidi acetici e feculâ Solani tuberosi conflati.

Tabula proportionis acidi acetici non depurgati ex arboribus sequentibus acquisiti.

Nomina lignor. destillatorum.	Quantitas adhibitorum.	Gradus siccitatis.	Acidi quantitas.	Vis acidi.
Quercus Robur.	fasces ordinarii 33.	Sicci. $\frac{3}{4}$.	Litra. 65 — 70.	6° — 7°.
Fagus Sylvat.	33.	$\frac{3}{4}$.	fere id.	$5\frac{1}{2}$° — 6°.
Ulmus camp.	33.	$\frac{3}{4}$.	60 — 65.	5° — $5\frac{1}{2}$°.

NB. Accidit ut igne nimium urgente vapores adeo fuerint expansi, uti densatio optima desiderata fuerit: multum igitur acidum per valvulas transibat; hinc acidi acetici variatio; non igitur eadem producta ex iisdem operationibus semper acquirenda fore contendimus.

Quae cum ita sese habeant, acidum pyro-lignosum purificatur, si bis per carbonum pulverem coletur, et dein ope chlorinae tractetur, atque tandem cum carbonate calcis destilletur, et potest sic purificatum in pluribus fabricis utilissime adhiberi, v. g. in fabricis acetatis plumbi et acetatis cupri (1), non autem purificatum maximis cum laudibus usurpari solet ad praeparationem acetatis rubri ferri (pyro-lignitis ferri), quod omnes pluris faciunt acetati ordinario ferri pro tinctoriae artis telaeque impressionis omnibus usibus: colores nempe vividiores atque elegantiores imprimit.

Clar. **Mollerat** methodum instituit quâ acidum pyro-lignosum in acidum aceticum purum convertitur; nimirum oleo empyreumatico, quantum fieri possit, separato, acidum tractatur carbonate calcis, quo facto acetas calcis ortus sulphate sodae decomponitur, atque purificatur despumando et crystallisatione; ita ut conflatus acetas sodae tandem mediante acido sulphurico decomponitur, acidumque aceticum salutatur purum et apte concentratum (2).

Illius acidi acetici usus in Oeconomiâ non parum laudis in se habet. Verum enim, vegetabilia et animalia a corruptione prohibet; sic jam pluribus abhinc mensisibus varias corporis humani partes, imo puellulam, integras servo; sic etiam in Angliâ, salmones aliique pisces pluribus vicibus in eo demersi, optime servantur; dum e contra hi pisces ligni ope suffumigando confici solent: hinc multo majores impensae. Idem praeter haec acetum tetro liberat odore quamque substantiam in vitia jam abeuntem; ex eodem denique aceta varia in rem mulierum mundiorem, sive aquam odoratam, nec non aceta in rem cibariam, conficiuntur: una pars ipsius acidi octuplâ parte aquae diluta, acetum efficit viribus aequans vini acetum. — Usque eo verum est, ut sit stupor in nobis, ignorantiâ gravi torpeamus, et semper id minimo studio petamus, quod indigenum est!

---

(1) Ex hoc acido pyro-lignoso acetas calcis etiam conficitur; quae salis species adhibetur ut decomponatur sulphas sodae, et dein obtineatur acetas sodae impurus, qui, siccatus et in calcem reductus, residuum suppeditat ex quo, mediante scilicet lixiviatione, eximium carbonatem sodae sibi comparare norunt.

(2) Mollerat (ann. de Chim. tom. *66*).

In fabricis acidi acetici, oleum empyreumaticum, propter venditionis defectum, ad caminorum ignem alendum usurpatur; ad alios tamen usus adhiberi posse, experimentis notum habemus. Jam enim opera lignea optime servat, dum illo in vase ferreo leviter calefacto tingatur eorum superficies; quae opera per aliquot dies radiis solaribus exposita, durissima quidem et impervia fiunt. Liceret et idem oleum in gazozam illuminationem convertere; quem in finem oleo seminum *Brassicae camp.* misceretur; et gaza ex his seminibus emersa defectui flammae minus lucentis, quoad oleum ligneum, succurrerent. Idem denique oleum ad mortaria idoneum foret: quae mortaria loco arenatorum ordinariorum ad omnes constructiones ubi destruuntur aquâ, adhiberentur. Nullus sane nostrum non audivit de moenibus Babylonis, quae moenia, tam valida, e bitumine facta, mortario constructa erant.

Quoad carbones destillatione paratos, habitum ligni retinent; ipsis tantum miscetur parvula cineris quantitas e corticibus orti; rapidius fervidiusque comburuntur, minorique copiâ liquores ebulliunt. Scitur postremo quonam modo carbones vulgo parantur: ligna in magnos acervos congesta cum aeris contactu inflammantur, et statim inflammata exstinguuntur; ex hoc itaque conficitur ut acidum aceticum, oleum atque gaza non tantum perdantur, verum etiam minus carbonum obtineantur quam si vasis in clausis destillatione pararentur; actione enim aëris atmosphaerici portio quaedam carbonis in gaz oxydo-carbonatum mutanda est; inde fit ut etiam pro carbonibus magis fructuosum foret, si ligna destillarentur; atqui viâ destillationis, e centum ligni Quercûs partibus, duodetriginta carbonum partes acquiruntur; dum e contra, methodo vulgari, ut ipse Cl. Proust instituit, centum viridis ligni vel medii ligni Quercûs partes, viginti vel undeviginti carbonum partes suppeditant (1).

§. XI.

---

(1) Vid. Journal de Physique, tom. XLVIII, p. 469.

§. XI. *De acido sulphuroso.*

Jam egregios usus aliquot e carbonibus percipiendos retulisse placuit; his nunc addere liceat, quod summis cum laudibus pulvis carbonum vel scobs quercea, etiam adhiberi queant ad acidi sulphurosi praeparationem; cumque minores sumptus exigunt, in hydrargyri succedaneum abire possunt. Res autem ipsa cogit, ut ordine quo gesta fuerunt in rem experimenta, paucis absolvam.

Sola carbonum pulveris libra cum tribus acidi sulphurosi concentrati libris in ampullam immissa est; haec ampulla in furno (1) balneo arenae posita, subsidio tuborum intermediorum (2), communicabat cum lagenis (3) ad tres quatuor partes aquâ repletis; hae lagenae, uti ampulla, tubis rectis (4) instructae fuerunt. Hocce modo apparatu disposito, quosdam carbones rubro-candescentes fornaculae subjeci. Brevi post autem reactio inter acidum et corpus combustibile locum habuit; gasis sulphurosi acidique carbonici magna erupit copia. Haec duo gaza, in vapores sese resolventia, aërem jam a calorico quam maxime rarefactum detruderunt atque traduxerunt per lagenarum aquam usque in atmosphaeram ope scilicet vasis cui nomen Eprouvette (5); gaza illa in priori lagenâ majori quidem parte condensata sunt: quae igitur dissoluta quidem simul obtinui. Ut autem aqua novas acidi sulphurosi partes absorbebat, ita etiam affinitas ejus pro acido carbonico sensim imminuebatur: adeo ut tandem acidum prius dissolutum reliquerit. — Liquor, qui secundâ et subsequentibus lagenis continetur, acidum sulphurosum purum est; quod acidum vasi vitreo, operculo vitreo claudendo, servetur.

Summam quidem utilitatem nobis offert acidum illud sulphurosum. Verum enim, optimum sistit reagens ad detegendam acidi iodici praesentiam, cui acido oxygenium adimit iodium scilicet praecipitando. Idem sericis aliisque pannis decolorandis inservit; e vestibus tollit fructuum maculas, gummi-tragacanthae, textisque subtilissimis (gazes) candorem inducit; quin et vini aliorumque liquorum fermentationem sistere potest. Et nuperrime puerulum scabie affectum, mediante hocce acido, Patri meo sanavisse quidem contigit.

Hisce addere liceat, quod idem acidum ad calcis sulphitem praeparandum adhiberi queat; qui sulphis jam conflabitur, si scilicet acidum sulphurosum calce saturetur. Hicce sulphis calcarius proponi quidem deberet ad illam operationem (quae dicitur gallice muter) de musto uvae instituendam, cum ex hoc syrupum sibi comparare vellent. Acidum nempe tartari huicce sali calcem adimit, acidumque liberat sulphurosum, quod eodem tempore, materiem uvae succi colorantem destruit; ita ut syrupus etiam ex uvarum succo quam maxime colorato, plane limpidus conficiatur; fermentum praeterea decomponitur. Si verum sulphis calcis majori copiâ fuerit adhibitus, tum syrupus saporem sulphurosum, vel ingratum, assumit. In hoc vero casu, adhibeatur oxydum manganesii; cumque sulphiti calcis oxygenium inducit, ipsum ad sulphatis statum perducere potest, eoque modo odorem saporemque ingratum dissipat atque semovet. Calcis sulphitis semuncia vel ad summum uncia ejusdem jam sufficit musti centum libris.

---

(1) Vid. Figur. c, tab. II. litt. a a.
(2) Vid. litt. c c″ c″ c′ c″ c″.
(3) Vid. litt. d d d.
(4) Vid. o o o.
(5) Vid. i.

Praecedentibus tandem addatur velim, sulphitem calcis optime adhiberi posse, uti succorum fructuum, v. g. succi ribium, fermentatio sistatur vel etiam avertatur.

EPILOGUS.

Ita demum absolutam, Clarissimi Professores! hancce dissertationem judicio vestro clementi submitto. Plus equidem operis sustuli, quam me ferre posse intelligo; indulgentiâ autem vestrâ fretus, nihil unquam de studio et vigiliis me demisisse fateor. Si tamen Commilitonibus, quibuscum in arenam forte descendi, in solvendâ quaestione feliciores fuisse contigit, rem pro vestra sapientiâ judicatam, forti animo feram atque subibo. Quo in negotio tamen illa me res, Integerrimi Judices! magis consolabitur, si mihi non illud impingatur, quod in difficillimâ hâcce materie, laboribus pro dignitate pertractis, virium periculum fecerim: qui quidem summi labores, jam magno praemio semel compensati forent, si non parum utilitatis ex ipsis me percepisse judicaretis.

TANTUM.

Respublica nusquam tam florens, quam quae cives ad scientiarum naturalium culturam allicit.

⁂

TABULARUM EXPLICATIO.

TABULA 1a.

Planta ad ¾ partes naturalis ejus magnitudinis reducta, vid. A.

1 Racemus florum masculorum ;]
2 Flos sexûs ejusdem auctus ;
3 Flos femineus ;
4 Glans a pericarpio soluta.

TABULA 2a.

Quercûs Roboris trunci caesio transversa et longitudinalis, vid. 6.

a Cortex ;
b Alburnum ;
c Lignum perfectum ;
d Canalis medullaris ;
e Radii medullares.

TABULA 1a ET 2a.

Glandium Germinatio, vid. B.

r	Radicula ;	*aa* tab. 1.
c	Collum ;	
s	Spermodermis cotyledones includens ; tab. 1 et 2.	
T	Caulis ;	*aa* tab. 1.
pp	Folia primordialia ;	
qq	Cotyledonum petioli ;	*aa* tab. 2
ll	Cotyledones ;	

Pl. 1



A
B
p
p
T
s
c
r
1
2
3
4
10

NATURAL HISTORY.

Pl. 2

1



2



3



4



5



6



7



C


c
o
o
o
b
c
c
c
c
c
c
c
a
a
d
d
d

8



9



B



NATURAL HISTORY

HENRICI GEHLE,

HARLEMENSIS,

PHIL. THEOR. ET LITER. HUMAN. CANDIDATI S. S. THEOLOG. IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA STUDIOSI,

COMMENTATIO

DE

QUAESTIONE, A CLARISSIMO ORDINE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA A. MDCCCXXVII PROPOSITA:

Locus de ANIMI NATURA *ita explicetur, ut primum concinne exponantur, ac dijudicentur praecipua argumenta, quibus summi veteris, et recentioris aevi Philosophi in utramque partem disputarunt, de Animi naturâ corporeâ an incorporeâ; deinde ostendatur, quare demonstratione Mathematica certi quid hac in re effici nequeat, sed ex rationis auctoritate, ejusque tamquam fide nixum (vulgo* VERITATEM FIDEI *appellant) hoc tenendum sit, hominis Animum esse naturam a corpore secretam, simplicem et esse personam.*

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT D. VIII MENSIS FEBRUARII A. MDCCCXXVIII.

CONSPECTUS OPUSCULI.

Praefatio. . . . . pag. 3 — 4.

PARS PRIOR.

Breviter exponuntur et dijudicantur praecipua argumenta, quibus summi veteris et recentioris aevi Philosophi de Animi natura corporea an incorporea disputarunt.

CAPUT PRIMUM.

Brevis expositio Philosophorum qui Animi naturam corpoream statuerunt et argumentorum quibus hanc sententiam vindicare conati sunt. . . . . pag. 5—17.
§. 1. Leucippus. Democritus. . . . . — 5.
§. 2. Epicurus. Lucretius. . . . . — 7.
§. 3. Aristoxenus. Dicaearchus. . . . . — 10.
§. 4. Zeno Citieus. Cleanthes. Chrysippus. . . . . — 11.
§. 5. Lockius. Priestlejus. . . . . — 12.
§. 6. Auctor libri: *Systême de la Nature* et de la Mettrie. . . — 14.
§. 7. Argumenta a Bachmanno collecta. . . , ... — 15.

CAPUT SECUNDUM.

De exigua vi et efficacitate argumentorum pro Animi natura corporea allatorum. . . . . — 18—26.
§. 1. Universa eorum ratio. . . . . — 18.
§. 2. Argumenta ex eo petita, quod naturae sibi contrariae in se invicem efficacitatem habere nequeant. . . . . — 19.
§. 3. Argumenta ex eo sumta, quod in omnibus a Corpore pendeant Animi actiones et affectus. . . . . — 22.
§. 4. Rationes, quae contrariae sententiae difficultatibus nituntur. — 23.

CAPUT TERTIUM.

In quo exponitur quinam Philosophi, quibusque argumentis pro Animi natura incorporea disputaverint. . . . . — 26—34.

§. 1.

§. 1. Anaxagoras. Plato. . . . . — 26.
§. 2. Plotinus Neoplatonicus. . . . . — 28.
§. 3. Augustinus. . . . . — 30.
§. 4. Recentiorum argumentorum genus duplex. Exponitur genus prius. . . . . — 31.
§. 5. Alterum argumentorum genus. . . . . — 33.

CAPUT QUARTUM.

In quo eorum argumentationes, qui Animum incorporeum esse voluerunt, examinantur et dijudicantur. . . . . — 35 — 43.
§. 1. Argumenta Platonis, Plotini, Augustini. . . . . — 35.
§. 2. Recentiorum argumenta ex experientia et sui cujusque observatione sumta. . . . . — 38.
§. 3. Caeterorum argumentorum pondus. . . . . — 41.

PARS POSTERIOR.

Ostenditur, quare demonstratione Mathematica certi quid hac in re effici nequeat, sed ex Rationis anctoritate ejusque tamquam fide nixum, hoc tenendum sit, Animum esse naturam a Corpore secretam, simplicem et esse personam.

CAPUT PRIMUM.

Continens rationes cur hac in re certi quid effici nequeat. . . . pag. 44 — 49.
§. 1. De natura Materiae. . . . . — 44.
§. 2. Animus percipitur cum Corpore conjunctus. . . . . . . — 46.
§. 3. De Oppositione Animi et Corporis. . . . . — 47.
§. 4. Quid sit Demonstratio. . . . . — 48.

CAPUT SECUNDUM.

In quo exponitur, quantum hac in re Rationis fide valeat et quid doceat. . . . . — 50 — 55.
§. 1. Sufficit Rationis auctoritas et fides. . . . . — 50.
§. 2. Animus est natura a Corpore secreta, simplex et est persona. — 51.
§. 3. Praecedentium confirmatio ex sensus interni phaenomenis. . — 54.

COMMENTATIO

DE

QUAESTIONE LITERARIA.

PRAEFATIO.

Ut cognoscamus, inter omnes res, a Summo Numine creatas, primum locum homini esse datum, non adeo subtilis, quaeque omnia penetret, sagacitas requiritur. Eam vero dignitatem eximiis, quibus instructus est, Animi dotibus praecipue debere hominem, aeque facile inter omnes convenit. Quomodo enim brutis, longe corpore et robore validioribus, par erit, nisi continuo illum, quem obtinuit praestantiae gradum, mentis ope sibi vindicet? Cogitatione et voluntate praeditus, cum non in praesenti temporis momento exsistentiae laborumque terminos ponat, multo vero magis ex praeteritis ad futuras res concludat, sibique quasi lucrum quaerat; omnia et inanimata et animantia non ita magno negotio superat. Pertinet quidem ad hancce, quae eum genuit, terram homo; sed animus ejus, tamquam nobilioris naturae, altiora petit, in immenso coeli spatio versatur, remotissima sine numero corpora coelestia perscrutatur, astrorum magnitudinem et distantiam dimetitur, et quem servent cursum, etiamsi pluribus delapsis seculis praescripta iis via nondum peracta sit, longe antea rite cognoscit. Jam si ex eodem homine quaeras, quid sit id, quo, quae natura celat, perspiciat, et quae natura prodit, sibi obnoxia reddat? Diu in respondendo dubius haerebit, nisi statim se Animum, cui omnem debet cognitionem, non cognoscere sincere confiteatur. Hoc certe responsum exspectes: at philosophica tam recentioris quam veteris aevi historia nos docuit, quam temere et inconsiderate saepe homines de Animi natura disseruerint; atque etiam demonstrare studuerint, quae omni demonstratione sint majora.

Haec saepius mecum cogitans, incidi in quaestionem illam a Cl. ordine Philosophiae Theoreticae et literarum humaniorum ad disceptandum propositam, qua locus de

Animi natura explicaretur. Arrisit mihi quaestionis argumentum et mox consilium cepi in conscribenda hacce commentatione vires meas periclitandi.

Proposita autem quaestio ita se habet:

Locus de ANIMI NATURA *ita explicetur, ut primum concinne exponantnr, ac dijudicentur praecipua argumenta, quibus summi veteris, et recentioris aevi Philosophi in utramque partem disputarunt, de animi natura corporeâ an incorporeâ: — deinde ostendatur, quare demonstratione Mathematica certi quid hac in re effici nequeat, sed ex rationis auctoritate, ejusque tamquam fide nixum (vulgo* VERITATEM FIDEI *appellant) hoc tenendum sit, hominis animum esse naturam a corpore secretam, simplicem et esse personam.*

Habetis igitur, Viri Clarissimi, quibus ad hancce Quaestionem pro viribus respondere conatus sim. Vos in his permulta, quae minus recte sese habeant, esse inventuros, equidem cum mearum virium tenuitatis probe mihi sim conscius, non ignoro. Sed fretus Vestra indulgentia, qui numeris omnibus absolutum opus non exspectetis a tirone, neque poscatis, scripsi quae potui scriptaque Vestro examini subjicere ausus sum. Quae ut non plane Vobis displiceant, valde me optare, dissimulare nolo, et missa ad Vos testatur haecce scriptio: si vero prudentioribus, ut fere spero, palma cedat, non tamen prorsus oleum et operam perdidisse mihi videor. Hos enim utilitatis fructus ex hocce opere capere mihi contigit, ut quae antea leviter attigissem, in ea nunc accuratius inquisiverim.

In quibus pertractandis eam quidem secutus sum divisionem, quam ipsa quaestionem proponendi ratio maxime postulare videbatur: prior pars versabitur in philosophorum argumentis cum exponendis tum dijudicandis: pars posterior ostendet, quare certi quid hac in re effici nequeat, et quid in incerta illa rei conditione tenendum sit. Quos porro consuluerim scriptores in notis, quantum fieri posset, indicare studui.

Hisce jam praemissis ad partem priorem transeamus.

⁂

PARS

PARS PRIOR.

IN QUA BREVITER EXPONUNTUR ET DIJUDICANTUR PRAECIPUA ARGUMENTA, QUIBUS SUMMI VETERIS ET REGENTIORIS AEVI PHILOSOPHI DE ANIMI NATURA CORPOREA AN INCORPOREA DISPUTARUNT.

Ut cujusvis scientiae, sic et Philosophiae, haec semper fuerunt fata, ut initia essent rudia et fere scientiae nomine indigna. Quod si de Philosophia in universum constat, aeque justo meritoque de illa ejus parte, quae Animi naturam complectitur, affirmandum esse videtur: nec mirum, cum in remotissimis sane temporibus hujus naturae investigatio jam Philosophorum ingenia exercuerit. Haec autem de Animo scientia, cum multis difficultatibus obnoxia sit; variae et toto coelo distantes omnibus temporibus omniumque fere Philosophorum fuerunt sententiae, ita ut magis magisque, quid esset animus, aut ubi, aut unde, dissensio oriretur. Alii eum Corpus esse asseverabant, negabant alii: idem, quod hos eo impellebat, ut Animo incorpoream attribuerent naturam, illis in causa fuit, quod non nisi corporeum eum esse vellent (1). De utraque sententia hic nobis agendum erit.

CAPUT PRIMUM.

BREVIS EXPOSITIO PHILOSOPHORUM, QUI ANIMI NATURAM CORPOREAM STATUERUNT, ET ARGUMENTORUM, QUIBUS HANC SENTENTIAM PROBARE CONATI SUNT.

§. 1.

Leucippus. Democritus.

Qui hancce sententiam defendunt, ita existimant: Animos vel esse ejusdem naturae, cujus Corpus, vel Animos sine corporibus exsistere non posse. Quod si consideremus,

---

(1) De diversis philosophorum hac de re sententiis cf. Aristoteles de Anima Lib. I. cap. 2—8; Plutarchus de plac. phil. lib. 4. cap. 2, 3, 4; Cic. Tusc. Quaest. lib. I. cap. 9—11. R. Cudworthi Systema Intellectuale ejusque operis index ad vocabulum *Anima*.

mus, facile nobis apparebit, unde haec sententia originem duxerit. Sunt nimirum plerique homines ita comparati, ut sensuum tantum affectionibus regantur: et quaecunque in sensus non cadunt, existere negent, et intelligere aut non possint aut non velint. Jam haecce de Animo corporeo sententia, cum omnia, quae extra nos exsistunt, non nisi sensuum ope nobis innotescant, hominum naturae valde congruit. Interno enim sensu intueri non possumus substantiam quamdam, in qua accidentia sensus interni, seu cogitationes sui ipsius aliarumque rerum, inesse possint; quo fit, ut corporibus inhaerere videantur (1). Huc accedit, quod nos in universum nullam cognitionem acquirere possumus, nisi talem, cujus objecta sensuum ope per intuitum nobis sint data.

Primus veteris aevi Philosophus, qui, quantum nobis quidem ex Historiae monumentis notum est, Animi naturam corpoream statuit, fuit Leucippus (2). Perhibuit ille, mundum constare ex corpusculis individuis seu atomis, inter se disparibus, ita ut aliae aliis figuris essent praeditae. Eas autem, quae sint rotundae (*τὰ σφαιροειδῆ*) constituere animam, et continuo moveri contendit, corpusculorum instar illorum, quae in solis radiis volitare videntur.

Leucippi discipulus et amicus, Democritus, nulla in re graviori a praeceptore discessisse traditur, sed in omnibus fere eadem, quae ille, censuisse (3). Dixit igitur, minuta haec corpuscula, quorum quaedam laevia essent, alia aspera, rotunda alia, partim autem angulata, curvata quaedam et quasi adunca, continenti motu ferri, et concursionibus inter se cohaerescere, ex iisque effici ea, quae sint, quaeque cernantur, omnia (4). Porro harum atomorum eas, quae rotundae sint constituere Animam et ignem; quae nempe, quia, teste Aristotele, Animam docuit esse ignem quemdam et calorem, pro eodem accepisse videtur.

Rationes, quibus ad hanc opinionem commoti fuere Leucippus et Democritus, memoriae prodidit Aristoteles (5). Statuerunt nempe Animum constare ex corpusculis individuis iisque rotundis, *διὰ τὸ μεγίστα διὰ παντὸς δύνασθαι διὰ δύνειν τοὺς τοιούτους ῥύσμους, καὶ κινεῖν τὰ λοιπὰ κινούμενα καὶ αὐτὰ ὑπολαμβάνοντες τὴν ψυχὴν εἶναι τὸ παρέχον τοῖς ζώοις τὴν κίνησιν.*

Argumentum I. Animus igitur cum per totum corpus diffusus atque distentus sit, hujusmodi rotundas figuras requirere iis visus est, quia ea, quae carent angulis, hamis, uncis, facillime et celerrime omnia penetrant. Praeterea, cum id, quod ipsum non movetur, alterum movere non posse putarent; intellexerunt inprimis Animam esse causam motus. Jam figurae rotundae maxime motus sunt capaces; ergo Corpora ejusmodi formae individua Animam efficiunt.

---

(1) Cf. Mellin Philosoph. Wörterb. IV band. Seite 73 — 74.

(2) Hac de re fere omnes conveniunt; sunt tamen qui aliter hac de re statuerint, nec veteres ipsi semper sibi constant. Negat omnino Cudworthus hujus doctrinae inventionem vel Democrito vel Protagorae vel Leucippo esse attribuendam; sed multo antiquiores hujus dogmatis esse auctores demonstrat. vid. quibus argumentis hoc probare conetur. Syst. Intell. pars I. cap. 1. §. 8. pag. 17 sqq.

(3) Cf. Diogenes Laërtius lib. IX. segm. 34.

(4) Cic. de Nat. Deorum lib. I. cap. 24.

(5) Arist. de Anima lib. I. cap. 2.

Arg. II. Alterum argumentum, quo Democritus sententiam suam probare studuit, desumtum est ex peculiari, quam omnibus animalibus attribuit, et sine qua vivere non possint, respirationis ratione. Vivunt animalia per Animam i. e. per rotunda illa corpuscula, quae Animam constituunt: quae cum continuo moveantur, motum etiam excitant in animalibus. Hae autem atomi, cum aër corpora ambiens ea comprimat et tenaciter circumcingat, eliduntur ex iis et extruduntur. Jam vero extrinsecus aliae hujusmodi atomi respiratione ingrediuntur: quae subsidium opemque ferentes, prohibent, quominus priores illae expellantur. Nunc, conjuncto labore, aëri comprimenti et coërcenti pares, hae atomi difficilius excernuntur; vel si quae egrediantur, aliae in earum loco succedunt. Statuit igitur Democritus Animam, qua vivimus, corporibus constare subtilissimis et rotundis, ut animalia respiratione vivant, quia, aliis egredientibus nec extrinsecus advenientibus aliis, statim perirent. Docuit enim *τοῦ ζῆν ὅρον εἶναι τὴν ἀναπνοήν*.

His rationibus ad opinionem suam stabiliendam usus est Democritus: ex quibus, cum Animus in totum Corpus insinuetur ideoque ubique per illud diffusus sit, efficitur, eum Animum non habuisse naturam a Corpore secretam, nec simplicem; verum ex iisdem, quibus cetera corpora omnia, atomis seu minutis particulis compositum.

§. 2.

Epicurus. Lucretius.

Eandem fere sententiam amplexus est Epicurus, qui, cum Democrito se addixisset, ex ejus et Anaxagorae libris multa collegit, collectaque immutando aliaque addendo novam condidit sectam. Hac autem in re excelluit, quod Leucippi et Democriti doctrinam amplificavit, et rationibus, quae recentioribus adhuc temporibus sunt adhibitae, demonstrare studuit. Ex ejus opinione Animus humanus constat ex duabus partibus, Animo et Anima (1), utraque autem corporea (2). Est Animus persubtilis at-

---

(1) Haec duo vocabula, licet fere semper eâdem significatione usurpentur, separarunt tamen veteres, ita dicentes: *Animo sapimus*, *Anima vivimus*, *Anima sine Animo debilis est*, sic Juvenalis:

„ — — — — — — — Mundi
„ Principio, indulsit communis conditor illis
„ Tantum Animas, nobis Animum quoque."

Cf. etiam Gesnerus in Thesauro Ling. Lat. sub utraque voce. Graecis ψυχὴ (anima) et νοῦς (animus). Diogenes Laërtius lib. X. Segm. 66. *λογικὸν καὶ ἄλογον*. Caeterum haec distinctio saepius obvia est apud Lucretium in lib. III. de rerum natura ut vs. 35, 131, 137 — 157, 213.

(2) Lucretius lib. III. vs. 168.

„ — Nonatque corporibus constat perquam minutis, quia minima corpora quaeque et levissima, maxima fruuntur mobilitate. Sic terra stat, aqua movetur, et papaveris acervus levi aura agitatur, non idem lapidum. Haecce subtilitas efficitur quoque ex eo quod, animali moriente, corpus nihil amississe videtur. Attamen ex hisce non putandum est, simplicem esse Animae constitutionem; quippe quae sit compositionis quadrifariae capax: aërem, vaporem, auram, et quartam quamdam, nominis expertem, admittit naturam, unde conflatur (1).

Physicam doctrinae Epicureae partem, auctore Cicerone (2), non multis luminibus ingenii, multa tamen arte, explicavit Lucretius, in libro superstite *de Rerum natura;* quem igitur in exponendis argumentis, quibus ille Philosophus disputavit, ducem sequemur. Sic argumentatur:

Arg. I. Animus, in quo consilium et vitae regimen locatum est, non minus pars est corporis ac manus, pes, oculi (3); propellit membra Animus, mutat vultum, corripit corpus ex somno, totum hominem regit: haec vero sine tactu locum habere nequeunt, et tactus tantummodo inter corpora obtinet; Ergo natura Animi Animaeque corporea est (4).

Arg. II. Animus in omnibus cum corpore consentit: corporis statum debilem sequitur Animi languor, vulnerato corpore, iisdem telis et ictu laeditur et sic contra. Quod si pariter cum corpore fungitur et laborat, alterius cujusdam naturae esse non potest (5).

Arg. III. Cum Corpore nascitur, crescit et decrescit Animus; in puero, cum corpus sit infirmum et tenerum, Animi facultates minores sunt: aetate provectiori consilium majus et animi vis auctior; denique cum, senescente homine, corporis vires deficiunt, deficiunt et Animi vires; Ergo Animus ejusdem naturae, cujus corpus, sit necesse est (6).

Arg. IV. Huc accedit, quod Animus, uti corpus, aegritudine praepeditur et variis doloris vicibus agitatur: saepe dementia capitur, vino et corporis intemperie ve-

---

„ — — — Nonne fatendum est,
„ Corporeâ naturâ Animum constare Animamque?"

Quin imo, qui incorpoream dicerent esse animam, desipere censuit Epicurus. Sunt verba Diogenis Laërtii: ὥσθ' οἱ λέγοντες ἀσώματον εἶναι τὴν ψυχὴν, ματαιάζουσιν, οὐδὲν γὰρ ἂν ἐδύνατο ποιεῖν, οὔτε πάσχειν, εἰ ἦν τοιαύτη. Diog. Laërt. lib. X. Segm. 68. p. 630.

(1) Quid porro de Animi natura judicaverit Epicurus exposuit uberius Lucretius loco cit. lib. III. vs. 232 — 235; vs. 238 — 244; vs. 274 — 276. Plutarchus de plac. phil. lib. IV. cap. 3.

(2) Cicero ad Quintum fratrem lib. I. cap. 11, ubi certe illud carmen spectare videtur.

(3) Lucretius loco cit. lib. III. vs. 94.

(4) Lucretius loco cit. vs. 162 — 167.

(5) Lucretius loco cit. vs. 169 — 177.

(6) Lucretius loco cit. vs. 446 — 459.

vehementer conturbatur, sic in aliis. Attamen eum sanari videmus cum corpore. Cum autem iisdem modis eademque Medicina, qua corporis, Animi quoque morbi expellantur; quomodo aliud quid, quam corpus, esse potest (1)?

Arg. V. Animus sine corpore vivere nequit; cum enim pars sit corporis ut aures, oculi, aliique sensus, neque oculus radicitus evulsus dispicere quid, neque alii sensus, a nobis secreti, sentire possint; perinde Animus a Corpore seorsus vires amittit. Quae cum ita sint, cum corpore unum quoddam efficit, ejusdemque naturae est (2).

Arg. VI. Animum naturam esse neque simplicem neque incorpoream, ex eo patet, quod apud morientes saepissime observamus non omnes simul animi partes relinquere corpus; sed hac vel illa regione locatas, alias post alias, exire aliosque post alios sensus dissolvi. Quin etiam cernimus quandoque currus falcatos, per exercitus ductos, armatorum membra subito ictu abscindere. Abscissae tamen Corporis partes, cum humi jacentes adhuc tremant et moveantur, Animi partem secum dispertitam abducunt. Quae omnia docent Animum scindi posse, neque ergo esse simplicem et individuum (3).

Arg. VII. Absurdum est et mera insipientia, mortalia adjungere aeternis, caduca immortalibus, cum nihil magis inter se disjuncta sint et discrepitent. Animum autem cum Corpore conjunctum esse, ex omnibus observare licet, nec quisquam inficias ibit. Ergo fieri nequit, ut naturae sint diversae sibique oppositae (4).

Haec igitur praecipua sunt argumenta, quibus Epicurus sententiam suam confirmare conatus est: quae, licet nonnulla veri quamdam speciem prae se ferant, tamen non multum valent. Huc fere cuncta redeunt, tam arctam compagem mutuamque efficacitatem inter Animum et Corpus locum habere non posse, nisi ejusdem sint naturae. Saepius a recentioribus, qui hanc sententiam vindicare studuerunt, Philosophis, repetita sunt et amplificata. Postremum inprimis argumentum multam habere efficaciam iis visum est, cum intelligere non possent, quomodo tam diversae naturae, quam corpus et Animus creduntur, in se invicem vim exsererent et mutuis inter se vicissitudinibus fungi possent? Quod postea apud recentiores intellectu eo difficilius est visum, quod Corpus et Animum, tanquam Materiem et Spiritum sensu strictiori, plane sibi invicem opposuerint. Sed quoniam deinde haec, inter recentiorum Philosophorum argumenta recensenda, identidem obviam venient, jam ne diutius moremur, pergamus.

§. 3.

---

(1) Lucretius l. l. vs. 460 sqq. ubi id genus plura exposuit et ornavit, quae tamen, quia inter se non multum differunt, omittemus.

(2) Lucretius l. l. vs. 548 sqq.

(3) Lucretius l. l. vs. 606 — 614, et deinde vs. 634 sqq.

(4) Lucretius l. l. vs. 803 — 808.

§. 3.

Aristoxenus. Dicaearchus.

Ventum jam est ad aliam multumque diversam quorundam veteris aevi Philosophorum opinionem: nimirum eorum, qui Animam esse quamdam corporis harmoniam statuerunt; quae ab Aristotele dicitur *δόξα πιθανὴ μὲν πολλοῖς, καὶ οὐδεμίας ἧττων τῶν λεγομένων* (earum, quas exposuerat, opinionum) (1). Primus igitur Aristoxenus, Musicus idemque Philosophus, Animum censuit nihil esse nisi ipsius corporis intentionem quamdam (2), ita ut, quemadmodum ex pulsatis lyrae chordis dulces resonant soni, sic ex conjunctis corporis membris varii creantur motus; per illas efficitur harmonia, per hos Animus (3). Itaque Animum Corporis actionum concentum esse voluit sive harmoniam, i. e. ex corporeorum sensuum conformatione componi. Quamquam vero affirmet Cicero, eum ita delectatum fuisse suis cantibus, ut eos ad Animi naturam transferre sit conatus (4); veri tamen simillimum est, eum, cum auditor fuerit Xenophili Pythagorei (5), doctrinam suam non ipsum invenisse (6), sed, certe pro parte, ex Pythagoreorum placitis hausisse; nam hi omnia numeris constituebant, et distincte Animum numeris harmonicis constare docebant.

Argumenta, quibus hancce suam opinionem confirmavit Aristoxenus, cum antiquitatis monumenta hac de re sileant, nobis incognita sunt; licet fortasse ex iis, qui hanc opinionem refutarunt quaedam conjeceris (7). Unam tamen quamdam rationem quam pro hac sententia affert Aristoteles, omittere non possumus. Sic loquitur: *ἁρμονίαν γάρ τινα, αὐτὴν (ψυχὴν) τινὲς λέγουσι· καὶ γὰρ τὴν ἁρμονίαν, κρᾶσιν καὶ σύνθεσίν τινα· ἐναντίων εἶναι καὶ τὸ σῶμα συγκεῖσθαι ἐξ ἐναντίων* (8). Quae verba ita in demonstrationis formam redegit Julius Pacius (9).

Harmonia est compositio quaedam contrariorum: corpus autem constat ex contrariis, i. e. ex quatuor elementis, quae habent qualitates contrarias; ergo horum contrariorum compositio etiam est harmonia i. e. Anima, quippe quae unit et continet ea contraria, quae alias non possint esse simul (10).

---

(1) Aristoteles de Anima lib. I. cap. 4. init.

(2) Cicero Tusc. Quaest. lib. I. cap. 10.

(3) Cf. de hoc argumento Plato in Phaedone pag. 195. opp. I. ed. Bipont.

(4) Cicero l. l. cap. 18.

(5) Cf. Suidas in voce Ἀριστόξενος.

(6) Sic ipse Cicero: Aristoxenus, dixit aliquid quod ipsum, quale esset, erat multo ante et dictum et explanatum a Platone. Cicero Tusc. Quaest. lib. I. cap. 10.

(7) Plato in Phaedone pag. 198. Opp. I. Ed. Bipont. Aristoteles lib. I. de Anima cap. 4. Lucretius de rerum natura lib. III. vs. 98 sqq.

(8) Aristoteles l. l. cap. 4. init.

(9) Julius Pacius in Comm. ad h. l.

(10) Ὥσπερ ἐντεταμένου τοῦ σώματος ἡμῶν καὶ ξυνεχομένου ὑπὸ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ, καὶ ξηροῦ καὶ ὑγροῦ· καὶ τοιούτων τινῶν κρᾶσιν εἶναι, καὶ ἁρμονίαν αὐτῶν τούτων τὴν ψυχὴν ἡμῶν. Sic apud Plat. in Phaedone Simmias. pag. 196.

Mendelsohnius, vir acutissimus, aeque ac Plato hanc opinionem exposuit et rationibus, primo intuitu veri quamdam speciem prae se ferentibus, ornavit (1).

Sed sunt omnes hae rationes exemplares (παραδειγματωδεῖς), et his, uti par est, nil efficitur.

Ejusmodi et fortasse eandem habuit sententiam Dicaearchus, Aristoxeni aequalis et condiscipulus. Ille enim esse Animum omnino negavit, sed, potius esse nomen inane. Absurdum est, loqui de naturis animatis, cum neque homines, neque bestiae Animo sint praediti. Omnis ea vis, qua agamus quid et percipiamus, omnibus vivis corporibus aeque convenit, neque a corpore separari potest. Est totus homo corpus unum et simplex ita figuratum, ut temperatione naturae vivat et sentiat (2).

Neque hujus ulla, quibus sententiam suam defendat, argumenta exstant: attamen operae mihi pretium visum est, quia serioribus etiam temporibus eamdem saepius amplexi sunt philosophi, hancce opinionem adjicere; idque eo magis, quia in causa fuit, quod recentiores tam multum corporibus organicis attribuerint.

§. 4.

Zeno Citieus, Cleanthes, Chrysippus.

Stoici, quique familiam in iis ducunt, Zeno, Cleanthes, Chrysippus (3), aliquid exstare praeter corpus in rerum natura negabant. Itaque Animos cum ceterorum animantium, tum hominum corporeos esse ducebant (4), nihilque ab ipso corpore differre quam quod essent *σῶμα ἀρανότερον καὶ λεπτομερέστερον corpus tenuius et subtilius*) et *πνεῦμα ἔνθερμον* (*spiritus igneus et fervidus*) (5). Quam arcte autem hoc dogma, nihil existere praeter corpus, amplexi sint Stoici, auctor est Seneca sic dicens: « quae propria sunt corporis, ea corporis bona sunt; corpora ergo sunt, et quae animi sunt: nam et hic corpus est" (6). Igitur quaecunque corporibus ac-

---

(1) Phädon oder über die Unsterblichkeit der Seele in drey Gespräche von Moses Mendelsohn. Berlin 1775. 8°. pag. 116. zweyte Gespr. ff.

(2) Cicero Tusc. Quaest. lib. I. cap. 10. quae traduntur, Dicaearchum habuisse Animum ἁρμονίαν τῶν τεττάρων στοιχείων (Stobaeus Eclog. I, 52. Plut. de plac. Phil. lib. IV. cap. 2.); non videntur esse intelligenda de Dicaearcho illo de quo agimus, sed de antiquiore Tarentino, Pythagoreo. cf. C. L. Struve Hist. doctrinae de statu animorum post mortem. app. C in fine.

(3) De his omnibus vid. Suidas in voce — Saepius eorum in philosophicis mentionem facit Cicero. cf. Gedike historia philosophiae antiquae etc. Sect. II. cap. 3. no. 14. pag. 249, 283 et 287 seqq.

(4) Diog. Laërt. Lib. 7. Segm. 156. Stobaeus eclogae I, 52.

(5) Haec Chrysippi, qui fuit Zenonis et Cleanthis successor, verba inveniuntur apud Plut. de repugnantiis Stoicorum, Operum Tom. II. pag. 1052.

(6) Seneca Epist. 106.

accidunt, aeque atque Animi qualitates, commotionesque in corporum numerum retulisse videntur. Argumenta, quibus ad sententiam suam stabiliendam usi sunt, exposuit et refutavit Nemesius (1).

Hae igitur rationes ad illud Stoicorum dogma defendendum sunt allatae, priores duae a Cleanthe, tertia a Chrysippo.

Arg. I. Parentum referimus non solum os, colorem, vultum, vocem, omnemque corporis formam, sed in Animi quoque affectibus, proclivitatibus, commotionibus, iis saepe similes sumus: jam vero similitudo et dissimilitudo tantummodo inter corpora obtinent; ergo Animus Corpus est.

Arg. II. Quaevis natura, quae corpore vacua est, corporis incommodis una affici nequit, sed corpus solummodo in corpus vim exserit. Jam vero corpus ex iisdem, quae patitur Animus, damnum capit, Animus ex iisdem, quae corpus: ita ut, perturbato Animo, perturbetur et Corpus, atque sic contra; hoc enim ex eo conjicere licet, quod, cum mens pudore suffunditur, subito rubor vultum colorat: cum vero metu percellitur Animus, pallescit Corpus. Quae cum ita sint, corporeus sit Animus necesse est.

Arg. III. Mors nihil est aliud quam Animi a corpore separatio: jam vero, cum id, quod corporis est expers, Corpus tangere non possit, natura incorporea a corporea separari nequit; Ergo Animus ejusdem statuatur naturae, cujus Corpus.

Haec argumenta ita refutavit Nemesius, ut duorum priorum neget Propositionem, Assumptionem vero tertii. Nos de his una cum ceteris, data opera, agemus.

§. 5.

Lockius, *Priestlejus*.

Hactenus exposuimus, quibus rationibus veteris aevi Philosophi (2) sententiam de Animi natura corporea confirmare conati sint; liceat jam breviter hic adjicere, quae a recentioribus vel repetita sunt vel addita.

Lockius, postquam in Metaphysicis quaedam esse problemata, quae dissolvi nequeant, docuerat, inter eorum numerum refert etiam hocce problema: an cogitatio cadat in materiam? Etenim, licet nos non videamus, materiam sentire et cogitare, fieri tamen possit, ut cum materia aut organicis quibusdam corporibus sentiendi cogitandique vim communicarit Deus; quippe cujus contrarium justa demonstratione probari nequeat (1). Illam a Lockio propositam quaestionem deinde in suum usum convertisse omnes, qui Animi naturam corpoream vellent, non est quod miremur. Nimirum iis temporibus Spiritus et Materia plane sibi invicem opponebantur. ita ut haec compositum quid et dividuum, ideoque res esset tantummodo sensibus objecta, ille vero absolute esset simplex et sola intelligentia percipiendus.

---

(1) Nemesius de natura hominum. Antw. 1565. pag. 32 sqq.

(2) Quosdam veteris aevi philosophos de industria praetermisimus, de quorum nempe sententia non ita recte constat, ut v. g. Empedoclem; plurimas causas, quibus contra Aristotelem hunc defendat, adfert Cudworth syst. intell, Tom. I. cap. 1. §. 24. pag. 38 sqq. quae tamen quam parum valeant, passim ad eum observat J. L. Moshemius, cujus videantur monita in nota R. pag. 45. ibid.; Cap. 4. §. 20. nota Q. No. 4. pag. 580. Porro Stratonem Lampsacenum, de quo ut et de aliis, Heraclito, Pythagora, cet. vid. Wyttenbachii disp. ad Judices Teylerianos scripta: „Quae fuerint veterum philosophorum inde a Thalete et Pythagora usque ad Senecam sententiae de de vita et statu animorum post mortem corporis."

Illud jam observari potest in Philosopho illo, cujus argumenta nunc brevissime exponere in animo est, Priestlejum dico. Huc usque vulgaris de Materia opinio fuerat, eam esse substantiam solidam, nullis insuper viribus praeditam, quae vero, nisi vi aliena moveatur, semper eodem statu maneat. Priestlejo autem non modo Materia non est substantia absolute iners, sed vires quoque sibi peculiares habet, inprimis vim quamdam repellendi et attrahendi. Jam vero Materialismum, qui dicitur, ita defendit, ut Animum tali constare materia dynamica perhibeat, quae omnes in se conjungat vires, ergo et vim sentiendi et cogitandi (2).

Non omnia, quibus utitur, argumenta recensere juvat, sed ea tantummodo, quae novo quodam imbuit probabilitatis colore.

Arg. I. Animi facultates cum ipsius Corporis bona malave conditione et statu mirum in modum concinnunt, ita quidem ut ab hujus valetudine et cerebro omnino pendere videantur. Est igitur minime Philosophiae congruum, quin etiam absurdum, contendere, illam cogitandi vim, cum Corpus et cerebrum destructa erunt, altiorem praestantiae gradum ascensuram. Quod si ita esset, mors illi, qua cogitemus, facultati plus emolumenti quam damni afferat necesse est; et hoc concesso, quo acrior morbus hujus corporis membra debilitat extenuatque, eo majorem vim exserunt animi facultates. Nam eadem ratione, qua corpus ad illud tempus, quo dissolvatur, propius accedit; Animus quoque fit liberior minusque corporis vinculis impeditur. Ne vero haec omnia, cum usus et experientia aperte contrarium testentur, tenaciter affirmare sustinueris.

Arg. II. Omnes nostrae ideae, cum sensuum ope nascantur, magnum vinculum habent cum corporis organis. Cogitare autem non possumus, nisi res objectae per sensus menti innotuerint et jam adsit idearum copia. Nullo igitur modo fieri potest, ut quamvis corporeis organis careamus, tamen aliquid extra corpus in nobis cogitet.

Arg. III. Si revera Animus est principium incorporeum, simul etiam simplex sit et in-

---

(1) Cf. An essay concerning human understanding in four books, written by John Locke Lond. 1793. 8vo.

(2) Conf. quas in lucem edidit: Disquisitions relating to Matter and Spirit, with a history of the Philosophical doctrine of the soul and the nature of Matter, with its influence on Christianity especially with respect to the doctrine of the preexsistence of Christ. Lond. 1777. 8vo.

individuum, necesse est: neque potest esse extensum, longum, latum, crassum. At cum ideae per objecta externa, quae sunt dividua, oriantur iisque respondeant; hae ideae etiam dividuae sunt putandae. Jam vero si simplex habeatur mens, quomodo ideae menti inesse possint, dividuum scilicet individuo? Ergo concedere debemus, Animum, cum ideas, ex rebus corporeis atque dividuis natas, in se contineat, ipsum naturae esse corporeae et dividuae.

Arg. IV. Nihil magis sententiae de Animi natura incorporea obest, quam multiplices illae et variae mentis affectiones, impetus, habilitates. Hae enim necessario cum mutatione conjunctae sunt, qua vel melior fiat animi conditio vel deterior. Quae tamen mutatio cum proxime absit ab exstinctione, omnino Animi simplicitati et incorporalitati (τὸ ἀσώματον) repugnat.

Ex Priestleji argumentis haec visa sunt majorem vim habere: multa insuper disputavit multaque adversariorum dubia solvere suo modo conatus est: sed cum metuamus, ne longi simus, hic desistendum est.

§. 6.

Auctor libri: SYSTÊME DE LA NATURE *et de la Mettrie.*

Abjectae jacebant in Francia philosophia Aristotelica et Cartesiana, magno in honore erant Gassendus et Lockius. Postquam igitur aeque felici successu, ut videbatur, horum vestigiis ingressi erant Condillac et Helvetius, alius materialismi defensor exstitit. Quis vero fuerit, ignoramus; qualis fuerit, satis indicat ille, quem scripsit, de *systemate naturae* liber (1). Hic enim contendit, omnes illas, quae dicuntur, facultates intellectuales, nihil aliud esse, nisi rerum externarum perceptiones, quae in omnibus substantiis, organis praeditis, necessario obtinent. Ideae sunt mutationes in externo cerebri organo, quae sequuntur externas sensuum inpulsiones vel ex iis originem ducunt. Itaque sunt imagines rerum sensibus oblatarum. Majore solummodo cerebri mobilitate homines differunt ab animalibus et inanimatis: perinde ac minor quoque cerebri mobilitas hominem homine intellectu reddit inferiorem; ipsum enim cerebrum Animus est.

Ille autem, quibuscunque modo posset, doctrinam de Animi natura corporea vindicare studuit. Non minorem operam navavit de la Mettrie, de quo, quia non multum ab illo differt et iisdem fere argumentis utrique sententiam suam superstruxerunt, hic simul quaedam monemus.

---

(1) Système de la Nature, ou des loix du monde physique et du monde moral, par Mr. Mirabaud, à Londres 1770. 8vo. Nomen illud fictum. Hodie satis constare videtur, Baronem de Holbach hujus scripti auctorem esse.

Post Gassendum et Hobbesium exemplum sibi proposuit Epicurum, ex cujus doctrina pleraque hausit, haustaque nonnullis auxit additamentis. In plerisque suis scriptis (1) probare conatus est, omnino Animum non esse incorporeum. Est autem ex ejus sententia ille idem quod corpus corporisque compositio et temperatio: qua in re convenit cum Aristoxeno et Dicaearcho. Itaque materiae atque corporibus vim quamdam motricem tribuit; extensione autem cum sint praedita corpora, possunt moveri: illa vi motrice se ipsa movent. Praeterea habent facultatem sentiendi. Has vero qualitates omnia sibi vindicant corpora, formarum ope quarundam, quarum capax est materia.

Argumenta, quibus in hanc partem disputavit, eo fere omnia redeunt:

Animus in omnibus suis actionibus et affectionibus corpori obnoxius est ab eoque pendet; non igitur demonstrari potest eum esse substantiam i. e. ens quod ad exsistendum non indiget altero, in quo sit: neque absolutam omnino agendi facultatem ei esse attribuendam.

Multa sunt, quibus ejus ratiocinationes lectoribus sese commendent eorumque animos capiant (2); quae vero si ad vivum resecentur, nihil magis quam, quae exposuimus, Epicuri argumenta efficiunt: nimirum corpora in hac nostra vita terrena et empirica arctissime cum Animo esse conjuncta, eaque esse Animi organum, quo carere nequeat. Plura dein.

§. 7.

Argumenta a Bachmanno collecta.

Plures jam hic addere possemus Philosophos, plura exponere argumenta. Hoc autem, quia longum est et eadem saepius obviam veniunt, omittendum putamus (3).

---

(1) Cf. Oeuvres Philosophiques de Mr de la Mettrie, sed inprimis tres illae disputationes, quae inscribuntur: *l'homme machine*, *traité de l'âme* et *l'homme plante.*

(2) Sic inter alios Fredericus Magnus, Borussiae rex, magno cum favore prosecutus est, et fortasse ejus rationibus commotus aliquamdiu eandem sententiam amplexus fuisse videtur. Sic enim ille alicubi:

> Est-ce là ce rayon de l'Essence suprême,
> Que l'on nous peint si lumineux?
> Est-ce là cet esprit survivant à nous-mêmes?
> Il meurt avec nos sens, croit, s'affaiblit comme eux;
> Hélas! il périra de même. —

(3) De his quorum mentionem fecimus et de aliis plura agunt illi, qui totius philosophiae historiam complectuntur libri, Meinersii, Buhlii, Tennemanni, Tiedemanni; ubi tot nomina Regius, Gassendus, Ridigerus, Hobbesius, Lockius, Priestley, Helvetius, systême de la nature, d'Argens, de la Mettrie, d'Alembert, alia, quae hanc doctrinam vindicarunt, omnino digna sunt, quae conferantur. Ratione medica plurimae medicorum scholae sunt materialistae (presque tou-

Ne tamen in nonnullorum reprehensionem incurram, propterea quod hoc vel illud argumentum, hanc illamve eximiae probabilitatis rationem vel exponendo vel deinde refutando praetermiserim; adjicere hic forte non alienum est omnia argumenta, quae collegit, atque concinne et accurate disposuit Bachmannus vir Clariss, quo simul facilis omnium argumentorum conspectus praebeatur (1).

Arg. I. Quodcunque in corpore includitur, id quoque corpus sit, necesse est, cumque eodem ipsum corpus efficit: Animus corpori inest; Ergo corporeus est.

Arg. II. Si simplex et incorporea quaedam natura esset Animus, quomodo corpus eum limitare, determinare, et quasi vinculis coërcere possit, sane intelligi nequit; cogitatione quidem ad alios locos se transferet, revera non poterit: neque quae ibi, quo cogitando abit, fiant, perfecte cognita habebit. Cum vero corporis partes majorem, quam res absentes, in Animum vim habeant, pendet ex arbitrio alieno nec sui juris est; Ergo non est substantia simplex et a corpore secreta.

Arg. III. Inter Animum et corpus, quippe quae sunt naturae plane sibi contrariae, commercium et mutua efficacitas intercedere nequeunt; nisi vel praesens semper opem ferat ipse Deus, vel ad fluidum nerveum, quod dicitur, confugiatur. Id vero argumento nil momenti addit, temere contra audaciusque, quam par est, statuitur: sic in ceteris. Quodsi corpoream Animo attribuamus naturam, omnia componuntur.

Arg. IV. Multae eaeque variae tribuuntur Animo facultates: quae quum quam maxime differant sibique invicem repugnent, ejus naturam simplicem habere perabsurdum est putandum; sin corpoream eam statuas, res explicata est.

Arg. V. Talem, quam volunt, incorpoream Animi naturam eandemque cogitandi, sentiendi aliisque facultatibus praeditam, ne mente quidem complecti valemus.

Arg. VI. Ipsa materia, quodammodo tantum, quando vis ejus vitalis impeditur, inanima dici potest. Cum vero mirum in modum formandi quadam vi et facultate eam esse praeditam videamus, ut in corporibus organicis: et rursus subtilissimam eam deprehendamus in lumine, magnetismo, aliis; cur ei cogitationem omnino denegemus? quin imo, cum anatomia, quam vocant, comparata nos doceat, quo melius sese habeant organa corporea, eo plus Animi facultates incrementi capere vel damni; probabile fit certis quibusdam relationibus oriri in materia vim cogitandi.

Arg. VII. Intelligi nequit, quomodo natura simplex et incorporea tam multifarias sub-

---

toutes les écoles de Médécine sont matérialistes *médicalement parlant*) cf. F. Berard doctrine des rapports du physique et du moral. Paris 1823. pag. 31 et 643. J. G. Cabanis rapport du phys. et du mor. de l'homme Par. 1824.

(1) Vid. dissertatio praemio ornata: von der verwandtschaft der Physiek und der Psychologie von Dr. C. F. Bachmann, Professor der Philosophie zu Jena. In de nieuwe verhandelingen van het Provinciaal Utrechtsch genootschap van Kunsten en Wetenschappen. Utrecht 1822. I dl. pag. 155 — 159.

subeat mutationes, atque vicissitudinibus naturae plane sibi oppositae obnoxia sit.

Jam experientia et observatio sui cujusque ipsius testantur, Animi facultates cum corpore crescere et decrescere: et ut corporis vires maxime vigent aut languescunt, ita Animum potissimum robore gaudere vel languore premi. Aliter certe Animus est affectus in puero, aliter in adolescente, in viro aliter, aliter in senibus. Ita saepius mutatur et eodem, quo corpus, gradu procedit; quidquid vero mutationi est obnoxium, neque simplex neque incorporeum est.

Arg. VIII. Est sua cuique homini peculiaris Animi indoles, ingenium, appetitus; atqui haec potissimum differunt pro cerebri conditione corporisque temperamento: et ex diversa corporis constitutione et varia sanguinis temperatione varii Animi impetus, habilitates et proclivitates oriuntur.

Arg. IX. Varius Animi organismus, in utroque sexu conspicuus, plane nititur varia organorum corporeorum institutione; atque inprimis systematis nervei et muscularis diversitate.

Arg. X. Alimenta, coeli temperies, tota vivendi ratio in Animi indolem et valetudinem permagnam vim exserunt.

Arg. XI. Animi morbi e. g. dementia cet. saepius per multa genera propagantur et a parentibus ad liberos transeunt. Illos vero etiam ex variis causis, quae tamen omnes extrinsecus et praecipue ex ipsius corporis conditione repeti debent et constitutione, originem ducere ab iisque pendere constat. Huc accedit, quod in alto sopore, lipothymia, aliis, cogitatio finem habet: et contra, simul ac, revocatis nobis et expergefactis, organa corporea restituta sunt et recreata, cogitationem quoque redire animadvertimus.

Arg. XII. Si Animus est natura a corpore diversa, quomodo fit, ut sedem, quam occupet, ignoret, eaque quae proxime eum circumdant et quasi terminos efficiunt, perspicere nequeat? Nimirum, cum non Animus, sed oculus, in cadaveris scilicet sectione, nobis hac de re quaedam indicet, hic quoque corporeum quid ei subvenire videmus.

Haec hactenus.

*

CAPUT SECUNDUM.

DE EXIGUA VI ET EFFICACITATE ARGUMENTORUM PRO ANIMI NATURA CORPOREA ALLATORUM.

§. 1.

Universa eorum ratio.

Expositis jam praecipuis, quae ad Animi naturam corpoream evincendam in medium prolata sunt, cum argumentis, tum rationibus probabilibus; adhuc nobis restat, ut haec, quantum in nobis est, dijudicemus. Quum vero, ut consentaneum est, pro hacce sententia multum disputatum sit, multum quoque contra eam, nimis a proposito aberraremus, si haec omnia adjicerentur. Itaque non juvat singula singulorum philosophorum argumenta ponderare, sed cuncta simul, quantum valeant, exploremus: quod eo facilius et instituto convenientius erit, cum jam in praecedentibus universum quemdam Materialismi conspectum praebere conati simus. Hoc simul exinde profluit commodum, quod, omnibus ejusdem generis argumentis una sumtis dijudicatisque, non easdem identidem refutationes repetere cogamur. Namque id evitare non possemus, si singulatim ea refellere nobis propositum fuisset; quippe quorum multa sunt, inter quae, nisi quod nova quadam argumentandi ratione exponantur, nihil fere discriminis intercedat.

In universum tamen hoc in antecessum observandum est, unamquamque philosophorum doctrinam, quam Materialisticam vocant, eodem vitio laborare, idque in causis esse cur tam paucis ejusmodi doctrina probetur.

Nimirum hunc in omnibus dominari videmus errorem, quod, nulla ratione habita sensus interni, eoque veluti sublato, omnia ad sensum externum redigantur (1). Nec causa altius quaerenda est. Quis scilicet nobis certi quid indicabit de Animo corpore vacuo, de natura, cui nihil cum materia commune? Nonne corpus, e contrario, semper datur tanquam res vera, tanquam reale quid? ita ut etiam post Animum ab eo separatum, cadaver nobis adspiciendum sese praebeat? Sic externo tantum sensu ducuntur illi: quid mirum, hanc oriri opinionem, nihil Animum esse aliud quam corpus sive Materiam. At vero si Animum sustuleris incorporeum, ipsum quoque sensum internum tollis; eam igitur difficultatem quodvis Materialismi genus cum aliis communem habet.

---

(1) Cf. Tiedemann Geist der speculat. Philosophie I Band, Seite 240.

Sed ad ipsa argumenta examinanda transeamus. Ne igitur quid dicamus de argumentationibus passim obviis, ubi, ut loquuntur Logici, vel fallacia quaesiti medii, vel ignoratio elenchi, vel orbis in demonstrando, vel saltus in concludendo, deprehenditur; illa omnia, quae vel nos jam exposuimus vel insuper fortasse possunt afferri, ad tria genera rediguntur. Etenim petuntur vel ex eo, quod naturae plane sibi oppositae vim mutuamque efficacitatem in se invicem exserere nequeant; vel ex eo, quod in omnibus a corpore pendeat Animus; vel denique ex eo, quod illa sententia de Animi natura incorporea multis difficultatibus prematur. Suus cuique generi locus competit.

§. 2.

Argumenta ex eo petita, quod naturae sibi contrariae in se invicem efficacitatem habere nequeant.

Ex illis, quae ab Materialistis afferuntur, rationibus haec profecto haud infima est. Quomodo enim id intelligi debet, quod natura simplex et incorporea ab alia, huic prorsus contraria, determinetur et quasi vinciatur? Quomodo id, quod in spatio nullo modo exsistere potest, ipso spatio eoque limitibus circumscripto potest includi? Quomodo fit ut naturae, prorsus a se invicem diversae, alia in aliam agere possint? Quid, quod denique cum Cartesianis ad Dei, qui quovis temporis momento Animo opem ferat, omnipotentiam confugiatur; quo ejus dignitas dignitati hominum, qui ex solis legibus mechanicis cum rebus inanimatis motum communicant, longe postponatur? Quid ad haec respondendum? nonne potius assentiendum est illi Franco philosopho: „ Ceux qui font l'âme d'une substance absolument simple et incorporelle, ne sauroient nous expliquer, comment l'âme, qui est un sujet incorporel, peut recevoir des facultés corporelles, tellesque sont les organiques; comment enfin la matière peut agir sur l'esprit, et l'esprit à son tour sur la matière? Tout ce qu'ils répondent à ces questions ne sont que de frêles raisonnements, et des subtilités dignes des Scolastiques, qu'ils devroient n'avoir point imités; eux qui les ont condamnés si sevérement, pour avoir voulu expliquer des mystères et des secrêts qu'ils n'entendoient pas (1)."

---

(1) Marquis d'Argens, la philosophie du bon sens, où reflexions philosophiques sur l'incertitude des connoissances humaines à l'usage des cavaliers et du beau sexe. Hag. Com. 1737. Refl. IV. §. 11. pag. 359.

Hac in re quodammodo ei assentiemur, in aliis minime. Praestat certe ignorantiam fateri, quam falsa pronunciare: est omnino nobis incognita illa vis, quam in Animum habet corpus, in corpus Animus. Quidquid enim ab Aristotele, a Malebranchio, a Leibnitio, vel de influxo physico, vel de causis occasionalibus, vel de harmonia praestabilita sit allatum, nullum ex eorum systematibus satis idoneam mutuae Animi corporisque efficacitatis affert rationem (1). Hucdum, qua ratione principium incorporeum in corpus agere possit, incognitum est et fortasse semper ignorabunt mortales.

At vero ne ideo Materialistae palmam sibi esse datam existiment. Quamdiu enim nos homunciones non temere et arroganter hoc effatum pronunciare oportet: quidquid nos intelligere non possumus, id quoque fieri nequit; tamdiu cavere debemus, ne, quia eam mente non complectimur, omnem mutuam Animo ac corpori, si quidem ille naturâ statuatur incorporeâ, vim denegemus. Quot etiam in Physicis obvia sunt phaenomena naturalia, quae omni explicatione sunt majora, et humanam intelligentiam longe superant; ecquis vero cognitione humana, quamvis imperfecta, tam elatus est, ut ideo haec in rerum natura apparere non posse contendat?

Sed graves insuper accedunt rationes, quae toti huic argumento ruinam minantur. Sic enim Materialistis ab adversariis occurri potest: quodsi nos intelligere non possumus, quomodo naturae sibi oppositae in se invicem operentur, multo minus intelligimus, quomodo mentis facultates, quae cum materia nihil conveniunt, ex materiae tamen proprietatibus oriri possint?

Etenim Corpus et Materia, cum locum occupent et obtineant, in spatio existunt: mens e contrario existit et operatur tantummodo successive i. e. in tempore; quod ex eo efficitur, quod mentis actiones non perpetuas esse, sed alias ab aliis excipi experimur. Illorum proprietates sunt objectum sensus externi, hujus actiones et affectus sensu tantum interno a nobis percipiuntur. Jam eadem oritur quaestio: quomodo fieri potest, ut mentis actiones, ideae, judicia, ratiocinia, affectus, quae cum materiae proprietatibus nihil commune habent, ex iisdem tamen deriventur? Quid enim cogitationi est cum extensione, cum soliditate, divisione, figura? An dubitatio potest esse rotunda? An persuasio quadrata? An meditatio triangularis? Quantum celeritatis, qualisve motus requiritur, quo efficiantur ideae, discursus, judicia? Potest in partes dividi Materia, sed suam quisque homo intimam et indivisam habet conscientiam sui. Materia est extensa et ex multis partibus unum quoddam constituitur corpus; verum perceptiones, affectus, cogitationes, licet immane quantum multiplicentur et augeantur, nunquam tamen crescit Animi magnitudo, longitudo, latitudo, crassitudo. Insuper mens, cum ipsa sit causa efficiens idque immanens, quippe quae intra se effectum producit, id est, cogitationes informat: cumque in percipiendo et appetendo ad se ipsa reflectatur, ideoque perceptionis et appetitus habeat conscientiam: cum denique omnes cogitationes sibi invicem succedant et harum omnium una et eadem mens sit consoia; quomodo hae facultates vel corporis compositioni vel ipsis corporis partibus, quarum operatio in motu et spatio consistunt, inesse possunt? Si porro hoc in Ontologicis recte statuatur: modos tales esse, quales natura substantiae permittat, atque rem suis proprietatibus determinatam, simul contrario modo se habere non posse; sane corporibus et materiae non attribuemus accidentia, quae in mentem solam quadrant (1).

---

(1) Cf. Buddaeus elem. philos. theor. Tom. II. pag. 116 seqq. et omnes historiae philosophicae scriptores. Vid. quomodo ea dijudicet Bachmannus loco citato, pag. 164.— 169.

Frustra hic a Materialistis illis, quae exposuimus, argumentis certatur: Materiam nempe quodammodo tantum, cum ejus vis vitalis impeditur, inanimatam dici posse; ceterum eam mira quadam formandi vi esse praeditam, ut in corporibus organicis, certis fortasse quibusdam relationibus in ea exsistere posse vim cogitandi, cet. Quamdiu enim haec justa demonstratione non sint probata, in nullis cedi iis debet; idem rursus oritur dubium, quoniam neque cum corporibus organicis, neque cum electricitate, neque cum luminis subtilitate, neque cum Magnetismo, aliis, commune quid habet cogitandi facultas. Quid, quod neque operationum intellectualium, neque affectionum mentualium ullum vestigium in his omnibus reperitur? Non enim ideae, judicia, et ratiocinia explicari possunt per puncta, lineas, angulos, gradus atque figuras: neque amor et odium per gravitatis, elasticitatis, vel totius Mechanices leges (2).

Senserunt hanc difficultatem philosophi, qui Animum corporeum volebant. Accedit, quod post deliberationem et electionem libere agit mens ideoque ejus actiones materiae inertiae negandae veniunt. Hanc ob rem Priestlejus, et alii, illam de materiae inertia opinionem refellere, atque vim attrahendi et repellendi, tanquam qualitates sibi proprias et privas, ei vindicare studuit (3).

---

(1) Cf. W. E. Krug, System der theor. phil II. theil. Erkenntnisslehre II. Abschn. §. 157. init.; H. S. Reimari, vornehmste Wahrheiten der naturlichen Religion VI. Abhand. §. 7. pag. 458 seqq. J. A. Turrettin Diluc. Vol. I. Diss. 2. §. 14; D. vam de Wynpersse Vir. Cl. Inst. Metaph. cap. 8. §. 602 — 603. Ceterum non data opera demonstrare studemus, mentis facultates materiae inesse non posse: namque deinde expositur sumus, quomodo hoc philosophi conati sint, qui Animum naturam incorpoream statuerunt, v. c. Mendelsohnius in Phaedone, cujus argumenta, in Scholis Metaphyphicis etiam magna ex parte exposuit Wyttenbachius; — sed id tantummodo efficere volumus, si Materialistae ex eo argumentum petunt, quod intelligere nequeamus, quomodo naturae sibi oppositae in se invicem operarentur; non magis, quin multo minus a nobis concipi posse, quomodo materia Animi actiones et affectus, cum nihil secum commune habeant, producere censeatur.

(2) Vid. Reimarus l. l. 6. abhand. §. 10 seqq.

(3) Cf. Priestley in opere cit. Disquisitions relating to Matter and Spirit. cet.

At vero hoc sensu iners materia dici nequit, quatenus locum suum obtinet simulque attrahit et repellit; verum cum omnes Materiae vires ad solas rerum externarum relationes pertineant et interno careant liberae actionis principio, atque adeo inanimata sit, eatenus corporibus inertiam adsignamus. Illam igitur materiam, quamvis inanimatam et inertem, tamen vitae et sentiendi et cognoscendi et appetendi fore principium, quis intelligat?

§. 3.

Argumenta ex eo sumta, quod in omnibus a corpore pendeant Animi actiones et affectus.

Omnes igitur, qui Animum corporeum statuunt, postquam concedere coacti sunt, intellectu vel multo difficilius, vel certe aeque difficile esse, quomodo ex materiae proprietatibus Animi facultates, longe a corporibus discrepantes, derivari possint; novo quodam argumentorum genere adversarios eo impellere conantur, ut herbam dantes e certamine inferiores discedant. Provocant igitur ad quotidianam hac de re experientiam et accuratam utriusque naturae observationem: quippe quae aperte doceant, omnes animi actiones, habilitates, affectionesque a corpore pendere, eoque Animum omnino carere non posse. Huc igitur pertinent hujusmodi argumenta: Animi vires cum corpore crescere et decrescere; notiones, ideas, cogitationem, sensuum ope in mente nostra excitari, ideoque sine corporis organis excitari non posse; valetudinem, morbos, corporis defectum, mentis actiones juvare, impedire, diminuere, idque non solum in operationibus sensualibus, sed et rationalibus;

« Quin etiam morbis in corporis devius errat
Saepe Animus. Dementit enim deliraque fatur:
Interdumque gravi lethargo fertur in altum
Aeternumque soporem, oculis nutuque cadenti (1)."

At, quamvis haec negare nolimus, omnes istae dubitationes exigui sunt momenti; id enim, quod solummodo probant, commercium conjunctissimum Animum inter et corpus intercedere, nemo unquam negaverit. Etenim, ubi inter duas substantias, ejusdem sint naturae vel diversae, intimus obtinet nexus, ibi quoque alteram ab altera pendere necessario sequitur. Quomodo igitur aliter fieri potest, quam ut Animus cum corpore crescat et decrescat, doleat et laetetur, vigeat et languescat, cum arctissime inter se sint conjuncta et hoc ille utatur tamquam organo et veluti in-

---

(1) Lucretius de rerum natura lib. III. Vs. 464 sqq.

instrumento, quo in hac vita carere omnino non possit? Cur miremur, quod, laeso vel depravato instrumento, minus prospere procedat opus?

Insuper vero, quae ad haec respondeantur, permulta adsunt. Omittamus quidem, non semper illa locum habere, verum saepe etiam his obtinere contraria: ita ut morbis acerrimis laboret quis et intolerabilibus corporis cruciatibus vexetur, ac mentis tamen facultates minime diminuantur, sed interdum etiam majorem acquirant praestantiam. Omittamus, ejusmodi rationes, et quae id genus plures afferri possint, non valere nisi tantum, quantum data, quae vocantur, ambigua, quibus etiam, qui contrariam opinionem defendant, in suas partes possint disputare. His igitur quamvis nihil adversemur, quamvis plane concedamus Animum a corpore pendere; nullo tamen modo istis argumentis efficitur, Animum et Naturam simplicem, esse repugnantia. Quomodo enim, nisi in concludendo nimis temere et imprudenter verseris, ex illa animi dependentia demonstres illius naturam corpoream? Demonstres etiam, solum corpus omnium intelligentiae nostrae operationum, mentisque, affectionumque esse subjectum; idque cum nec rudis indigestaque materia, nec quaevis corpora organica, ejusmodi actionum et affectuum ulla vestigia ostendant?

Praeterea, quare rationi repugnet, Animum, etsi cum corpore arctissime conjunctum, tamen habere naturam simplicem et incorpoream? Hac de re egregia est observatio Bachmanni (1). Nempe phaenomena quaedam quando ad unum principium reduci possunt, tale horum principium ponere, rationi maxime congruum est. Cum vero alia quaedam phaenomena, quamvis cum prioribus illis arctissime connexa, ex eodem principio deduci nequeunt; horum aliud constituere principium, non minus rationi convenit. Eam duntaxat in nullis non artibus et scientiis normam sequimur. Physicus certe multa phaenomena ad gravitatem reducit, ad motus leges alia, alia ad Electricitatis, quamquam corpus electricum etiam corpus grave et motu praeditum esse queat. Chymicus iterum distinguit inter Oxygenium et Azotum, quamvis illa conjuncta aërem forment athmosphaericum. Quae cum in omnibus artibus et scientiis obtineant, quidni philosopho licitum esset, quamvis, intimam Animi cum corpore compagem hominem constituere, probe sciat, sensus interni phaenomena ad proprium quoddam referre principium?

§. 4.

Rationes quae contrariae sententiae difficultatibus nituntur.

At, nondum convicti iterum objiciunt Materialistae, tot ac tantis difficultatibus illam de animi natura incorporea sententiam obnoxiam esse: tot ac tantas oriri quaestiones, quae ab ita sentientibus dissolvi numquam poterunt, ad quas vero, si aliter hac de re statuatur, facile sit respondere. Hic igitur ea in censum veniunt, quae etiam in expositis a nobis argumentis passim obvia fuere: quaenam fuit animi, antequam cum hoc corpore conjungeretur, conditio? quinam illius status in ipsa conjunctione? quomodo, cum sensuum ope primae oriantur ideae et, his menti informatis, cogitemus, post destructa organa sensoria cogitare poterit animus? omnis substantia cum suam sibi habeat magnitudinem cumque nulla rei non extensae nobis sit idea, quid tandem est illa natura incorporea eaque sentiendi et cogitandi facultate praedita?

---

(1) Bachmannus l. l. pag. 167.

Ejusmodi quaestiones nullo modo dissolvi posse, ingenue confitemur. Sed praeterquam quod eadem, quae in praecedentibus sunt observata, hic a nobis repeti possent: praeterquam quod Materialismus non minoribus difficultatibus laboret, ejusque defensores ad multas ab adversariis propositas quaestiones, nisi inania quaedam proferant, obmutescere debeant, ut ex adhuc exponendis apparebit; — age, liberaliter cum iis agamus. Faciamus igitur, haecce dubia tantum habere ponderis, ut omnino animus natura simplex et a corpore diversa esse nequeat. Quid autem inde oritur? an ita res intellectu erit facilior? Quid jam est vita, quid cogitatio, quid voluntas? sunt qualitates occultae, sunt virtutes plasticae, sunt materiae vires et quodcunque ejusmodi nomen velis. Nondum intercedimus: exsistunt igitur et agunt. Jam vero, mutatis nominibus in eundem incidimus nodum: quaenam illarum sive qualitatum sive virium est conditio, quaenam natura? Quonam modo existunt? qua ratione, quibusve obstrictae legibus agunt? cumque *occultae* sint hae qualitates neque intuitu percipi possint, an nobis de illis idea erit clarior, vel perfectior, vel magis adaequata? Restat hicce, ut est apud Senecam, Herculaneus nodus Materialistis: quem quin nunquam solvant, quis dubitet? Ingeniose scilicet agunt illi, qui, cum nulla inveniretur materiae proprietas, ex qua cogitationem et voluntatem explicarent, ad occultas confugerent qualitates. Verum enimvero, si talia probantur, ineptissima quaeque in rerum natura contendere licebit; quidcunque enim explicare, quidquid intelligere nequeas, ad occultas illas qualitates referas. Inde etiam Voltarius: „Il falloit respecter les qualités occultes; car depuis le brin d'herbe, que l'ambre attire, jusqu'à la route que tant d'astres suivent dans l'espace etc. — *tout est qualité occulte*."

Praeter haec alia quaedam dubia ab iis, qui animi naturam corpoream statuerunt, in medium prolata sunt, quae tamen tam exigui sunt valoris, ut vix ea apposuerim. Nimirum si ad quorundam brutorum agendi rationem attendamus, multa in iis intelligentiae et ingenii vestigia deprehenduntur; unde rite colligi perhibent, eorum animas ab humanis differre tantummodo gradu perfectionis, non ita natura. Si igitur hominum animus statuatur incorporeus, talis etiam animalibus brutis concedendus est (1). Haecce oppositio proprie Cartesium et Cartesianos spectat, qui ratione efficere sunt conati, bruta non nisi meras esse machinas. Cui hypothesi servientes ita pergunt illi: si fieri non posset, ut cogitaret materia, cogitatio etiam bestiis, quae ex sola materia constant, deneganda est. Hoc autem cum contrarium testetur experientia, affirmare absurdum est. At vero, brutis Animum non adesse incorporeum, quis juste demonstret? nos quidem, cum hominem cernimus, oculis, auribus aliisque sensibus praeditum, merito inde colligimus, eum non minus quam ceteros videre, audire, sentire. Quid tandem impedit, quominus ex Analogia nobis persuadeamus, bruta etiam, cum externis sensibus aeque atque homines sint praedita, horum sensuum ope de rebus objectis notiones informare (2)? Sin secus illud statuamus, quid illa de brutorum Animis ignorantia valet ad infringenda argumenta, quae pro humani Animi simplicitate afferuntur? talem in modum hominum naturam et sortem cum bestiis, et bestiarum cum hominibus tam arctis conjunctam esse vinculis, nemo unus sana mente dixerit.

Nihilo plus aliud quoddam dubium habet ponderis. Si enim, inquiunt, hanc ob rem Animi natura habeatur incorporea, quia scilicet cogitatio in materiam cadere nequeat; detrectatur Dei omnipotentia, quippe qui facile machinam quamcunque cogitatione et voluntate praeditam potuisset creare. Respondere facile est. Deus quamvis omnia, quae velit, efficere possit, non tamen illa, quae sibi invicem repugnent, effecturus censendus est: quid autem magis repugnat, quam mentis facultates ex materiae proprietatibus elicere velle, quibuscum nihil habent commune? Praeterea a *posse* ad *esse*, ut ajunt, non valet consequentia; et quamvis id potuisset Deus, fecisse tamen multis de causis negari potest.

Neque hujusmodi ratiocinationes quid valent, entia praeter necessitatem non esse multiplicanda. Tale quid praecepit etiam Priestlejus, qui, quod Newtonus de naturae contemplatione et investigatione dixerat, ad Animum humanum, quoque transtulit: nempe non plures esse admittendas causas, quam ad visorum explicationem requirerentur; eademque effecta, quantum fieri posset, ad easdem causas esse referenda. Haec igitur non curamus; quotum enim quemque latet, satius esse duas ponere causas, quam effecta contraria sibique adversantia ad unam causam redigere, quae alterutrorum causa omnino esse nequeat. Praestat etiam entia in rerum natura multiplicare, quam plane sibi repugnantia in unum coälescere velle.

---

(1) Sic Priestlejus in opere citato. Marquis d'Argens l. l. refl. 4. §. 14. pag. 475 seqq. alii.

(2) Sic Boullier Essai sur l'ame des bêtes Tom. I. Chap. 7. pag. 109. brutorum causam egit.

Ex hactenus dictis facile, ut speramus, apparebit, illa, quae pro viribus exposuimus et dijudicavimus, argumenta, nullo modo Animi naturam demonstrare corpoream. Jam igitur ad aliam philosophorum sententiam progrediendum est, nimirum eorum, qui eum incorporeum statuerunt, et videndum, num pro hac sententia certi quid afferri queat.

CAPUT TERTIUM.

IN QUO EXPONITUR, QUINAM PHILOSOPHI QUIBUSQUE ARGUMENTIS PRO ANIMI NATURA INCORPOREA DISPUTAVERINT.

§. 1.

Anaxagoras. Plato.

Qui Animum statuerunt esse naturam incorpoream, simplicem, a corpore secretam, numero longe superant eos, qui contrariam sententiam amplexi sunt. Neque id mirum videatur, cum illa sententia humanae rationi multo magis sit congrua, quae nullo modo admittere possit, materiam cogitare, i. e. materiae nobis externo tantum sensu perceptae adesse accidentia, quae solummodo in sensu interno locum habere possunt. In exponendis igitur philosophis et, quibus usi sunt, argumentis pro Animi natura incorporea, quam maxime brevitati studendum erit.

Primus igitur, omnium consensu, Anaxagoras perhibuit materiam se ipsam mutare atque formare non posse: a materia igitur distinxit et separavit mentem, *τὸν νοῦν*, quae minutas materiae particulas, similes inter se, in ordinem adduxerit rerumque universitatem gubernet. Est illa sapiens, simplex et pura; et ex ea quoque animae humanae profluxerunt, cognitione et motu praeditae (1). Quoniam autem ille non ita distincte de Animo ipso disseruit neque ejus argumenta supersunt, nominasse eum suffecerit.

Videamus igitur de Platone, qui uberius de Animo egit.

Secundum illum Deus, postquam materiam incerto modo fluctuantem in ordinem re-

---

(1) Vid. Aristoteles de Anima lib. I. cap. 2. Cic. Acad. Quaest. lib. II. cap. 37. Lucretius de rerum nat. lib. I. vs. 830. Quam *mentem* statuit Thales apud Ciceronem de nat. Deorum lib. I. cap. 10. nihil est aliud quam vis quaedam movens, quae materiae inest, non vero ab illa separatur.

redegerat, mundo ex ea composito indidit Animam (ψυχὴν), Animaeque Mentem (νοῦν). Porro summus ille Deus creavit Deos coelestes; tum Animalium Animas, secundo ac deteriori gradu. Fuerunt igitur jam Animae antequam in corporibus erant inclusae (1). Cum vero omni intuitu Anima sit major, sed objectum quoddam ἀόρατον καὶ νοητὸν, inde sequitur eum Animi naturam statuisse incorpoream: cujus vero sententiae non diserte argumenta collegit, sed cum Animi immortalitatem probare vellet, hic illic hac de re quaedam exposuit (2).

Arg. I. Animus non est Corpus *humanum*. Eadem enim similitudo est corporis ad Animum, quae instrumenti ad artificem eo utentem: jam vero instrumentum longe est aliud quid, quam ille a quo in suum usum adhibetur; ergo Animus quoque a corpore diversus est.

Arg. II. Neque Animus est *aliud* Corpus. Est enim ille visui non objectus (ἀόρατος), cogitat et cognoscit ideoque actiones spontaneas exserit: corpus vero intuitioni obnoxium est, non agit sed patitur; Animus domini personam agit, Corpus servi. Sunt igitur maxime diversa.

Arg. III. Omnis rerum substantium multitudo duo genera continet σύνθετον et ἀσύνθετον, compositum et simplex: horum alterum continuas subit mutationes, neque unquam eodem statu manet, alterum nullam commutationem admittit et semper eodem modo sese habet. Omnia autem, quae nobis per sensus innotescunt, cum varia variis temporibus specie ea adspicere liceat, composita sunt: quae vero per solum intellectum concipiuntur, ut aequum, justum, pulchrum per se spectatum, sunt immutabilia. Jam Corpus in sensum cadit et continuo mutatur: Animus sui ipse actione et cogitatione sibi innotescit et semper sibi constat. Ergo Animus, quin simplex quaedam sit natura, non est quod dubitemus.

Arg. IV. Ipsae Animi actiones nobis persuadeant necesse est, illam esse naturam simplicem et incorpoream. Consequitur ille notitiam naturae cujusdam simplicis et immutabilis: quam certe habere non posset, nisi ipse esset immutabilis. Quidquid autem immutabile est, pertinet ad rerum genus ἀσύνθετον, i. e. simplex et incorporeum (3).

Arg. V. Sunt Animi et Corporis naturae valde diversae sibique contrariae. Ille enim propria sua et interna vi se movet, atque cogitatione et voluntate praeditus, libere agit: Corpus vero extrinsecus movetur et aliena vi operatur. Itaque cum certis legibus ponderis et motus adstrictum sit Corpus; omnis Animi libertas, si quidem est corporeus, plane tollitur (1).

---

(1) Haecce Platonis doctrinae principia inveniuntur in Timaeo. cf. Wyttenb. in disp. laud. Sect. 5. de Platone.

(2) Hujus sententiae argumenta ex Platonis libris elicuit Tennemann Syst. der Platon. Philos. 3ter band. Seite 48 ff.

(3) Sunt haec argumenta sumta ex Platonis Phaedone, pag. 178 sqq. edit Bipont.

Arg. VI. Neque Animus est harmonia, ex iis, quae per Corpus intensa sunt, constituta, seu complexio ex calido, frigido, sicco et humido. Concentus enim cum non prius componatur, quam illa, ex quibus componi debet, ideoque lyrae chordae adsint, antequam harmonia oriatur; ita etiam, si Animus esset harmonia, corpus jam ante eum exstitisset oporteret: quod, cum Animus ante Corpus fuerit, plane repugnat. Praeterea si illa esset harmonia, nunquam dissonaret iis, ex quibus ipsa illa conflatur harmonia; sed nimirum per omnem vitam atque ferme omnibus plus discrepantiae inest quam harmoniae (2).

§. 2.

Plotinus Neoplatonicus.

Plotinus, qui unus ex philosophis eclecticis sive Neoplatonicis systema, omnibus numeris absolutum, nobis tradidit, permulta scripsit de Animi natura ejusque conjunctione cum corpore; quae omnia exponere longum est neque hujus loci. Hoc igitur dixisse sufficiat, eum statuere, Animam neque Corpus esse neque harmoniam, sed naturam intelligentem et divinae sortis (*τῆς νοητῆς φύσεως καὶ τῆς θείας μοίρας*). Est illa una, non veluti Corpus, quod partium continuatione unum est, sed est individua et partitionem non admittit (3).

Argumenta quae pro incorporea Animi natura attulit, haec sunt:

Arg. I. Cuique Animae necessario inest vita (propria et intima conscientia). Faciamus id, quod Anima dicitur, esse Corpus, tum ex duobus pluribusve partibus constaret, et hujus corporis partes vel omnes et singulae vitam haberent insitam, vel quaedam tantummodo, vel nulla. Quodsi uni tantum insit vita, haec pars erit anima, nec plures requiruntur: sed quodnam Corpus est, quod ex se ipso habeat vitam? Non certe ignis, aër, aqua, terra, et praeter haec alia corpora non sunt. Sin vero nullam earum partium vitam habere dicamus, sed eorum compositionem efficere vitam, absurda loquimur. Neque enim multorum corporum congressus vitam constituit, neque quae intelligentia carent, intelligentiam. Itaque est aliquid, quod ordinet et auctoritatem Animi obtineat (4).

---

(1) Hoc argumentum provecta jam aetate exposuit Plato in lib. X. de Legg.

(2) Plato in Phaedone pag. 209 et 214.

(3) Plotinus Ennead. 4. lib. II. pag. 361, A et 363, B. ed. Marsilio Ficino, Basil. 1580.

(4) Plot. Ennead. IV. lib. 7. cap. 2. pag. 457, A — D. Idem fere argumentum repetit quadam mutatione l. l. cap.

Arg. II. Si Animus corporeus est, cum per totum corpus distentus sit, hoc crescente, ipse quoque augeatur necesse est nova quadam adjunctione. Id vero, quod adjungitur, vel ipsum Anima esse debet aut inanimatum quid. Si Anima, undenam et quomodo in corpus intrat eique additur? Si corpus, quomodo id, quod Anima caret, Animam accipiet, et ceteris consentiet? Insuper si quaedam accedant, defluant alia, continuo mutationum fluxu agitatur Animus; ubi igitur memoria, ubi cognitio, cum numquam eodem utamur Animo (1)?

Arg. III. Nisi simplex et una sit Anima, neque sentire, neque cogitare poterit. Etenim id, quod sentit, unum esse oportet et uno quodam eodemque omnia percipere; sive per plura sensuum instrumenta plura innotescant, sive unius sensus ope varium aliquid percipiatur. Nam si subjectum percipiens ex partibus constet, vel quaeque pars concipiet quid, ideoque altera alterius perceptionem ignorabit: perinde ac si ego aliud sentiam atque tu aliud, etiamsi objectum sit idem; vel toti subjecto, si magnitudinem habeat i. e. extensionem, res objecta innotescet: atque adeo res percepta tot habebit partes quot percipiens, ita ut alia pars aliud quid sentiat, nihilque in nobis rem totam; vel denique singulae partes totum percipient et ita innumerae ejusdem rei erunt perceptiones. Quae omnia cum sint absurda, statuere nos oportet quasi centrum, in quod, sicuti lineae ex circuli circumferentia, percepta concurrunt, ut ibi ea cuncta comprehendantur atque inde oriatur Cogitatio et judicium (2).

Arg. IV. Si id, quod percipit, naturae sit corporeae, non alio modo hoc fiet, quam si in cera annulo inprimantur imagines. Quid vero est illa natura corporea? Num corpus humidum? At confundentur imagines ut in aquâ, nec ulla memoria nobis supererit. An corpus solidum, ita ut figurae permaneant? At si permaneant, aliae accedere non poterunt, vel si accedant, priores illae delebuntur. Cum vero meminisse nobis sit datum et sentire, Animus corpus esse nequit (3).

Arg. V. Idem patet ex dolore dolorisque sensu. Etenim in omni corpore extensione praedito, si alia pars doleat, non id persentiet alia: subjectum vero percipiens, ut in quavis parte dolorem sentiat, ipsum ubique sibi ipsi sit idem necesse est.

---

cap. 5. pag. 460. C — E: Si Animus est Corpus, quid de ejus partibus dicemus et de uniuscujusque harum partium partibus? Ipsae vel sint Animae vel non sint necesse est. Si sint, nihil magnitudo ad essentiam Animi conferet, quod tamen, ubi sit quantum quoddam, fieri oportet; et singulis partibus tota incumberet Anima quod in corpore obtinere non potest. Nam totum non simul potest esse in pluribus partibus, neque singulae partes idem valere, quod totum. Sin minus illae partes sint Animae, non efficietur ex inanimatis illis, quamvis componantur, Anima.

(1) Plot. l. l. pag. 459, 460, A, B.

(2) Plot. l. l. lib. VII. cap. 6. pag. 461. A — E.

(3) Plot. l. l. cap. 6. pag. 461. E.

est. Hoc nullo modo corpori attribui potest, quippe in quo hoc est aliud quid, aliud rursus et illud (1).

Arg. VI. Differunt omnino inter se τὸ sentire et cogitare. Sentire autem est aliquid sensuum ope percipere, cogitatio igitur per sensus non fiet: alioquin essent unum idemque. Quodsi cogitatio fit absque corpore, Animum procul dubio, tanquam cogitandi principium, ipsum non esse Corpus oportet (2).

Arg. VII. Sunt in nobis notiones naturae simplicis et incorporeae, et potest intellectus formas segregare et abstrahere a materia; quomodo autem natura dividua, composita et corporea apprehendet individuam, simplicem et corpore vacuam? Multo magis Animum, ut illud faciat, se ipsum a corpore sevocare oportet: neque igitur Corpus est (3).

Haec Plotinus; id inprimis efficere conatus, cogitationem in naturam corpoream cadere non posse. Ejus sententiam deinde omnes fere amplexi sunt philosophi Eclectici sive Alexandrini, iisdemque, quibus ille, ad eam stabiliendam usi sunt argumentis. Missis igitur iis eorumque rationibus, ad Augustinum, qui novis hanc doctrinam ornavit argumentis, nos convertamus.

§. 5.

Augustinus.

Ex patribus Ecclesiasticis Augustinus fortasse unus omnium maxime, solerti in philosophia valens ingenio, neque in aliorum verba jurans, subtiliter de Animi natura disputavit (4). Statuit ille Animum esse incorporeum; jam sequantur ea, quibus hoc confirmare studuit (5).

Praeter illas a Plotino institutas argumentationes, quarum inprimis quintam et septimam, obscurius adumbratas, dilucide magis explicuit, alia quaedam insuper addidit, quae referre operae pretium duximus.

Arg. I. Potest Animus, quum in se ipse colligens hoc enixe studet, omnes a se arcere perceptiones: ita ut auribus oculisque apertis nihil tamen, si nolit, videat atque audiat ipse. Quod quidem, nisi revera a corporis organis diversus aliusque cujusdam esset naturae, omnino facere non posset.

---

(1) Plot. l. l. cap. 7. pag. 462. A — D.

(2) Plot. l. l. cap. 8. pag. 462. A.

(3) Plot. l. l. pag. 463. A — C.

(4) Multum inter se dissentiebant de Animi natura patres Eccles. vid. praecipuae eorum sententiae a Moshemio expositae in annot. ad Cudworthi Syst. Intell. Tom. II. cap. 5. Sect. 3. §. 26 et inprimis ibi nota L. No. 3.)

(5) Cf. Augustinus De generat. ad litt. VII, 2. Epist. 166. cap. 2. De quant. Animi IX seqq.; De trinitate X, 10.

Arg. II. Cogitamus nos atque appetimus, vivimus ergo et exsistimus; de qua re si dubitemus, ipsum illud dubitare nostram exsistentiam arguit. Haec sane demonstratio, sensu strictiori sic dicta, censeri debet. Non vero naturam illam cogitantem et appetentem, igitur et exsistentem, ex nescio quibus elementis constare atque corpoream esse, aeque certo constat. Exinde satis dilucide apparet, eam non esse corpoream: alioquin hujus rei non minus nobis essemus conscii oporteret, quam cogitationis nostrae, voluntatis et exsistentiae.

Arg. III. Ex eo quod Animus crescat cum Corpore, non sequitur, ut volunt Materialistae, eum ideo esse Corpus. Nam aliud quid est crescere, si de Animo dicitur, aliud, si de Corpore. Si de hoc adhibetur, id denotat, Corpus plus acquirere magnitudinis et extensionis: de Animo vero nihil aliud significat, quam majorem adscendere virium perfectionisque gradum. Itaque inde minime efficitur, hunc etiam extensionem habere, ideoque esse Corpus.

Arg. IV. Omnibus corporibus praestat Animus. Itaque si linea quaecumque uno tantum modo dividi potest, ille nullo modo partitioni obnoxius est; si rursus punctum quoddam divisionis non est capax, multo minus Animus dividuus est. Ergo neque habet extensionem, neque longior, latior, crassior fieri potest.

Arg. V. Animi in toto corpore praesentia non spatium complet, sed ejus vires solummodo per corpus distentae sunt. Quemadmodum enim nos per totum coeli spatium solem videmus fulgentem radiisque omnia lustrantem, neque tamen ejus per aetherem extensionem deprehendimus; ita quoque Animus, quamvis neque extensus sit neque spatium compleat, per totum corpus diffusus esse potest.

Habent eae rationes, cum praecedentibus conjunctae, magnam probabilitatem; an tamen certi quid efficiant, deinde videbimus.

§. 4.

Recentiorum argumentorum genus duplex. Exponitur genus prius.

Ea igitur exposuerunt recentiores, ornaverunt, auxerunt; quamvis, ut hoc in transitu observemus, his non eadem sit illa Animi simplicitas, atque veteris aevi philosophis. Recentioribus enim praeëunte Cartesio, absoluta est Animi simplicitas, ita ut omni omnino corpore sit vacuus: veteres, si de Animi simplicitate disputarent, eam intellexerunt relativam, ita ut non alienigenis constaret partibus, sed v. c. purus esset ignis, purus aether, cet. (1). Si vero singula singulorum deinceps phisophorum argumenta exponere vellemus, unde initium ducendum, ubi finis constituentuendus esset? Est eorum numerus, prae contrariae sententiae assertoribus, tam ingens, atque tam longe horum turbam superat; ut recte statuere possis, eos, qui Animo corpoream attribuerunt naturam, a vulgari opinione discessisse. Ex iis igitur, quae hac de re invenerimus, argumentis, praecipua hic summatim exponere in animo est (1). Omnes vero et argumentationes et rationes probabiles ad duplex genus referri possunt. Nimirum vel ductae sunt ex experientia et observatione sui cujusque ipsius, vel ex instituta comparatione inter proprietates viresque, quae Animo conveniunt, et eas, quae corporibus sive materiae attribuuntur. Jam igitur alterum genus exponamus.

---

(1) Conf. W. T. Krug Erkenntnissl. th. II. absch. 2. §. 156. in obs.

Arg. I. Est haec res in facto posita, me omnium, quae per singula corporis organa acquiruntur, perceptionum ipsum mihi esse conscium. Haecce vero conscientia non in singulis illis posita est organis; tum enim tot essent conscientiae, quot organa. Neque in communi quodam organo potest contineri haecce conscientia, quippe quae non ex mutationibus simultaneis, per plures sensationes ortis, veluti motus quidam mixtus efficitur. Hic ergo natura quaedam statuenda est, quae ad unam eandemque conscientiam omnia referat, et a corpore plane secreta sit et una.

Arg. II. Animus in omnibus cogitationibus se sibi repraesentat ipse tamquam subjectum, numquam vero tamquam solum praedicatum: insuper omnes cogitationes sive sui ipsius sive suarum aliarumque rerum sunt accidentia, accidentia autem nisi in substantia inesse nequeunt. Id igitur quod in nobis cogitat seu cogitationes informat, id est, Animum ipsum, substantiam esse oportet.

Arg. III. Quae nullius affectionis realis respectu distingui possunt, idem sunt: quae possunt, non sunt. Jam vero Ego meam personam ab omnibus, quaecumque extrinsecus exsistant, distinguere, quin imo singulas corporis partes, ac si extra me exsisterent, cogitatione fingere possum. Inde igitur necessario sequitur, Animum esse naturam ab organis corporeis diversam.

Arg. IV. Cum certissimis hac de re observationibus constet, corporis partes continuo mutationum agitari fluxu, ita ut, secedentibus aliis aliae partes succedant; sequitur, totum corpus, volventibus annis, mutatum iri, et quasi novum aliud evasurum. Attamen in omnibus illis corporis commutationibus nostrum Ego manet idem, et intimam indivisamque sui ipsius conscientiam, quam multis abhinc annis habuerit,

---

(1) Animi immaterialitatem sive naturam incorpoream vindicare conati sunt praeter illos, quos laudat Wyttenbachius vir cel. in Scholis Metaphysicis §. 10., etiam Elia Luzac: l'Homme plus que machine Götting. 1755. Buddaeus Theses Theol. cap. 5. §. 7. Bouillier lettres sur la nature de l'âme pag. 242. Jacquelot: over het wezen der ziel, geplaatst achter het leven van B. de Spinosa, door P. Baile, pag. 216 seqq. Fr. Hemsterhuis: Oeuvres phil. Paris 1792. P. C. Hartman: des menschen Geest in betrekking tot zijn ligchaam. Leyden 1825. C. Meiners: Untersuchingen über die Denk- und Willens-Kräfte des Menschen, Götting. 1806. Alii plures. Ceterum cf. Tiedemann Geist der speculativen Philos. 6 Bänder. Marburg 1791.

rit, Animus conservat. Est igitur praeter corpus in nobis aliquid incorporeum, immutabile, individuum.

Arg. V. Si Animus est corporeus, ejus sedes certe vel maxime in cerebri medulla est quaerenda, ubi omnium nervorum, qui sensus et arbitrarii motus sunt capaces, invenitur conjunctio, *commune sensorium* dicta. Jam vero neque in nervis, neque in cerebro, neque in medulla quidem cerebri, quamvis operam navantibus Anatomicis et Chymicis, ulla vestigia reperiuntur vel conscientiae vel quarumvis Animi facultatum. Quae cum ita sint, maxime absurdum est, Animum habere corporeum.

Arg. VI. Ipsae sensationes, ex una eademque re ortae, longe aliam vim exserunt in Animum, quam in Corpus. Sic v. c. cum injustis afficiamur cruciatibus, in Animo excitantur indignatio, ira, furor: Corpus nihil nisi majorem minoremve sentit dolorem. Itaque cum in eadem sensatione tantopere varient effectus, quomodo ejusdem naturae utrumque esse possit?

§. 5.

Alterum argumentorum genus.

Neque haec sunt omnia, quae pro sua sententia attulerunt philosophi. Nimirum postquam experientia et observatio id dilucide videbantur testari, Corpus et Animum idem esse non posse, ulterius progressi sunt: et comparatione instituta eorum, quae Animo vel corpori attribui possent, tantam invenerunt differentiam inter mentis actiones et materiae mutationes, atque inter utriusque exsistendi modum et proprietates; ut eorum naturam maxime esse diversam, toto suo jure contendere sibi visi sint. Hinc altera argumentandi ratio exstitit, et pro diversa illa ratione diversa etiam fuere argumenta, nempe ex magno illo, quod Animum inter et Corpus intercedit, discrimine sumta.

Arg. I. Corpus exsistit solummodo in spatio, Animus vero in tempore; illud objectum est sensus externi, hic non nisi sensu interno percipitur. Inde igitur necessario sequitur eum esse naturam a corpore diversam.

Huc etiam pertinent illa argumenta, quae attulit Claudianus Mamertus quibusque efficere studuit, Animum non exsistere sub conditione spatii (1).

Arg. II. In omnibus corporibus, quippe quae se ipsa movere nequeunt, sed aliena vi moventur, machinae necessitas cernitur. Animus autem libere agit neque ejus operationes ex antegresso motu proficiscuntur. Itaque, nisi plane libertate sua spolietur Animus, Corpus esse nequit. — Cum insuper, amissa libertate, omnis bene ma-

---

(1) Cf. Tiedemann Geist der speculativen Philos. IIIer Th. S. 549. ff.

male ve factorum imputatio prorsus tollatur, sententia eorum, qui Animum corporeum esse statuunt, omnino digna est, quae rejiciatur.

Arg. III. Insunt in nobis notiones Infiniti et Aeterni; earum sane origo ex finiti corporis natura repeti nequit, verum iisdem longe supra corpora et tellurem evehitur Animus. Quae notiones cum in Animo informentur, ex corpore vero non proficiscantur, utriusque natura diversa statui debet.

Arg. IV. Nulla datur materiae proprietas, de qua Cogitatio deduci queat. Quum ad magnitudinem corporis novae accedunt partes vel plus extensionis accipit, qua ejus spatium crescit, vel magis fit solidum. Quodsi dividatur, partes deinceps fiunt minores, non tamen tam parvae, ut in alias partes discedere nequeant. Neque quibuscumque mutationibus aliud quid oritur, quam novae relationes magnitudinis, figurae cet. Haec vero omnia non quadrant in Animi naturam. Sensus incremento et imaginum, cogitationum neque extensio crescit neque Animi ambitus. Contra, licet notiones abstrahantur et disjungantur, non tamen majus minusve complent spatium. Neque quibusvis materiae mutationibus ad notionem conscientiae nostri ipsorum perducimur.

Arg. V. Animus est substantia quaedam a corpore diversa, neque ut quidam Materialistae volunt, corporis proprietas, atque ex sensuum corporeorum conformatione et compositione ortus (harmonia). Hoc enim si ita esset, Cogitatio vel sola illa compositione oriretur vel singulis partibus jam adesse deberet. Utrumque repugnat. Etenim, quod ad prius pertinet, illa partium conjunctio et justa dispositio, cum accuratam requirant singularum partium comparationem, ipsius Cogitationis vi efficiuntur: et ita ipsa Cogitatio Cogitationis causa sit, necesse est. Sic etiam v. c. in coloribus et sonis, quamvis hae in singulis partibus non insint et sola compositione oriantur novae quaedam vires et affectiones non in ipsis rebus a singulis partibus differunt, sed iterum nostri Animi vi et Cogitatione oriuntur. Porro si alterum illud statuatur, aeque minus defendi potest, quamvis multi individuis corporum partibus obscuras attribuerint notiones, et ex multarum illarum conjunctione claras oriri notiones voluerint. Differunt enim quantitas extensiva et intensiva: illa plurium notionum concursu augeretur, haec vero, cum internam vim spectet, eadem maneret; adeoque innumeris notionibus obscuris ne una quidem notio clara efficeretur (1).

Haec sunt praecipua argumenta, quibus illi, qui Animum incorporeum esse statuerunt, sententiam suam demonstrare sunt conati. Jam vero videndum est, an recte id demonstrent et tantum illorum argumentationes habeant ponderis, ut, qui contrariam sententiam amplexi sunt, iis cedere cogantur.

C A-

---

(1) Hoc est egregium illud argumentum Mendelsohnii in Phaedone. II Gespr. Cf. etiam ejus operis appendix pag. 215 sqq.

CAPUT QUARTUM.

IN QUO EORUM ARGUMENTATIONES, QUI ANIMUM INCORPOREUM ESSE VOLUERUNT, EXAMINANTUR ET DIJUDICANTUR.

§. 1.

Disceptantur argumenta Platonis, Plotini, Augustini.

Quae exposuimus argumenta, pro Animi natura incorporea allata, magnam sane habent vim et efficacitatem: multa habent, quibus illam sententiam reddant probabilem: multa, quibus homines capiant et evincant. Neque id negaverit quis, si ingentem cum philosophorum tum indoctorum hominum, qui huic opinioni fuerint addicti, turbam in mentem sibi revocat. At si jam quaeratur, an eadem demonstrationis, quae strictiori sensu dicitur (ἀπόδειξις) vim habeant, i. e. an non solum argumentationes probabiles sint dicendae, sed hoc etiam arguant, hujus contrarium fieri omnino non posse; id igitur, si rem cum pulvisculo excutiamus, plane iis negandum venire arbitramur. Quod quidem, cum singula ea ponderare debeamus, speramus fore ut luculentius appareat.

I. Primum igitur videamus de argumentis in Platonis scriptis obviis, quae quidem Mendelsohnio tam futilia et valore nervoque destituta videntur, ut ea vix digna judicet, quae serio sermone refellantur. Nos vero, quamvis summum Graecorum philosophum non tam parvi faciendum esse credamus; parum tamen vel nihil iis effici, non est quod affirmare reformidemus. Etenim, quod primum argumentum attinet, quo hoc sibi vult, idem simul non esse instrumentum et utens; exemplo ibi allato nihil probatur. Nam praeterquam quod exempla illustrent, non vero demonstrent, ex eo quoque, quod Corpus sit instrumentum Animi, non sequitur ideo naturas esse diversas. Artificem et instrumentum, tamquam res a se invicem seorsas, adspicere licet: non item Corpus ut instrumentum, et Animum ut utens: tum certe facilius inter utrumque distingueremus. Cum vero conjuncta tantummodo hominem faciant, fieri etiam potest, ut Animus nihil aliud sit quam corporis proprietas aut corpori indita vis, vel etiam, nisi sit Corpus humanum, at aliud tamen Corpus. Hoc jam in

---

(1) Mendelsohn in praefatione ad Phaedonem pag. VI.

in secundo argumento refellere studet Plato. At vero licet visui non objectus sit Animus, nihil obstat quominus ejus natura, ut nonnulli ex antiquis statuerunt, quamquam subtilissima, at tamen sit corporea, ita quidem ut nostram effugiat intuitionem. Neque ex varia Animi corporisque dignitatem diversaque agendi patiendive ratione evincitur ipsius utriusque naturae diversitas: aliud quid sunt rerum affectiones, aliud essentia.

Si tertium argumentum inspiciamus, manifestum est, Platonem instituta diligenti Animi cum corpore comparatione, illum ad genus rerum *ἀσυνθέτων*, hoc ad *συνθέτων* referre. Hic autem petitio, quae dicitur, principii deprehenditur, qua illa omnium rerum divisio, quamvis a Stoicis, Epicuro et recentioribus Materialistis negata, tamquam certa et demonstrata ponitur. Attamen cum incompositum sensibus non percipiamus, neque rebus compositis contrarium quoddam genus statui oporteat; hoc primum demonstratione eget, cur potius sint, quam non sint res simplices (1). Huic etiam conjunctum est quartum argumentum.

Quintum, quod haud contemnendam habet vim, ex parte suum fecerunt recentiores. Non tamen multum illo efficitur; nam libertatem Animi multi vel prorsus negarunt, vel certis motus legibus adstrinxerunt, vel denique etiamsi Animus corporeus sit, adesse posse contenderunt (2).

Ultima denique argumentatio, quod, a posterioribus uberius expositum, egregias ad Animi naturam incorpoream evincendam rationes peperit, superstructum est duobus argumentis. Partim enim nititur doctrina illa, omnem disciplinam nihil esse nisi reminiscentiam: ideoque necessario consequi, alicubi fuisse Animum, antequam corpore includeretur; partim discrepantia, in plurimorum hominum cogitatione et factis animadvertenda. Ipsam vero doctrinam de Animi prae-exsistentia demonstrare admodum difficile est, et adhuc sub judice lis est. Quod ad posterius pertinet, ex eo, quod mentis actiones apud singulos homines dissonent, tantummodo sequitur, diversas esse Animi operationes et commotiones; minime vero eo efficitur, ipsum illud cogitandi vivendique principium non posse componi corporis quadam intentione sensuumque corporeorum conformatione. Insuper possunt discrepare Animi actiones et singulorum hominum indoles pro vario corporis temperamento, ita ut componantur ex compositione corporis, veluti ex sonis harmonia.

II. Sequuntur jam argumenta Plotini, quae, ut Platonis, singulatim, at breviter tamen, percurrere liceat. Primum igitur argumentum inspicientes, quod a Plotino inchoatum accuratius exposuere recentiores, aliquid in eo desiderari videmus. Hoc nimirum ab illo philosopho tamquam certum ponitur, partes singulas, cum vita careant,

---

(1) Cf. Wyttenbach in disp. cit. sect. 5.

(2) Sic. v. c. Epicurus: Cf. Lucretius de rerum natura lib. II. vs. 251 seqq.

reant, constituere non posse totum vita praeditum: neque ex partibus, quibus nulla insit cogitatio, totum componi cogitandi facultate praeditum. Cum tamen nonnumquam in corporibus sola compositione partium novae oriantur vires et affectiones, quibus singulae partes carent, incertum hic perque incertum demonstrari videtur. Huic defectui inprimis occurrere studuit Mendelsohnius (1),

Si quatuor, quae sequuntur, argumenta spectemus, quod de quibusvis ejus generis rationibus dici potest, inprimis sane in illis observandum est. Nimirum id quod de Anima empirico modo percipiente et sentiente valet, non item contendi potest de mente humana per se spectata. Quod si consideremus, haec argumenta tantummodo probant, ita et non aliter nos sentire posse, non vero iisdem Animi natura incorporea arguitur. Neque desunt, quae contra singulas illas argumentationes in medium proferri possint. In secundo v. c. et quinto ponitur, Animum per totum Corpus singulasque ejus partes esse diffusum, itaque in quavis etiam corporis parte perceptionem habere; quod si vel ipsum concedatur, nondum tamen constat, an, quamvis secedant aliae partes, aliae accedant, non partes quaedam primariae, quae corporis veluti essentiam efficiant, remaneant neque ullam subeant mutationem? Tertium argumentum probat, omnes sensationes ad unam conscientiam conferri debere: non tamen ex eo, quod conscientia sit una, sequitur, subjectum etiam, quod sibi conscium est, unum esse. In quinto denique argumento Plotinum deprehendimus plus justo servire hypothesi, qua ponat perceptiones Animi, si quidem esset corporeus, non aliter fore comparatas, quam in cera impressas imagines. Id quodammodo convenit cum Platone, qui Animum, sibi aliquid repraesentantem, cum tabula rasa comparavit.

Supersunt duo adhuc argumenta, quae nil magis certi afferunt. Quod ad sextum pertinet, etiamsi inter se differant sentiendi facultas atque cogitandi, tamen hoc ipso differant non necesse est, ut sentiamus sensuum ope et absque corpore cogitemus. Namque uti vel in corporibus et materia magnam animadvertimus diversitatem et dissimilitudinem; sic etiam sentire et cogitare, licet utrumque sensuum ope fiat, multimodis differre possunt, nec tamen esse unum. Postremum denique argumentum nihil demonstrat, quoniam eodem modo probari possit Animum esse corporeum: habet scilicet ille notiones naturae compositae et corporeae, quomodo igitur natura simplex et individua apprehendet corpoream et dividuam? Id igitur pro utraque sententia pugnat.

III. Ex antiquiorum philosophorum argumentis adhuc examinanda restant, quae attulit Augustinus. Primum hoc tantummodo efficit, organa corporea non ipsa et sola la sentire, sed ad hoc requiri, quam nos vocamus Animam; non vero probat Animam, tanquam sentiendi principium, esse incorpoream. Verum etiam, si severius illam dijudicemus argumentationem, perperam quaedam statui videntur. Nimirum Animus non omnes perceptiones detrectare potest; licet enim sensationes ex rebus externis oriundas plane a se arceat, tamen mutationum, quae in cerebro obtinent, seu perceptionum immediatarum sibi conscia est: ergo organorum corporeorum impulsionibus Animus non plane et totum se subtrahere valet. Secundum arg. tantummodo de hoc valet: *Ego cogito;* non vero de ipso Animo. Confunduntur enim Animi actiones et ipsa ejus natura. Insuper quoniam non satis certum est, naturam cogitantem ex elementis quibusvis aut corpore constare, concludere non licet ideo illum non esse corporeum; tum quidem similem conclusionem ad suam opinionem defendendam adhibere possent adversarii, cum neque de incorporea Animi natura satis constet.

---

(1) Vid. Mendelsohn l. l. in appendice pag. 213 sq.

In sequenti argumento Augustinus refellere conatur eorum argumentationem, qui Animum corporeum volunt, quoniam simul cum corpore diminuitur aut crescit. Valet illud argumentum absolute, relative vero, cum quaestio prorsus mutetur, nihil valet. Nimirum demonstrat, Animum, si crescat, non plus accipere extensionis: id proprie non negant illi. Sed cum ex eo, quod in omnibus a corpore pendeat et una cum eo crescat Animus, corpoream ejus naturam probare, conantur; non majorem Animi extensionem exinde concludunt, verum Identitatem, quae dicitur, Animi et Corporis. Id autem non refellit Augustinus.

In quarto argumento nimis temere procedit demonstratio. Praestantior Animus est lineis et punctis: an ideo et individuus? Alterum alteri minimum consequens est, cum praestantiae notio notionem individui non necessario includat. In postremo denique argumento, quo hoc sibi vult Augustinus, Animum non exsistere in spatio; nil demonstrandum sumit; exemplo allato nihil efficitur.

§. 2.

Examinantur recentiorum argumenta, ex experientia et sui cujusque observatione sumta.

Quod de argumentis a veteris aevi philosophis allatis contendimus, id etiam ad recentiorum pertinet. Multa habent, quibus rem ita sese habere, fere persuadeant nobis; at haudquaquam tantum valent, ut ἀποδεικτικῶς demonstrando eos etiam, qui nolunt assensum praebere, assentiri tamen cogant. Sunt enim multa, quae contra ea possint afferri, ut jam ostendere conabimur. Itaque transeundum est ad prioris generis argumenta, ea nempe, quae ex sui cujusque observatione et experientia sumta sunt.

Quodsi primum argumentum perpendimus, facile damus, necessario aliud requiri, quod multiplex illud, cujus percipiendo et cogitando paullatim sumus conscii, ad unam eandemque conscientiam referat. Id autem, cum Ego percipiam et Ego cogitem, consentaneum est: alioquin nec perceptiones nec cogitationes dici possunt esse *meae*. At vero, si qualitatis unitas demonstrata est, nondum de quantitatis unitate constat, i. e. ex eo quod conscientia omnium perceptionum et cogitationum sit una, haud necessario consequitur, id quoque, quod percipiat et cogitet, in se consideratum unum esse atque indivisum. Etenim ad identitatem numericam seu singularem naturae percipientis et cogitantis demonstrandam, continuata illius intuitione tamquam entis unius ejusdemque opus esset (1).

Ad secundum argumentum quod attinet, verum est me omnes cogitationes, quas meas esse mihi sum conscius, ad me ipsum veluti subjectum referre, neque igitur me ipse mihi repraesento tamquam alterius cujusdam rei praedicatum. At vero exinde non sequitur, ipsum illud, quod cogitet, esse substantiam vel ens, ad exsistendum altero non indigens. Etenim substantiam vocamus ejusmodi subjectum, quod semper se ipsum idem conservat et ad quod omnia, quae mutantur, tamquam praedicata pertinent. Jam vero id tantummodo locum habet respectu rerum externarum vel in spatio exsistentium. Quae si continuata in tempore intuitione percipiuntur, vel substantiae sunt, vel accidentia. Atqui in sensu interno omnia continenti fluxu agitantur, ita ut nonnumquam omnes cogitationes et una cum his evanescat illud principium: *ego cogito*. Neque igitur perdurans datur naturae cogitantis intuitio nec demonstrari potest, illam esse substantiam (2).

Tertium argumentum bene sese habet, respectu rerum per sensus nobis innotescentium. Non tamen de Animo et corpore valet, ac minime demonstrat, sine corpore exsistere posse naturam illam cogitantem: nisi confundere velimus possibilitatem, ut ajunt, logicam et realem. Quod enim nos cogitationis vi distinguimus et separamus, idcirco non reapse distingui potest et separari, ita ut alterum sine altero exsistere queat (3).

Multa sunt quibus argumento quarto, quod permultum valoris habere semper visum est, occurri possit. Nam primo loco observari potest, illum commutationum fluxum tam lentum esse, ut vix eum animadvertas. Huic perpauci sunt homines, qui post longum temporis intervallum corporis sui organa plane fere mutata esse, tam facile credant, nedum deprehendant. Fieri igitur potest, ut Animus noster, quamvis nihilo minus quam Corpus mutetur, idem tamen et individuus semper nobis appareat; ita quidem, ut nos hac in re fallamur, qui id, quod eadem conditione nobis apparet, pro uno eodemque habeamus. Deinde licet Animus corporeus statuitur, huic sententiae nihil obest continua corporis commutatio: obesset sane, si de quavis, minutissima etiam, corporis particula per se spectata ea mutatio probaretur. Nunc vero haudquaquam cedere coguntur Materialistae; nam in medio illo partium secedentium et advenientium fluxu, partes quaedam primariae, quibus proprie cognoscendi, sentiendi et appetendi facultas efficiantur, remanere contendunt: unde immutabilis naturae et individuae notio proficiscatur. Tota igitur demonstratio eo absolvitur, corpori nostro inesse unam pluresve particulas inhaerentes ac remanentes, cogitatione et voluntate praeditas. Denique in illa argumentatione incertum per aeque incertum probatur. Nostrum enim Ego, nostrique ipsorum conscientiam, multis annis post esse idem, immutatum, et individuum, nullo modo tamquam certum poni debet. De quo si quis ambigat, recordatione ad vitam ante actam recurrat, videatque ut mirandam sentiendi, agendi, cogitandique ratio subierit mutationem. Quae olim blande alliciebant et in maxima erant admiratione, nunc non curantur et vel spernuntur, quorum desiderio nondum capiebatur puer, haec sibi parare hisque frui tota mens agitat viro; innumerae rerum repraesentationes ex Animo effluxerunt, earumque locum aliae tenent. Quid, quod unius anni spatium cogitandi rationem penitus mutare potest, ac vel uno temporis puncto Amor, Patria, Libertas, Honos alios faciunt homines (1)?

---

(1) Vid. Krug. Erkentniss lehre Th. II. Absch. 2. §. 155. Obs. 2.

(2) Vid. Krug. l. l. Th. II. Absch. 2. §. 155. obs. 1. collata Th. I. Abs. 2. § 81. Obs. 1.

(3) Cf. Krng. l. l. §. 155. Obs. 2.

Quae in quinto argumento proferuntur, his omnibus assensus praeberi potest et tamen statui, Animum esse corporeum. Nam respondent ad haec Materialistae, vel nondum eam corporis partem, qua Animus efficitur, experimentis suis invenisse physicos; vel forte hancce particulam esse tam exiguam et subtilem, ut oculos Lynceis perspicaciores effugiat; vel denique Animi vires compositione et conjunctione cum corpore effici (2).

Neque sextum argumentum satis valet. Quod enim immane quantum in Animo et corpore sensationum effectus differant, id non recte probat, Corpus et Animum ejusdem esse naturae. Quantopere certe variant ea, quae e. g. scintilla electrica in ipsis corporibus efficit? Sunt tamen corpora ejusdem omnia naturae. Potest igitur

---

(1) Cf. Krug. l. l. §. 156. J. Rochussen diss. over de during, gewaarwording en werking der menschelijke ziel na den dood des ligchaams in haren afgezonderden staat, inserta operibus societ. Theol. Teylerianae Tom. X. pag. 66, 68; Bachmann l. l. p. 172 sq.

(2) Vid. Rochussen l. l. pag. 67, 68.

Animus et Corpus, quamvis subtilitate et sentiendi ratione diversa sunt, utramque corporeae esse naturae (1).

§. 3.

Ceterorum argumentorum pondus.

Hujusmodi igitur argumentationibus nihil certi efficitur: restat, ut videamus, an feliciori successu alterius generis argumenta, quae ex diversis materiae et Animi proprietatibus et viribus sumta sunt, adhibuerint philosophi. Sed neque haec incorpoream Animi naturam demonstrando sufficere videntur. Enimvero primum jam argumentum vitio laborare apparet. Nimirum si res ita sese haberet, ut non nisi in spatio exsisterent Corpora, non nisi in tempore Animus (quo oritur oppositio contradictoria); contendi fortasse posset, eorum naturas esse plane sibi oppositas et alteram alteri repugnantem. Jam vero, cum in Corporibus motum deprehendamus, motus autem oriatur vi aliena, itaque sequatur: cum porro mutationes in Materia et Corporibus obviae proficiscantur ex antegresso motu, itaque fiant post alias aliae; statuendum est, quoniam et motus et mutationes temporis successu se invicem excipiant, Materiam et Corpora exsistere non solum in Spatio, sed etiam sub conditione Temporis. Sic tantummodo oppositio contraria admitti potest, et omnis hujus argumenti efficacitas tollitur (2).

Secundo argumento non possumus non maximum adjudicare valorem, praesertim si vim ejus practicam consideremus; amissa enim libertate, quid virtus, quid vitium, quid imputatio? Sublato porro virtutem inter et vitia discrimine, quid societas humana?

At vero, si ad justae demonstrationis normam exigatur illa argumentatio, parum praestare videtur. Nam primum hic objici potest, nondum extra omnem dubitationem esse positum, in omnibus omnino Corporibus machinae necessitatem obtinere. Quamvis enim in mechanicis varii Corporum motus constanti numquam careant eventu, et necessarias eorum operationes vel praenunciare possimus; exinde non consequitur, ad unum omnes in Materia motus et operationes eidem necessitati esse adstrictos. Innumeras quidem ignoramus rerum causas et effectus, neque satis certe definire valemus: quarumnam facultatum Materia sit capax necne? Hinc etiam Epicurus, quamvis Animum corporeum vellet, singulari modo libertatem explicavit, quod Atomi, ex quibus Animus constaret, non semper recta via moverentur, sed interdum declinarent (3). Praeterea etiamsi, quae supra sunt memorata, concedamus, iterum hic dubitatio oriri potest, an revera in agendo necessitas libertati morali repugnet, nostraeque hac de re notiones tam clarae sint, ut iis tamquam fundamento alias demonstrationes superstruere liceat? Fuerunt revera etiam, qui hominis libertatem vel prorsus, vel quodammodo certe negarunt: ita ut de illa ipsa non certe inter omnes constet, ideoque in hac argumentatione aliquid petatur, quod primum demonstrandum est (1). Cogitatione enim fingere possumus certas esse causas, secundum quas agere cogamur; quae vero, quia in hominis conscientiam non cadunt ac plane ignorantur, hoc ipsi persuadeant, se unicam suarum actionum esse causam (2).

---

(1) Vid. Rochussen l. l. pag. 67, 69.

(2) Cf. Bachmann l. l. pag. 168.

(3) Lucretius de rerum natura, lib II. vs. 254 sqq.

In sequenti argumento iterum aliquid peti videmus: quis enim certo probet, Infiniti et Aeterni notiones ex finiti corporis natura non proficisci? Deinde, informat etiam Animus notiones Finiti et Dividui, an ideo corporeus est et dividuus? Praeterea, quid sunt illae notiones Infiniti et Aeterni? Oriuntur fortasse tantummodo ex eo, quod comparatione instituta inter res terrestrès et se ipsum, homo, quippe qui ratione est praeditus, illis se superiorem animadvertit. Jam vero cum supra hancce tellurem cogitatione evehitur, ut illam Rationem quam maxime finitam, ut arctissimis circumscriptam limitibus eam experietur!

Duobus argumentis postremis id efficere student, cogitationem in Materiam et Corpora cadere non posse. Habent illae et inprimis Mendelsohnii demonstrationes maximum pondus, ita ut omnes adversariorum dubitationes uno lapsu corruere debere videantur. Attamen ne illae quidem plenam de Materialismo victoriam reportare potuerunt. Quamvis enim Materiae nobis cognitae et conspicuae nulla detur proprietas, de qua deduci queat Cogitatio ceteraeque mentis facultates: quamvis juste probatum esse concedatur, neque in singulis hujus Materiae partibus, nec sola partium compositione Cogitationem oriri posse; idcirco de omni materia, nisi temere concludere velimus, illud contendi nequit. Tota igitur res in nostra inscitia versatur; etenim praeter rudem illam terrestrem, mixtamque materiem, quae nostrae intuitioni patet nobisque notior est, alia quaedam subtilior, praestantior et purior in rerum natura adesse potest. Insuper non frustra hic certatur longa illa argumentorum serie, quae pro Animi natura corporea allata superius exposuimus, et nunc repetere non juvat (3).

---

(1) Huc pertinent controversiae de Determinismo et Indeterminismo ortae. De quibus inprimis multa egit Priestlejus, qui cum voluntatem, tum ceteras mentis facultates omnesque res naturales in universum ad certam et constantem naturae legem referre voluit. Cf. ejus scriptum: The doctrine of philosophical necessity illustrated. London 1777.

(2) Cf. Rochussen l. l. pag. 70, 72. Bachmann l. l. pag. 174.

(3) Cf. Bachmann l. l. pag. 168.

Quae omnia cum perpendimus, facile apparet, illos etiam philosophos, qui Animi naturam incorpoream statuerunt, hancce sententiam argumentis satis validis confirmare non potuisse. Nam licet maximam probabilitatem huicce sententiae denegare nolimus, eam tamen vim expositae argumentationes non habent, ut juste demonstrando ad alteram sententiam adversarios vel invitos accedere cogant, vel omnem iis eripiant contradicendi ansam. Multa, quibus respondeatur, supersunt, et si absque partium studio judicare velimus, neutri earum completam certamque victoriam adsignabimus.

Itaque priorem hujus responsionis partem, qua varia philosophorum de Animi natura corporea vel incorporea exponerentur argumenta et dijudicarentur, pro viribus absolvimus. Innumera sunt, quae hic addi potuissent, sed brevitati studendum erat. Jam ad partem posteriorem, quae alterum quaestionis argumentum continet, transgrediamur.

* * *

PARS ALTERA.

IN QUA OSTENDITUR, QUARE DEMONSTRATIONE MATHEMATICA CERTI QUID HAC IN RE EFFICI NEQUEAT, SED EX RATIONIS AUCTORITATE EJUSQUE TAMQUAM FIDE NIXUM, HOC TENENDUM SIT, ANIMUM ESSE NATURAM A CORPORE SECRETAM, SIMPLICEM ET ESSE PERSONAM.

Quaecumque de Animi natura sive corporea sive incorporea scripta sunt, quemadmodum ex parte quidem vidimus, magnopere sunt incerta. Licet enim a nonnullis philosophis multa eaque egregia in medium sunt prolata, quae ad hominem evincendum plurimum faciant; non tamen, cum hujus rei demonstrationes neque plenae sint neque omnibus numeris absolutae, ad ipsam veritatem inveniendam et confirmandam, prorsus sufficiunt. Quid igitur miremur, quod longae illae in utramque partem disputationes, non modo lucis nihil afferant, sed iis lectis et relectis, idem fere passus in se quisque transferat illud Terentii;

> « Fecisti egregie, multo sum incertior dudum."

Quae si consideremus, maximi sane momenti altera quaestionis pars est, qua in id inquiratur, quare tandem hac in re certi quid effici nequeat? et deinde, quid in incerta illa rei conditione tenendum sit, quid credendum? Est igitur haecce pars duplex, ideoque in duo capita bene tribui nobis visa est.

CAPUT PRIMUM.

CONTINENS RATIONES CUR HAC IN RE CERTI QUID EFFICI NEQUEAT.

§. 1.

De notione Materiae.

In omni demonstratione, quae vero demonstrationis nomine appellari possit, enunciationes praemissae debent esse certae, et ex Mathematica evidentia. Hanc Cicero vocat: *rationem, quae ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit* (1). Quoniam autem percepta Mathematicae sunt evidentiae, hinc simul manifestum est, talem demonstrationem in illa de Animi natura corporea vel incorporea disquisitione locum obtinere non posse. Quas enim spectat res, materiam nempe et Animum per se spectatum, percipere atque intueri non possumus. Id quidem in sequentibus ostendere conabimur.

Primum igitur de notione Materiae videamus. Etenim, si tam multa loquuntur illi de Materia, hanc sibi cogitatione fingunt tamquam omnium, quas percipimus, rerum substantiam. Quae nos sensuum ope intuemur corpora rotunda, quadrata, angulata, solida, fluida cet. nihil aliud sunt quam Materia, uti nobis apparet, certo quodam modo limitibus et qualitate determinata, non vero ipsa materia per se. Illius nulla ipsi rei conveniens nobis adest repraesentatio; nam intuendae tantummodo nobis dantur Materiei formae, continuae mutationi obnoxiae, non Materia ipsa. Quodsi igitur a formis Materiam abstrahamus, sola intelligentia id efficitur; nam quodvis cognitionis objectum forma praeditum esse debet, et ens formae expers nullo modo percipere possumus.

Ad quae si attendamus, simul etiam ipsam Materiam minime nobis cognitam et perspectam esse confitebimur. Quaecumque certe de Materia affirmare posse sibi videntur philosophi, hac in re nullam lucem afferunt. Omnis enim de corporibus doctrina cum hoc sibi ponat principium, Materiam dari tamquam sensui externo objectam, sive quae in Spatio exsistat; satis indicat ea quoque, quae de Materia dicantur, nihil esse aliud nisi descriptionem proprietatum et actionum, quae sive a priori, sive a posteriori Materiae tribuuntur: de eo vero, quid ipsa sit Materia, nihil certi affirmari potest. Quod si igitur ita definiunt Materiam esse id, quod mobile sit in Spatio, ejusque motus causam esse vim quamdam motricem (2), abstrahunt rursus motum ab interna Materiae essentia atque formis. Cum vero motus in Spatio, nisi Materiae, esse nequeat, iterum quaerimus: quid vero est illa Materia? Si porro dicunt, Materiam esse id quod spatium occupet et compleat, ita ut Materia alia in idem spatium penetrare nequeat, in quo jam sit alia, idque fieri volunt vi quadam repellente, qua resistat alii Materiei locumque obtineat (3); in definitione circulum admittunt et rursus rogamus: quid est alia illa Materia, cui resistatur? Contendunt igitur ex una parte vim moventem causam esse motus Materiae, ex altera Materiam esse id quod mobile sit in Spatio; itaque Ma-

---

(1) Cic. Acad. Quaest. lib. II. cap. 1.

(2) Cf. Krug. Erkenntnissl. th. II. absch. 1. §. 98 et 107.

(3) Cf. Krug. l. l. §. 109, 110, 111.

teria adjuvante definiuntur vires, et viribus adjuvantibus definitur Materia. Sic nihil etiam juvat ad vim repellentem et attrahentem confugere: nam quid erunt illae vires, nisi prius aliquid, quod repellatur et attrahatur, sint Atomi vel aliud quid, adesse cogitetur. Si denique perhibent, Materiam esse dividuum quid, quod ex partibus constat, oritur quaestio: quaenam sit natura partium? Respondent eas etiam esse Materiam (1). Jam nihil proficimus, nam sive totum spectes sive ejus partes, id proprie rogatur, quid sit Materia? Sic in ceteris.

Hinc autem simul apparet, Kantii quoque quamvis acutissimam constructionem, qua notas illas quatuor Categorias ad Materiam explicandam adhibuerit, rem non satis expedire (2). His omnibus accedit, quod aeque minus atque ipsam materiam explicare possimus, quomodo oriantur diversae illius formae et actiones. Quaecumque enim hac de re probata sunt, quam maxime nostram ignorantiam arguunt, et nisi assiduis observationibus et experimentis prima, quibus corpora constent, elementa omnesque rerum causae, plane nobis nobis innotuerint, ne adjuvante quidem experientia, certam horum notitiam assequemur.

Quae cum ita sint, satis intelligitur, Materiam, quippe quae, solo intellectu abstrahente, non pateat intuitioni nobisque plane cognita et perspecta esse nequeat, nullo modo inservire posse demonstrationi necessariae, sive probari debeat Animi natura corporea sive incorporea.

§. 2.

Animus percipitur cum corpore conjunctus.

Quum nos, instituta comparatione inter sensum externum et intimam sui cujusque conscientiam, duplicem in nobis distinguamus naturam, alteram Corpus, alteram incorpoream, et vel Corpus vel Animum seorsum spectemus; haecce distinctio non revera locum habere censenda est, adeoque exinde non sequitur, aut Animum aut Corpus a se invicem separata aliquid esse per se. Idem hic observandum est quod de materia diximus, sola abstrahendi facultate, qua gaudet intelligentia nostra Animum et Corpus separari. Sed nimirum si ad mirabilem illam Animi et Corporis societatem, qua actiones et passiones huic vel illi tributae sibi invicem respondeant, attendamus; jam statim eo impellimur, ut arctissimis vinculis utrumque conjunctum esse opinemur. Cum vero etiam primae in praesenti vita cogitationes ope sensuum, quippe quibus res externae ei innotescunt, in Animo excitentur;

---

(1) Cf. Krug. l. l. §. 115.

(2) Vid. Kant. Metaph. Anfangs-gründe der Natur-Wissenschaft.

Animum omnino organis corporeis indigere, facile apparet. Mutua autem utriusque naturae conjunctio hominem constituunt. Itaque, quem nos percipimus cogitantem et appetentem, Animus non a Corpore seorsus sese nobis offert, sed intimo nexu cum corpore organico conjunctus.

Quodsi vero Psychologia rationalis non adeo spectet Animum tamquam Phaenomenon, sed tamquam Noumenon, eumque talem tamquam objectum sumat ad cognoscendum datum, omnia, quae hac in re proferat, maxime incerta sunt et nonnisi problemata haberi debent. Etenim si mens humana repraesentetur tamquam substantia simplex, quaeque ab Empirica nostrae exsistentiae conditione i. e. a corpore organico non pendeat, atque ita veluti incorporea quaedam natura exsistere et operari possit; id solius rationis purae seu theoreticae idea et officium est. Quae cum de Animo non agat tamquam phaenomeno quique sensu interno percipi possit, sed absolutum eum habeat cogitandi subjectum, et substantiam absolute simplicem, quam neque percipere neque intueri liceat; quomodo certi quid hac in re efficiet, cum nos Animum percipere nequeamus, nisi ratione empirica et cum organis corporeis arctissime connexum? Hinc etiam inepta quorumdam philosophorum commenta originem duxisse videntur, qui, quae ad empiricam pertinebant Psychologiam, ad rationalem illam transtulerunt, adeoque quae de Animo tamquam phaenomeno valebant, etiam de eo, tamquam Noumeno spectato, contendere voluerunt. Sed ne longius, quam par est, in his moremur, id tantummodo nobis volumus, cum Animi et Corporis natura fixo naturae ordine ad mutuum connubium accommodata sit, nullo modo fieri posse, ut nos illum percipiamus a corporis organis secretum. Quae si vera sunt, multo minus definire possumus, quaenam sit Animi natura per se spectata, et quatenus ille a corpore sit diversus? certe ex iis, quae nunc ope sensuum corporeorum mens operatur, ipsius Animi naturam concludere non licet.

§. 3.

De oppositione Animi et Corporis.

Verum alia quaedam accedit ratio cur in disputationibus de Animi natura certi quid effici nequeat. Nam etiamsi hoc concedatur nullis vitiis argumenta quaedam laborare atque id fuisse demonstratum, Animi naturam a corpore esse diversam; exinde nondum sequitur illius naturam corpori omnino oppositam esse et repugnantem, ita ut Animus cum non eandem cum corpore habeat naturam, necessario plane sit incorporeus. Nimirum in logicis duplex traditur notionum discrepantium genus: sunt vel contradictoriae, inter quas nil medium intercedat, vel contrariae, ut inter eas aliud quid interjectum esse possit (1). Hinc etiam duplex oritur oppositio. Cum nempe notiones per simplicem negationem sibi invicem opponuntur (*directe* seu *negative*) oppositio dicitur contradictoria; si vero sibi invicem opponuntur notiones per positionem alterius (*indirecte* seu *positive*) oritur oppositio contraria. In illa non plures quam duae notiones discrepantes occurrunt, v. c. mutabile et immutabile, extensum et non extensum, ita ut si altera objecto cuidam conveniat, altera ei neganda sit, et contra. In posteriori vero oppositione plures et innumerae notiones adesse possunt, v. c. nigrum, rubrum, album cet; ita ut si una objecto cuidam non attribuenda sit, ideo altera vel tertia ei non necessario conveniat; nam sibi invicem opponuntur nigrum, rubrum, flavum, et tamen objecto cuidam omnes illae notiones negari possunt.

Quodsi igitur Animus et Corpus sibi invicem opponuntur, hic oppositionem non contradictoriam, verum contrariam tantummodo locum habere, manifestum est. Non enim de Animo et Corpore loquimur tamquam de naturis plane sibi repugnantibus sibique contradicentibus quippe quae potius amice inter se conspirent; sed de naturis diversis et subcontrariis. Itaque cum plurima philosophorum argumenta id efficere debeant utriusque naturam diversam esse, nondum ex iisdem, licet justae demonstrationis vim iis concedere velimus, id probatur utriusque naturas esse repugnantia; ita quidem ut, si Corpus et Animus diversa sint, alterum natura sit corporea, alter e contrario natura plane incorporea. Hinc simul colligi potest, quam parum de Animi natura possimus proferre; nam quaecumque de diversitate Animi et Corporis experientia, observatione, et meditatione innotescant, non valent tantum, ut ponere liceat: Corpus ex Materia constat, adeoque Animus nihil cum Materia mixtum habet. Verum enim vero cum, quae non nisi contrarie sibi opponi queant, sibi invicem non repugnent, notiones Animi et Corporis notioni cuidam superiori, cujus efficiant partes, affines et cognatae haberi possunt.

§. 4.

Quid sit demonstratio?

Quodsi denique hac in re certi quid efficere velint philosophi demonstratione mathematica iis opus est. Jam vero si ad ipsam demonstrationis significationem, quam ei dederint scholae Criticae seu Kantianae philosophi, attendamus, omnino id fieri non posse videmus. Nimirum demonstrationem, strictiori sensu dictam, vocant *in-*

---

(1) Ita Wyttenbachius praecepta philosophiae logicae parte I. cap. 3. pag. 22.

tuitivam quamdam rei monstrationem ex argumentis objectivis (1), eò quidem sensu, quo Anatomicos dicimus, ex cadavere intuitioni obnoxio ea, quae velint, demonstrare. Ita etiam in Mathesi, quae singulas notiones manifestis signis (σχήμασι) quaeque oculis subjiciuntur, exponit et confirmat, ejusmodi demonstrationem obtinere videmus. Mathematicus enim cum ipsas notiones schematum ope quasi intueatur, ad maximum evidentiae fastigium pervenit; ita ut, quae demonstrantur, aliter sese habere non posse, certissime sibi persuadere cogatur. Talem vero demonstrationem, si in disputatione de Animi natura locum habere credamus, maxime fallimur; nam demonstrare, quasi digitis monstrare Animi naturam jam oppositio est in ipsis terminis. Ex praecedentibus certe satis apparet, ea de quibus disputetur nostrae intuitioni minime esse subjecta, ideoque neque ex rebus objectivis argumenta sumi neque certi quid effici posse. Unum id, quod intueri nobis datum sit, vel cadaver est vel ipse homo, uti ex Animo et Corpore constat, itaque *materia animata.* Haec vero ad Animi naturam demonstrandam parum faciunt. Cadaver enim inanimatum est, et Materia illa animata non est ipse Animus, sed Animus cum Corpore seu materia conjunctus.

Quae igitur omnia si nobiscum consideremus, facile evincimur demonstrationi necessariae, quae ex argumentis intuitivis atque ex re ipsa objecta deducitur, hac in re locum non esse; sed omnem nostram de Animi natura cognitionem, si quidem cognitionem appellare liceat, densissimis circumvolutam esse tenebris. Jam vero cum in tanta rei obscuritate versemur, an ideo turpem Pyrrhonismi rationem suscipiendam esse putemus? Imò dux nobis inest, quem per hasce tenebras tuto sequamur, sensus quidem excellentior, vis divina, quae nos sapere doceat, quam Rationem vocamus. Ad hujus auctoritatem confugiendum est, ejusque tamquam fide ductis caute nobis observandum est, quid de Animi natura credendum sit atque pro vero habendum?

---

(1) Kantij Critica purae rationis pag. 762. editionis tertiae.

* * *

CAPUT SECUNDUM.

IN QUO EXPONITUR, QUANTUM HAC IN RE RATIONIS FIDES VALEAT, ET QUID DOCEAT.

§. 1.

Sufficit Rationis auctoritas et fides.

Ad agnoscendam aliquam veritatem vel faciunt argumenta objectiva, quae ex re quadam objecta, cujus repraesentationem et notitiam consequi liceat, deducuntur; vel argumenta subjectiva, quae, cum res objecta rite ea praebere nequeat, ex ipso subjecto veritatem agnoscente hauriuntur. Quodsi prius contingat, dicimur aliquid *scire* quoniam rei objectae sive perceptione sive intuitione nostra persuasio ad maximum evehitur evidentiae gradum. Si vero extra rem objectam argumenta petantur, quia tum non oritur evidentia, sed ipsius subjecti fiducia et fides in censum veniunt, dicimur aliquid *credere*. Evidentiam autem, ut in omni rerum sensus nostros effugientium veritate, v. c. Animi immortalitate, libertate morali cet. ita quoque in Animi naturae investigatione locum habere non posse, ex praecedentibus satis apparet, et ipsa hujus loci tractandi docet ratio. In investiganda igitur Animi natura omnia ad fidem rediguntur. Jam vero oritur quaestio: an hac in re sufficiat credere et fides tantum valeat, ut alterutram sententiam tuto amplectamur? Ad haec ita respondemus. Quidquid credatur, fides ut recta sit et momentum habeat, duo potissimum requirit. Nimirum primo opus est ut illi fidei nulla evidentia opponi possit; nam credere contrarium, quamquam certo aliquid scire possimus, absurdum est et superstitionis nomine dignum. Deinde debet illa fides esse communis sive ita comparata, ut ad quemcumque, qui persuaderi sibi sinat, pertineat; atque adeo, cum communi hominum natura nitatur, universum spectat genus humanum. Ejusmodi fides, quippe quae ex ipsa Ratione oritur et apud omnes, qui Rationi convenienter judicare volunt, valere debet, dicitur Fides rationalis. Haecce igitur, quamvis argumentis objectivis careat, maximum tamen habet momentum tantumque valoris ei attribuendum est, ut in rebus, ubi contrarium demonstrari nequeat, certissima cum fiducia in illa sit acquiescendum (1).

---

(1) Cf. Pisteologie oder Glaube, Aberglaube und Unglaube von Prof. Krug. Leipzig 1825. Absch. IV. pag. 58 sqq. et Absch. V. pag. 84 et 92 seqq. Ejusdem Fundamentalphilosophie, oder Urwissenschaftliche Grundlehre Th. II. Absch. 1. §. 92 — 104.

Itaque si nos Animi naturam corpoream aut incorpoream credamus, nulli alii, nisi ejusmodi fidei, locum esse sponte apparet. Utramcumque enim amplectamur sententiam, neutri certa evidentia obesse potest, et quidquid hac in re credatur, id communi generis humani natura niti debet. Nunc ex illis omnibus haec concludimus. In loco de Animi natura nulla afferri possunt nisi subjectiva argumenta idque ea, quae ex nostra ipsorum natura desumuntur, quippe qui sensu, intelligentia et ratione praediti sumus. Hic autem auctoritas Rationis humanae, disertis sensus et sui ipsius conscientiae effatis confirmata, non quidem est principium quoddam constituens, at norma tamen et regula, qua omnis nititur Fides rationalis. Paucis adhuc videndum est, quid tandem de natura Animi humani ex rationis auctoritate ejusque tamquam fide nixum tenendum sit?

§. 2.

Animus est natura a Corpore secreta, simplex et est persona.

Quae igitur hac in re Rationis fides, tamquam immediatum sui ipsius conscientiae effatum, nos doceat, neminem fere, qui accurate ad se ipse attendit, facile latebit. Haec autem conscientia unicus fons est, ex quo quaevis cognitio philosopha hauriri possit; quem qui non adeant philosophi, qualem proferant philosophiam, videant ipsi. Illud sane, cujus immediate nobis sumus conscii, quin revera ita sese habeat, non est quod dubitemus (1). Verum quidem est, nullam ipsius Animi naturae nobis esse conscientiam, adeoque hujus ope nihil de illa posse cognosci; at vero actionum, quas in nobis efficit Animus, bene nobis conscii sumus. Has autem si consideramus et comparationem instituimus, fides nostra rationalis facile eo pervenit, ut Animum credamus naturam esse a Corpore secretam, simplicem et esse personam. De singulis breviter videndum est.

Nimirum nobis conscii sumus nostri ipsorum et rerum extra nos exsistentium, atque utrumque distinguimus; nos ipsos vocamus Homines, res externas Mundum. Distinguimus etiam in nobis ipsis internum quid, quod Animum, atque externum, quod Corpus dicimus. Si porro ad illas Animi actiones attendimus, quae sensuum ope efficit, distinguimus ipsas Animi operationes ab instrumentis sensuum corporeis, per quae agit, et in utrisque maximam agnoscimus diversitatem. Ita in res externas oculis, auribus vel digitis inquirentes, non solum rerum objectarum proprietates percipimus easque ita sese habere, quales nos eas deprehendimus, judicamus; sed eodem quoque

---

(1) Cf. Krug, Fundamental-Philosophie Th. I. Absch. 2. §. 40 sqq.

que tempore judicamus et credimus, in nobis inesse principium quoddam, quod res illas externas videat ac percipiat, atque cum a rebus perceptis tum a corporis sensibus, quibus eas percipiat, diversum sit et secretum. Sensationes etiam, sive ex iis voluptatem percipiamus sive dolorem, quales sint et quantae et quanam in parte corporis obtineant, bene nobis sumus conscii. Oriuntur ex corporis sensibus diversaque ejus dispositione, et tamen eodem tempore judicamus et credimus, principium illud, quod percipiat, a corpore, in quo percipiatur, diversum esse et secretum. Sed multo magis Animum a corpore distinguimus, si internas ejus actiones consideremus. Multo enim postquam sensuum ope res externas perceperit Animus, eum cogitare, judicare, ratiocinari, dubitare, cet. nobis sumus conscii; alia eum appetere, aversari alia, variisque commotionibus, amoris, odii, irae, spei, timoris, ceterorum affici, probe scimus. Simul vero hoc etiamquasi intimo sensu et persuasione credimus, principium, quod haec agat a corpore omnino diversum esse et secretum (1). Fuit certe haecce fides omnium hominum communis, qui nondum nimia philosophandi, de iis etiam, quae humanam intelligentiam superant, cupiditate atque continua adhibita rerum abstractione eo pervenerant, ut contra ea, quae demonstrare et intelligere non possent, qualiacumque dubia moverent, eaque quamvis disertissime suadentibus Ratione et conscientia, plane negare auderent.

Eodem modo, cum intimam et indivisam sui ipsius quisque habeat conscientiam, omnes illas Animi actiones ad unum principium, simplex et individuum, redigit. Id quo res externas sensuum ope percipimus unum idemque esse atque id, quod harum rerum imagines interno sensu sibi repraesentat, certissime persuasum sibi habet. Etenim eas, quas nos nobis repraesentamus, imagines rebus extrinsecus exsistentibus, quas antea sensibus externis percepimus, revera respondere sibi conscius est. Sic etiam quod in nobis agit, nihil differre sentit ab eo; quod imagines, quas illa nobis repraesentat, conjungit atque notiones et ideas inde format. Est enim sibi conscius notiones illas et ideas ex rebus, variis temporibus variisque in locis seorsum perceptis, componi. Illud porro, quod judicat et concludit ab eo, quod vult, appetit et aversatur, non diversum esse agnoscit. Id enim quod cogitat et judicat, non velle, antequam, quae velit, sibi innotuerint eaque dijudicaverit, bene sibi conscius est (2). Hac igitur ratione omnium, quae Animo tribuuntur, actionum et facultatum unum constituit principium, idque simplex et individuum. Unum esse, non plures, intimo sensu se quisque percipit. Individuae et simplicis cujusdam naturae sibi conscius est, in quam multiplices illae perceptiones, notiones et ideae concurrant, et ex qua omnis actio sentiendi, cognoscendi et appetendi originem ducat. Haec etiam omnia tamquam praedicata, quae saepius varient continuasque subeant mutationes, ad Animum tamquam subjectum, quod semper idem se ipsum conservet, refert. Quid mirum igitur, quod maxima cum fiducia hoc sibi persuadeat, Animum suum, ut a corpore secretum, ita quoque substantiam esse simplicem et individuam?

---

(1) Cf. Anonymus: Verhandeling over de onstoffelijkheid en onsterfelijkheid der menschelijke ziel, inserta operibus Societ. Theol. Teylerianae Parte X. pag. 125 sqq.

(2) Cf. Ph. C. Hartmann. Des menschen geest in betrekking tot zijn ligchaam. Afd. I. pag. 13 sqq.

Quaecumque denique agamus, actionum nostrarum bene nobis sumus conscii. Simul vero etiam hoc intimae nostrae conscientiae effatum est, non pedes, non manus, non linguam ipsam agere, sed in nobis principium aliquid percipimus, quod harum actionum sit causa, atque ipsum libere agens corpori ejusque partibus imperet, ita ut ad illius arbitrium et nutum moveantur pedes, manus, lingua, vel in otium veniant. Praeterea cum immediata perceptione nobis conscii simus, ipsos nos cogitare, judicare, velle, cet. nostrum Ego ita nobis cogitamus, ut *a se* exsistat. Intimo enim nostro sensui et conscientiae adversamur, si aliud quoddam quam ipsum illud, quod nobis inest, principium, cogitare et velle, contendere sustineamus. Animum igitur nostrum nobis cogitamus tamquam substantiam, libere agentem, eamque unam et in plures substantias resolvi nesciam. Ejusmodi autem naturam, quippe quam cogitandi et agendi libertate praeditam sciamus, personam esse certissime nobis persuasum habemus; ita quidem, ut post mortem corporis, quemadmodum volunt Idealistae et Mystici, non profluat Animus veluti aquae gutta in Oceanum, sed tamquam persona exsistere pergat.

Jam vero, quanta sunt, quae his addere possemus (1). Nam ut omittamus quae contra dubitationes eorum, qui Animum statuunt corporeum, in medium sunt prolata; pleraque etiam argumenta, quibus pro incorporea Animi natura alii philosophi disputarunt, disertis conscientiae effatis magnopere augentur et confirmantur. Hae nimirum argumentationes, quamvis demonstrationis Mathematicae evidentiam non habeant, tanti sunt ponderis tantamque habent probabilitatem, ut, si ad Rationis auctoritatem ejusque fidem confugiatur, hac in re nihil aliud videatur esse credendum, quam id, Animum esse naturam simplicem, a corpore secretam et esse personam. Longum tamen visum est, haec omnia repetere, et quia parte superiori uberius exposita sunt, hic possunt abesse. Hoc unum, quo magnopere confirmari videtur fides omnium fere hominum communis, adjicere liceat hujusque responsionis constituat finem.

§. 3.

---

(1) Leg. T. W. Jerusalem Betrachtungen über die vornehmste Wahrheiten der Religion VIste Betr.; H. S. Reimarus in libr. laud. Abhand. VI.

§. 5.

Praecedentium confirmatio ex sensus interni phaenomenis.

Valde igitur fides illa rationalis confirmari videtur, si attendamus ad sensus interni phaenomena. Nimirum immediate haec nobis data sunt et in ipsa conscientia sui ad maximum evehi possunt evidentiae gradum. Contra, sensus externi phaenomena non immediate nobis dantur, sed perceptione sensuali in conscientiam nostram perveniunt, adeoque ipsius percipiendi facultatis quasi modos efficiunt. Hujusmodi autem phaenomena spectare possumus tamquam id, quod in Arithmetica ex duobus numeris datis (a et x) multiplicando producitur (a . x), quorum alter (a) sit id, quod in phaenomenis ob perceptionem sensualem modos efficit, et alter (x) res qualiscunque objecta, quae extra nos in mundo sensibili exsistit, sed tum demum nobis apparet sive fit phaenomenon (a . x) quando, ubicumque possit, a sensuum organis (a) afficitur. Objici quidem hic potest, quod et verum est, illa etiam, quae nobis ipsa conscientia sive sensu interno appareant, ita esse consideranda. Interior scilicet nostra natura cum corporis organis arctissime conjuncta est, adeoque illius phaenomena propter organismum corporeum non nisi modi sunt habendi. Hac igitur ratione interni quoque sensus phaenomena sunt quasi numerus tertius ex duobus aliis productus; quorum alter (a) sit id quod in phaenomenis ob organismum corporeum efficit modos, alter (x) substantia illa simplex et pura, quae ab organis corporeis non pendet neque in hac vita nobis cognita est. At vero in sensu externo *a* magis compositum quid est, quippe quod constet cum ex perceptis rerum objectarum proprietatibus, tum ex eo, quod ipsa perceptio sensualis conferat. Hic igitur praeter Tempus et Spatium sensuum quoque organa adsunt; in sensu interno *a* nihil aliud est nisi functio Temporis. Quemadmodum autem Scepticus, quin phaenomena exsistant sensus externi, dubitare non potest, neque ut haec sibi demonstrentur, postulat; ita multo minus, quin interno sensu phaenomena exsistant, dubitare debet, quippe quae in ipsa nostri ipsorum conscientia immediate nobis dantur. Jam vero si ad haecce sensus interni phaenomena, ut ad ea, quae externo sensu nobis apparent, fieri solet, adhibeamus quatuor Kantii Categorias; alter fieri non potest, quin quae de Animi natura exinde colligere liceat, rationis fidem quam maxime confirment (1).

Quod ad Quantitatis Categoriam, qua exponitur Unitas, Pluritas vel Omnitudo, pertinet, id quod nostrum Ego vocamus, omnino unum et individuum nobis apparet. Non enim est quantum aut extensum in Spatio, ideoque dicere: Ego longum, latum, crassum, absurdum est. In Tempore vero sive successive extensum est, non tamen ita ut sit dividuum, sed continuatio atque permansio unius ejusdemque conscientiae sui. Illud Ego nobis apparet non modo ut *subjectum* atque individuum, verum etiam, cum actio cogitari nequeat sine eo quod agat, tamquam *Objectum* agens, quod ipsum individuum omnes atque singulas mentis actiones efficiat.

---

(1) De his cf. J. Kinker Vir Cl. Brieven over het Natuurregt pag. 227, 230, 234, 248 seqq.; quae quamvis minus ex vera philosophiae Kantianae indole scripta esse ostendere studuerit J. J. le Roy, vir venerandus in: Bescheidene bedenkingen, briefswijze voorgedragen aan den Hoogleeraar Mr. J. Kinker inprimis pag. 10 et 16 sqq.; tamen ad hujusce de Animi natura sententiae probabilitatem permultum facere videntur.

Si porro Qualitatis Categoriam, qua exponuntur Positio, Negatio vel Limitatio, ad Animi actiones adhibeamus, omnes facultates sentiendi, cognoscendi, appetendi, quae ejus qualitates efficiunt, minime nobis apparent ut passivae rerum externarum impulsiones. Neque his Positionis seu exsistentiae notio immediate convenit, neque nobis apparent ut objecta. Sed sensu interno apparent nobis ut actiones arbitrariae, quarum auctor sit natura quaedam libere agens.

Relationis Categoria, qua exponuntur notiones nativae, substantiae et attributorum, causae et effectus, actionis et reactionis, nostrum Ego nobis apparet ut subjectum, quod spontaneas exserit actiones sive substantia; apparet etiam ut omnium Animi actionum causa libera, cui si tribuamus cogitationem et voluntatem, exsistit notio personae.

Illas igitur ut et Modalitatis Categorias, (quamvis hujus notiones in nostra causa minoris sunt momenti,) ad diversa sensus interni phaenomena adhibentes, facile eo impellimur, ut ex auctoritate Rationis ejusque fide nixi hoc teneamus, nobis inesse naturam a corpore secretam, simplicem et personam. Haec sane statuemus, si Rationi convenienter judicare et credere velimus. Quae si quis ideo rejiciat, quoniam certo certius demonstrari nequeant, periculum est, ne quamvis mente et Ratione praeditus desipiat.

SYMBOLUM.

In Animi cognitione dubitare non possumus,
quin nihil sit Animis admixtum, nihil
concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex.

CICERO.

DANIELIS TIEBOEL SIEGENBEEK,

LUGDUNO-BATAVI;

LITT. HUM. ET JUR. UTR. IN ACADEMIA LUGD. BAT. CANDIDATI,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM, A NOBILISSIMA FACULTATE JURIDICA IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA A. MDCCCXXVII PROPOSITAM:

Quid Jure Criminali, cum philosophico, tum hodierno Belgico, praecipitur de puniendis factis lege civitatis poenali vetitis, sed extra territorium ejus commissis?

PRAEMIO ORNATA D. VIII MENSIS FEBRUARII
A. MDCCCXXVIII.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM JURIDICAM.

INTRODUCTIO.

Nulla profecto est Jurisprudentiae pars, quae tantopere, nostris inprimis diebus, doctorum virorum ingenia exercuit, quam ea, quae Jus spectat Criminale. Quod si enim attentius consideret quis varia eaque egregia scripta, quae in Germania praecipue de hac disciplina prodierunt, haud immerito dicat, eam recentiori aetate natam quodammodo atque educatam videri. Nec mirum. Nonne plurima Juris Criminalis capita plenius sunt illustrata, nonne multae opiniones, quae prius incertae, atque vagae fluctuarent quasi, jam nunc firmis ac stabilibus innituntur principiis? Quidni igitur hac de re sortem nostram felicissimam praedicemus, cum haec sane disciplina, si quae alia, summam in civitatem exerceat vim atque utilitatem? Quod ne cui audacius dictum videatur, reputet tantum, illa plurimas fere actiones hominum regi. Illius tutelae atque providentiae omnium omnino jura commissa sunt; illa saepius de hominum fama atque bonis, quin etiam de ipsa vita decernit. Si unquam igitur, hic praesertim prudentia summa, atque sapientia opus esse nemo negabit.

Ne quis tamen eo ducatur, ut existimet, Juris Criminalis disciplinam omnibus numeris esse absolutam. Multum sane abest. Repugnat enim cum humanae naturae ratio, tum ea, quae simul cum praeclarissimorum virorum opera laboribusque exstitit, sententiarum discrepantia. Quod enim universe dicitur, quantus sit hominum, eundem etiam esse sententiarum, sibi invicem repugnantium, numerum, haud incongrue de Juris Criminalis interpretibus recentioribus atque praecipuis affirmari possit. Ita, v. g. in ipso disciplinae limine tam parum de vero poenarum fine conveniunt, atque tantopere in diversa abeunt, ut, singula inspiciens, dubius haereas, neque, quo te vertas, scias. Quapropter nihil utilius atque fructuosius ad pleniorem rei cognitionem, quam si singulae partes diligentius inspiciantur, atque examinentur. Ita aliquando fiet, ut veritas, dissensionum tenebris involuta quodammodo atque obtecta, in lucem protrahatur. Quae cum ita esse existimarem, gratissimum accidit animadvertere, idem sensisse nobilissimum Jureconsultorum in Academia Lugduno-Batava Ordinem, dum in certamine literario explicandum proponeret, *quid Jure Criminali, cum philosophico, tum hodierno Belgico, praecipiatur de puniendis factis lege civitatis poenali vetitis, atque extra ejus territorium commissis.* Alacriter hanc opportunitatem arripui, ut gravissimam quaestionem paulo fusius inquirerem, non tam praemii obtinendi spe, quam propriae utilitatis persuasione ductus. Nimirum, ut verissime dixit CICERO *de natura Deorum, I. 4.* « Omnes argumenti alicujus partes atque omnia « ejus membra tum facillime noscuntur, cum totae quaestiones scribendo explican« tur." Quamobrem, ut mediocriter profecto, at quantum in me esset, Ordinis voluntati satisfacerem, constitui prius quaedam de origine et natura civitatis deque poenarum fine ac fundamento disserere, dein, quaestionis ductu, inquirere, quid jubeat Jus Criminale philosophicum de puniendis delictis, a civibus seu peregrinis contra leges civitatis, atque extra ejus territorium commissis; tertio denique loco indicare, quid ea de re jure Gallico fuerit constitutum.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

GENERALIORA QUAEDAM CONTINENS.

Nihil profecto in omni quaestionis alicujus explicatione magis est necessarium, quam ut cognoscantur ea, quibus nitatur, principia. Quomodo enim, quaeso, rite indicet quis, quatenus et qua ratione delicta, extra civitatem aliquam commissa, punienda sint, nisi prius, quid de ipso puniendi jure statuendum sit, constet? Quamobrem consilio nostro convenire videtur, generaliora quaedam de iis, quae huc inprimis spectant, praemittere, ita ut a civitatis origine et fine initium faciamus.

§. 1. *De civitatis origine et fine.*

Omnes homines liberos fecit natura, ita quidem, ut de actionibus suis pro lubitu disponere possint, neque alterius cujusdam voluntati obtemperare teneantur. Verum facile accideret, ut, dum singuli hanc libertatem exercerent, sese mutuo in actionibus suis impedirent, atque summa existeret jurium perturbatio. Hinc, ut quis ex libertate sua aliquam percipere possit utilitatem, ejusmodi esse debet, ut alterius libertate non tollatur; atque nascitur inde haecce communis quasi lex: libertatem tuam circumscribe notione aequalis libertatis aliorum tecum viventium hominum (1). Neque tamen ulla in statu extrasociali adest vis et auctoritas contra eos homines, qui, communem hancce legem negligentes, alterius libertatem infringant; nulla prorsus in ea est jurium securitas, nulla tranquillitas, quin imo recte vocatur status, justitia vacuus. Quomodo ergo homo officio suo fungetur, atque perfectioni suae studebit? Sine libertate enim nulla vera felicitas. Statum huncce naturalem relinquere cogitur, dum hac tantum ratione impedimenta, perfectioni suae objecta, superare potest, atque ea consequi, sine quibus ad illam pervenire non licet, securitatem volo et libertatem (2). Sed ubi nunc ab omnibus illis periculis tutus erit? Sine dubio in statu ci-

---

(1) Vid. consult. DE RANITZ *commentatio inserta Annal. Acad. Lugd. Bat.* anno 1818. et FEUERBACH *Anti-Hobbes* I. b. §. 13 et 14., qui hanc legem memorans subjungit; „dies ist das letzte gesetz der gerechtigkeit, die „grundbedingung der behauptung unserer vernunftigen natur in der welt der erscheinungen."

(2) Hac ratione officium hominis statum naturae relinquendi indicatur a juris publici scriptoribus; vid. DE RANITZ l. l. p. 6. aliique ibi laudati.

civili; nam cum singuli jura sua defendere nequeant, quid melius atque magis congruum, quam ut sese conjungant, societatem ineant, atque sibi invicem auxilium praestent? Singulorum enim vires, hoc modo in unum collatae, potestatem efficiunt aliis longe superiorem, quaeque facile aliorum insidiis obsistere possit. Non dubito igitur jurium securitatem, eorumque contra omnem omnino injuriam, undecunque imminentem, defensionem civitatis finem dicere.

Sunt quidem nonnulli, qui in felicitate aut salute promovenda civitatis praecipuum saltem finem collocant; verum minus accurate. Hoc si admittatur, maxima saepe in civitatem redundare possent incommoda. Etenim accideret sic, ut civitas per omnia ecclesiae esset subjecta. Quid enim est terrestris illa felicitas, quam praeberet civitas, si comparetur cum aeterna felicitate, cujus causa instituta est ecclesia? Neque tamen corruunt ita omnia, quae ad promovendam felicitatem instituta sunt, quippe quae facili negotio ex eo, quem statuimus, civitatis fine derivari possunt. Alii rursus civitatis finem in augenda promovendaque perfectione ponunt. Verum quomodo civitas homines directe perfectiores reddet, cum neque ingenii cultus, neque vera morum emendatio externa vi et coactione promoveri, nedum absolvi possit, sed utraque a libero pendeat usu earum, quibus praediti sumus, ingenii rationisque facultatum? Negandum non est, perfectionem remotum quodammodo efficere civitatis finem, atque ex proprio fine per consequentiam exspectari posse. Cum autem necesse sit, ut proximus ille finis talis sit, quem civitas assequi possit ac debeat, quemque civitatem assequi omnium intersit, quis non videt, eum optime in jurium tutela ac securitate poni (1)? Nemo sane est in civitate, quin jura sua salva atque integra esse cupiat, quin haec ei a civitate praestari posse credat. Ne quis autem dicat, societatem civilem in angustiorem redigi naturae locum. Cogitet tantum, sublata jurium securitate, sanctissima quaeque in civitate labefactari, omnium bonorum, quin etiam ipsius vitae tolli integritatem.

---

(1) Singula auctorum nomina, qui nobiscum faciunt, aut contrariam defendunt sententiam, citare supervacaneum duxi, praesertim quum haec tantum scribantur, ut, quid mihi probabilius videatur, indicem. Caeterum conferri possunt ea, quae habet consult. HOMAN, *in dissert. de delictis peregrinorum eaque puniendi ratione*, *Groningae* 1823. *pag.* 14. Tenendum autem, hic non attendi illud, quod singuli homines forsan per initam civitatem voluerint. Vid. clariss. GROS, *Lehrbuch der philosophischen rechts-wissenschaft*. §. 290. „Der Zweck des Staats, als einer „aüsserem vereins, ist das jenige, was alle im Staat durch unt mit ein ander zu erreichen suchen künnen, nicht „aber das jenige was jeder einzelne für sich vermittelik des Staatszweks zu erreichen sucht;" et doctiss. LENTZ, *Dissert. de forma consociationis civilis*, *Groningae* 1818. *pag.* 26. „Tenendum est, inquit hic, universalem non „quidem haberi posse finem, qui cum eo pugnat, quem homines universe sibi possunt ac debent proponere, sed „simul tenendum est, non omnem, quem singuli sibi recte proponunt finem, ideo civitatis finem esse posse. Scilicet „in fine civitatis requiritur, ut tale quid sit, quod entia intelligentia et rationalia velle potuerunt ut civitatis sit." Forsitan igitur huc sunt referendae eorum opiniones, qui putant aut hominis naturam, qua ad vitam socialem impellitur, aut defensionis necessitatem atque injuriae metum, quo debiliores sese validioribus volentes adjunxerunt, civitatis ineundae causam fuisse.

Vidimus jam, qualis nobis dicendus sit civitatis finis, atque quam ob rem homines in civitatem coëant. Verum undenam hoc civitatis jus originem coepit? Nobis quidem non dubium videtur, quin ex pacto sit derivandum. Singuli civitatis socii sibi invicem promittunt, se jura sua salva praestituros, singuli aliquam quasi libertatis suae partem remittunt publicae utilitatis gratia. Omnis nimirum hominum conditio, qua jura eorum vel augentur, vel diminuuntur, intelligi nequit sine accedente consensu, sive is expresse declaretur, sive ex rebus ipsis et factis, vel non factis efficiatur (1). Quidquid igitur dicant alii, qui sive ex obscuro universi organismo, vel ex ipsa hominis indole, aut indelebili naturae lege, ut potentior imperet, pareat debilior, civitatem derivare volunt, non attendunt juridicum ejus fundamentum, in pactis positum. Neque pactum illud merum est figmentum. Ubi plures personae constanter eas suscipiunt actiones, quae communem quemdam spectant finem, quasque suscepturi non fuissent, nisi alter alterum, communis illius finis assequendi gratia, secum conjungere voluisset, adest pactum, adest eo pacto innixa societas. Neque facta hic sunt vetustate quasi obliterata; ipsi ejusmodi pactum contraximus, atque quotidie contrahimus. Singuli cives jurium suorum tutelam a civitate exigunt; vicissim civitas ab unoquoque obedientiam postulat. Quid autem est, quod pacti naturam efficit? Nec verba sane, nec scriptura, sed ipsa ejus, quod in conventionem venit, praestatio, praestationis ab altera parte faciendae gratia facta (2).

Neque his omnis omnino civitatis notio absolvitur. Primum enim postulat ejus natura, ut aliquem terrae tractum sibi habeat subjectum. Quum enim societas ad arcendas universe jurium laesiones sit composita, requiritur, ut quae ad hanc defensionem praestandam sint necessaria, sibi comparare possit. Quomodo autem, si per varias ac dissitas regiones dispersi viverent cives, conjunctis viribus sese contra pericula, ab aliorum improbitate ac naturae vi imminentia, tuerentur? Insuper debet locus ille, quem incolunt, iis proprius eorumque dominio subjectus esse. « Territorii no-

---

(1) Est haec plurimorum etiam doctrina, quos omnes laudat DE RANITZ. Lubet afferre ea, quae hac de re monuit vir clariss. KLUITIUS. „ Wij menschen, wij zijn allen in den natuurstaat elkander volkomen gelijk, gelijk in „ vermogens, gelijk in regten. Aan niemands wil en oppermagt, dan die der Godheid en der gezonde rede, onderworpen, kennen, noch erkennen wij eenige wetten, door anderen gemaakt, en kunnen van niemand tot iets „ verpligt worden, dan waartoe wij zelf onze toestemming gaven. Kan het gezond verstand immer deze waarheid „ wraken, of in twijfel trekken?" Vid. ejus Oratio *over het misbruik van het Algemeen Staatsregt*, *pag.* 4.

(2) Non prorsus necessarium videtur de pacti illius divisione agere. Sufficiat eam indicavisse. *Pactum unionis* efficitur communi omnium voluntate jura singulorum et universorum tuendi; *pactum subjectionis* est communis ille consensus, quo cuidam personae morali seu physicae jns tribuitur subsidia ad propositum finem assequendum eligendi atque adhibendi.

« notionem, inquit **HOMANNUS** l. l. p. 6. civitatis notioni sua natura inesse patet, « si cogitemus, homines, societatem civilem ineuntes, hoc velle debere, ut juribus suis « tuto possint frui, cum hac autem voluntate illam arctissimo vinculo cohaerere, ut « rerum, quibus ad vitam sustentandam egent, usus sit securus ac tranquillus. Hunc « autem sine territorio difficillime posse haberi, unusquisque perspiciat necesse est, « qui sibi fingat ejusmodi vivendi rationem, qua tota gens, certam ac stabilem sedem « non habens, huc illuc erronea circumvagetur."

Singuli igitur fundi, a sociis possessi, constituunt illud, quod dicitur, territorium civitatis, sive sedem illius personae mysticae, quae ex pacto de societate ineunda originem cepit. Cives, licet eorum privatum habeant dominium, de iis disponere nequeunt ita, ut cessent ad territorium pertinere. Quaeritur hoc loco a nonnullis, utrum tantum fundorum domini pactum illud, de quo diximus, contrahere possint, numque soli hi veri nominis cives sint dicendi; quae est doctrina **SCHMALTZII**, *Naturliches Staatsrecht* §. 47. quam ob rem caeteros tantum accolas vocat, iisque nullam circa civitatis negotia auctoritatem concedit. Verum, licet admittamus, societatem esse non posse sine territorio, non sequitur hinc civem esse non posse, nisi qui territorii partem quandam conferat. Exemplo sit societas mercatoria. Nonne ita potest iniri, ut aliquis merces quidem nullas praestet, sed solam industriam fidemque? Nihil igitur aliud ea probant, nisi civitatem juste formari non posse, si non sint inter contrahentes quidam, qui fundos possideant, unde ejus territorium coalescat (1).

Videri possent haec de civitatis origine ac fine dicta sufficere, nisi quiddam justae civitatis notioni deësset. Etenim, licet vel maxime conjunctis viribus conspiravissent nonnulli, ut in communi territorio jurium sibi invicem praestarent securitatem, numquam illud possent attingere, nisi potestas esset moderatrix, sive persona quaedam physica aut moralis, quae, quid ad civitatis finem obtinendum fieri debeat, definiat. Singulos autem cives de mediis adhibendis judicare difficillime posse satis docet ea, quam quotidie observare licet, judiciorum diversitas. Pertinet huc, ut in superioribus vidimus, pactum alterum subjectionis. Definiri solet illa potestas, vel imperium jus communem civitatis voluntatem exprimendi et exsequendi. Persona, quae jus illud exercet, est summus imperans, isque majestatem habet, id est jus exigendi, ut summam illam dignitatem in eo omnes agnoscant (2).

§. 2.

---

(1) Vid. **HEYDENREICH** *Grundsätze des naturl. Staatsrechts* 1. *pag.* 10. qui contra Schmaltzium contendit, pactum unionis ab unoquoque, qui contrahere atque ad civitatis finem aliquid conferre valeat, iniri posse.

(2) Vid. **BAUER** *Naturrecht*, §. 219. Caeterum memoranda hic ea civitatis definitio, quam dedit **HOMAN** *l. l. p.* 2. cui audit societas sive consociatio hominum in una regione degentium, ideo inita, ut jus sit tutum omnium ac singulorum sub imperio et lege; quaeque definitio, ut mihi quidem videtur, satis bene congruit cum iis, quae de civitatis notione diximus.

§. 2. *De fine poenarum.*

Apparuit civitatis finem in tuendis omnium juribus positum esse; at quaeri haud incommode posset, quibus mediis ad eum obtinendum utatur. Sunt illa varii generis. Primo loco huc pertinent leviora persuasionis momenta, in promovenda morum emendatione ingeniique cultura sita. Haec cum minus jam valeant, commode severiora adhibentur cogendi praesidia; coactio, verbi causa, physica, qua vel arceatur futura laesio, aut commissa reparetur. Ad futuras laesiones quod attinet, plurima adsunt praesidia, quibus prohibetur, quominus injuria in exitum deducatur aut effectum sortiatur. Docent hoc omnium ferme populorum leges. Exemplo sit illa Atheniensium consuetudo, ut quodcumque praedium hypotheca esset oneratum lapidem haberet praefixum, cui incisa esset oneris illius quantitas. Neque aliud spectant illae leges, quibus negotia a furiosis, mente captis aut impuberibus gesta, nulla declarantur, nisi ut facilis eos circumveniendi intercipiatur occasio. Ad commissas autem injurias pertinet inprimis damni illati reparatio.

Verum unusquisque facile intelligit, multas actiones ita esse comparatas, ut quae huc usque enumeravimus, praesidia et cogendi momenta non sufficiant. Nimirum, ut futurae laesiones recte praevideantur, aut praevisae arceantur, saepe remedium ea laesione multo gravius requiritur; commissae autem nonnumquam ita sunt compositae, ut nulla ratione reparari possint. Quis v. gr. hominem injustissime necatum in vitam revocare, quis foedas corporis mutilationes infectas reddere poterit (1)? Sequitur hinc quod, si propositum sibi finem attingere velit civitas, alia comparanda sit cogendi via, quae ipsam quidem praecedat laesionem, ac singulis in causis vim suam exerceat, licet nulla certae cujusdam laesionis jam imminentis ratio habeatur, quod optime sane poenarum comminatione efficitur (2).

Cum autem, quae nunc dicenda sunt de poenarum fine ac fundamento, arctissime cum argumento, quod in sequentibus exponemus, conjuncta sint, paulo fusius de iis agemus ac ostendemus:

---

(1) Vid. KOLSCHUTTER, *Vorlesung über den Begrif der Rechtswissenschaften L. III. pag.* 162.

(2) Praeclare, ut mihi videtur, omne hoc civitatis officium exposuit vir in Jure Criminali facile princeps FEUERBACHIUS, *Revision der Grundsätze und Grundbegriffe des positiven peinlichen Rechts*, *pag.* 41 *ad* 43. Omnes actiones illicitae inde oriuntur, quod homines sive nesciant, quid justum injustumve sit, sive naturali propensione ad illas perficiendas ducantur. Nimirum, ubi ad juris violationem non incitantur homines, nulla etiam adesse potest juris violatio. Hinc primo civitati illud incumbit, ut efficiat, ne ad injuriam stimulentur cives. Huc quum non valeat coactio, usu veniunt ingenii cultura, facilis populo redditus legum intellectus, morum emendatio, religionis cultus, alia. Verum haec, licet summa adhibeantur prudentia, non tantum sunt valitura, ut malum penitus tollant. Secundo igitur curet civitas, ut qui consilia agitet legibus contraria, psychologice prohibeatur, quominus ea ad exitum perducat. Conff. porro viri clariss. H. COCK *Commentatio* inserta *annalibus Acad. Groninganae* 1817—1818. *pag.* 20. quem in omni hac de poenarum fine et fundamento doctrina exponenda praecipue auctorem sequor.

1°. Quae nobis videatur poenae civilis notio, et quomodo a reliquis cogendi praesidiis differat.

2°. Qualis nobis videatur poenarum finis atque fundamentum.

Si quaeramus, quaenam poenae civilis nomini subsit notio, prius videndum, quid poena in genere sumta intelligatur (1), quum speciei definitio, nisi cognita generis significatione, intelligi vix possit.

Constat, diu antequam de illarum jure fuerit disputatum, poenas adfuisse, ita ut sermonis usum optimum ducem sequi possimus, non quidem ut disquiramus, utrum poena justa sit, verum qualis sit ejus notio. Quodsi igitur hac ratione progrediamur, inveniemus poenam esse malum, quod, propter actiones legi contrarias, atque ob eas tantum, aliquis patitur, sive, ut ait Grotius, *malum passionis ob malum actionis.* Illud, propter quod punitur, est actio commissa, proxima, propter quam punitur, causa est antecedens legis violatio (2). Nequaquam igitur hoc vocabulo indicatur malum, quo quis ideo tantum afficitur, ut ipse vel alius in posterum quid omittat aut agat.

Lubet rem illustrare exemplo. In vita quotidiana, communi sermonis usu, saepius mentionem facimus poenarum naturalium. Quid, num et illae futurum spectant, atque providae tantum sunt naturae cautiones? Num, si quem videmus voluptatibus et luxuria fractum et debilitatum, ad omnes vitae jucunditates hebetem jam et obtusum, corpusque morbidum ac funeri simile trahentem, eum in futurum tantum admoneri putamus, ne quid libidinose agat? Naturalem profecto libidinis poenam luere, meritamque ejus mercedem accipere, censemus omnes. Nonne porro eadem est ratio poenarum, quas in altera vita inflicturus est Deus? Nonne hanc vitam atque aeternam illam ita separamus, ut in illa mereatur quis, quod in hac obtineat, nimirum ut secundum ea, quae hic egerit, praemiis aut poenis afficiatur?

Verum, quo melius ea quae dixi vera esse appareant, consulamus eam, quam in loquendo atque judicando sequimur, consuetudinem. Fingamus aliquem a judicibus ad carceris poenam esse damnatum. An eum ideo poena dignum existimamus, quod futurae legis violationes ab eo aliisve metui possint? Nequaquam, solam spectamus actionem commissam (3). Poenis porro opponi solent praemia. Haec autem futura tantum spectare quis dixerit? Quid, grati Romani cum Ciceronem, quod patriam ab interitu, quem ei minitabatur nefarius Catilina, servaverat, patrem patriae nuncuparent, eumne tantum ad praeclara facinora incitare voluerunt? Quod igitur de praemiis, idem valet de poenis. Quemadmodum illa versantur in tribuendis commodis facto praeterito meritis, ita poenae justa commissi maleficii rependunt incommoda.

---

(1) Vid. FEUERBACH, *Revision*, *pag.* 2.

(2) Vid. FEUERBACH, *l. l. pag.* 5.

(3) Vid. FEUERBACH, *Revision pag.* 9. Die uebertretung des gesetzes ist allein schon hinreichend um ihn die strafe für würdig zu halten. Ihn ist sein recht geschehen, sagen wir von der mürder, an dem die gerechtigkeit ihr ambt verwaltet hat; und indem wir dies sagen, haben wir das gesetz im auge, das er wirklich uebertreten, die gerechtigkeit, die er durch seine begangene handlung beleidigt, und welche, wegen dieser beleidigung, genugthunung gefordert hat. Apparet hinc quid ex nostra opinione judicandum sit de eorum sententia, qui

Satis jam, ut spero, exposuimus poenam tantum ad praeterita pertinere, atque hinc facile apparet, quomodo a reliquis cogendi mediis, quibuscum nonnumquam confunditur, quaeque falso poenarum finis dicuntur, differat. Primo loco memoranda est castigatio, quae eo tendit, ut homo non tantum a malis abstineat, sed et justa facere discat. Negandum non est castigationem etiam requirere actionem praecedentem, verum haec non est causa, propter quam quis castigatur; indicat illa voluntatem legibus contrariam, quam comprimere atque corrigere necessarium esse animadvertimus. Fundamentum autem castigationis unice quaerendum in futuris actionibus, quas emendatione praevertere studemus. Hoc commodum nisi sperare liceret, nulla esset castigatione opus. Verum quis poenam injustam dixerit, quia persuasum est unicuique maleficum nequaquam emendatum iri? Vereor, ne haud pauci tunc dicendi essent injuste poenam subiisse (1).

Secundo loco poena diversa est a defensione, strictiori sensu sumta, quando aliquem impedio, quominus laesionem jam susceptam ad exitum perducat, atque a praeventione, quando alterum prohibeo, ne futuram laesionem suscipiat. Unusquisque

enim,

---

qui poenarum finem in eo ponunt, ut exemplo in maleficum edito caeteri ab actionibus lege vetitis absterreantur, quaeque Germanice dicitur *Abschreckungs-theorie.* Profitentur hanc *Filangieri*, *Beccaria*, *von Quistorp* citati a clariss. COCK *l. l. paq.* 9. n°. 2. Inprimis autem huic doctrinae obstat, quod hoc modo malefico tamquam re nostra utamur, dum sanguine suo aliorum delicta etiamnum incerta luere cogatur. Negari non potest in poenis infligendis quodammodo etiam eo respiciendum esse, ut caeteri absterreantur; verum numquam justus esse poterit poenarum finis. Conferri merentur, quae ea de re habet PUTTMANNUS, *Opusc. Crim. no.* 9. *pag.* 262 et 267. ubi, postquam contendit huc etiam respici posse, ita pergit. „Hoc ita intelligi volumus, ut poena ob exemplum aliis „praebendum haud augeatur, neque reo ideo dolor ullus inferatur aut cruciatus. Quid enim, si quando peccavi, ad „me pertinent aliorum peccata futura? Quare ego meo dolore aut incommodo impedire debeam, ne alii in posterum similem contrahant culpam, aut aliis malefactis reipublicae damnum dent?" Quod autem nonnulli, ut hocce systema tueantur, fingunt, hominem, qui actionibus suis justitiae adversatur legemque sensui postponit, hominis naturam exuere atque brutis similem fieri, quare eo, ut brutis animalibus, uti liceat, absurdissimum puto. Quasi, qui delictum commisit, ut comites Ulyssis Circes virga tacti, bruti naturam extemplo assumerent. Conf. FEUERBACH, *l. l. pag.* 92. ibique citatus STELZER, *Grundsätze des peinlichen Rechts, T. I. c. I.*

(1) Sunt tamen quidam, qui putant poenarum finem unice pertinere ad morum emendationem, qualis doctrina dicitur *die Theorie der moralische Besserung.* Verum, praeter ea quae diximus, observandum emendationem ponere boni moralis agnitionem ejusque continuam observantiam, quod nequaquam vi et poenis effici potest, sed a sola libertate debet proficisci. Conf. FEUERBACH, *Revis. p.* 13 et 14. et clar. COCK *l. l. pag.* 12. ubi tota haec quaestio fusius tractatur. Praeterea, quem meliorem reddere rectamque in viam reducere velis, eum carnifici necandum tradere, mira est emendandi ratio. TITTMAN, *Handbuch der Strafrechtwissenschaft, l.* 1. §. 53.

enim, credo, facile perspicit, dum aliquem stricto gladio in me irruentem praeverto, eumque ipse interficio, me poenam non infligere, verum vitam potius meam defendere. Neque minor de praeventione (quae dicitur) esse potest dubitatio. Primo enim tenendum poenae fundamentum, uti vidimus, positum esse in actione praeterita, secus ac hic, ubi laesionis futurae metus, ejusque avertendae cura causam mali continent. Accedit quod, ut verissime dixit Cicero, nec cui concedi sine summo periculo possit, ut eum jure possit occidere, a quo metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur (1).

Est igitur, ut, quae superius dicta sunt, verbo repetamus, poena civilis malum, quod propter actiones commissas, legi contrarias, alicui a civitate infligitur. Videamus nunc, quo consilio et quo jure illud fiat (2).

Ex iis, quae hucusque de diversa, quam sibi fingunt nonnulli, poenarum notione atque scopo disputavimus, apparet, ni fallor, quaestionem de vero earum fine esse gravissimam. Dicere autem non attinet, me hic tantum agere de proximo fine; ultimum enim in tuenda omnium securitate quaerendum esse omnes consentiunt.

Equidem, FEUERBACHII auctoritate motus, primo distinguendum arbitror inter poenarum constitutionem, et exsecutionem. Poenae ideo constituuntur, ut omnibus firmiter persuasum sit, maleficia excipi incommodis, commoda eorum longe superantibus, at-

---

(1) Miror, qui fieri potuerit, ut multi Juris Criminalis peritissimi hanc praeventionem poenarum finem dixerint; sunt illi *Wielandus*, *Kleinschrodtus*, *Grolmannus*, *Moserus*. Sententiam eorum multis refutavit FEUERBACHIUS, *Revis. c.* 2. Observandum autem verosimilitudinem injuriae a maleficis in posterum metuendae nequaquam idoneum praebere puniendi fundamentum. Etenim eodem redit, ac si jure quodam utamur, dum ignoramus, utrum re vera jus illud habeamus; quod sane absurdum esse, nemo non agnoscet. Tum si sibi constare velint hujus sententiae patroni, non ex commisso antea delicto tantum, verum aliunde etiam de futuris laesionibus gravis oriri suspicio potest. Jam igitur civitati concedendum ut, praeventionis jure, quemlibet civem suspectum verberet, cruciet, quin etiam vitam eis adimat? (FEUERBACH, *p.* 86 et 87). Denique ex hac doctrina et illud sequitur, vanas esse leges poenales. Quo enim inserviunt, nisi secundum eas sententiam ferre teneatur judex, quod hic, ubi ex imminentis periculi magnitudine poena sit definienda, locum habere nequit? Quis enim dixerit singulis criminum gradibus poenas esse adaptandas? „Nulla tanta, inquit QUINCTILIANUS, *Declam.* 331. potuit esse providentia eorum, qui leges com„ponebant, ut species criminum complecterentur. Nam et semper caventes nequitia vicisset, ac jus ita multiplex „ac diffusum esset, ut pro incerto haberetur ignotum." Perhibent quidem adversarii leges eo valere, ut normam judici proponant; verum tunc non tantum poena, sed plurima alia, causa, occasio, modus, tempus, essent addenda, ita ut potius librum scholasticum, quam legum codicem efficerent. Conf. porro OERSTED *über die Grundregeln der Strafgesetzgebung pag.* 79 *seqq.*

(2) Quae enim plura de discrimine poenam civilem inter et moralem dici possent, hic, quoniam a proposito nostro sunt aliena, omittemus. Plura ea de re habet clar. COCK, *l. l. pag.* 16—18. Conff. porro quae idem Vir Clariss. attulit ad refutandam cum eorum sententiam, qui poenarum finem in exaequatione mali cum vitiositate (*die moralische Vergeldungs-theorie*) ponunt, tum eorum, qui omne puniendi jus derivant ex imperativo cathegorico. Pertinent huc KANTIUS, GÖNNERUS alii. Neque etiam video, quomodo, ut recte ostendit vir clariss., talio admitti possit, atque quaenam tenenda sit in poenis definiendis mensura. Priorem sententiam e recentioribus tuitus est HENKIUS, *Lehrbuch der Strafrechtswissenschaft.*

atque ut ita physica coactione a delictis absterreantur; exsecutioni mandantur, ne legi poenam minanti desit auctoritas. Homines nimirum illud, quod legibus adversatur, ideo plerumque appetunt, quia alliciuntur voluptate, quam inde percipere sperant, aut taedio indigentiae non expletae, quod ejus sectationem comitatur. Hanc autem appetitionem ut tollat, civitati curandum est, ut sensibus sensus compescat, ac sensuum momentis aliorum subjiciat sensuum momenta. Homo enim certam sequitur voluptatem, quia universe ei insitum est voluptatem appetere, certum fugit dolorem, quia universe dolorem aspernari debet. Hinc saepius voluptates repudiat et dolores non recusat, ut aut rejiciendis voluptatibus majores alias consequatur, aut perferendis doloribus asperiores repellat (1). Taedium igitur non expletae cujusdam indigentiae hominem incitat quidem, ut molestiam illam depellat, indigentiaeque succurrat; sed major cum actione conjunctus dolor appetitionem in contrariam partem impellit, efficitque, ut propensio majoris illius doloris fugiendi, et actionis, quam comitatur, omittendae, facile praeponderet. Quoniam autem pluribus argumentis haec explicare locus non patitur, unum afferam exemplum, quo melius totam rem oculis quasi subjiciamus, etenim

« Segnius inritant animos demissa per aurem,
« Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus."

Poenas igitur ponderi comparemus, alio cum pondere in libra adpendendo (2). Maleficus modo criminis exemplo, modo sperata ejus utilitate, modo ira, vindictae studio, cupiditate, voluptate, molestia, aegritudine aliisque animi perturbationibus ad delinquendum commovetur. Haec omnia pondus efficiunt unius lancis, quam liceat hic malam appellare. His alia jam opponenda sunt pondera; ea quae continet lanx, bona nobis dicatur. Haec bona lanx raro apud quemquam omnino vacua est. In ea enim posita est misericordia, animi benignitas, generosa indoles, honoris sensus, bona educatio, naturalis aequitas, religio, ac sana denique et prudens ratio, quae multis in criminibus ostendit, quantopere praesens utilitas in posterum damnosa queat existere. Verum apud plerosque ponderum illorum unum alterumve deest in bona lance, quodque adeo in ea superest, utique impar est iis, quae in mala lance reperiuntur, cupiditatibus ac pravis animi libidinibus. Insuper ita natura comparati sumus homines, ut levissimae ad mala propensioni saepe multo plus tribuamus, quam gravissimis sanae rationis ponderibus, ut adeo lanci malae, per se jam paullo graviori, majorem demus jugi partem, atque in ea jacens pondo, quin floccus interdum (ubi v. gr. vehemenmentibus agitamur animi perturbationibus) longius ab axe remotus, praeponderet onus longe gravissimum. Cum igitur lanx mala gravior plerumque sit quam bona, huic quod deest ponderis, poena erit compensandum. Quod si feceris, nihil amplius erit, quod ad delinquendum invitet homines. Nulla enim voluptate proposita non magis ad delinquendum animus impellitur, quam libra, nullo pondere aut vi movente, in alteram inclinatur partem. Quodsi autem poenam paullo majorem feceris voluptate cum delicto conjuncta, eo minus erit metuendum, ne quis rem appetat, quae jam tota mala est, cum universum maleficii commodum poena jam compensetur, quin superetur etiam.

---

(1) Cicero *de Finibus I.* 70.

(2) Exemplum hoc legitur apud Michaelem *Mozaisch Recht, tom. II. pag.* 14. *seqq*

Ex hoc igitur exemplo facile intelligitur, poenarum constituendarum finem universe esse, ut a delictis homines deterreantur, indita iis persuasione, emolumentum ex delicto natum secuturam esse poenam, ejus utilitatem longe superantem. Verum, quo firmius unicuique persuasum illud sit, excogitanda ratio est, quae necessariam declarat utriusque conjunctionem. Nam eo nequaquam sufficit, quod saepius, quod vulgo puniantur maleficia. Hinc sequitur, requiri, ut lex ejusmodi poenam minetur: lex enim generalis est, ad omnes indistincte pertinet (1); neque dubium esse potest, quin tale jus civitati competat. Poenis enim minandis neminis libertati aliquid detrahitur, neminis jus minuitur, quin imo civitati, quippe juris tuendi gratia contractae, ejusmodi officium incumbere, affirmare non dubito (2).

Sola poenarum comminatione, ut supra vidimus, non omne hoc absolvitur negotium. Nimirum si illud efficere velis, ut in officio contineantur homines, non sufficit poenam lege scriptam, atque cum actione illicita conjunctam esse; sed re et factis illud patere debet. Requiritur, ut ipsa poena, ubi maleficium, a quo veluti conditione pendet, locum habuerit, infligatur, atque conspiret ita exsecutiva, quae dicitur, et legislatoria potestas; quapropter praeclare LEIBNITIUS, *Theodicée I. 623.* « ubi « sapiens legislator minatus est, ad constantiam ejus pertinet actionem non relinquere « impunitam, etiamsi poena nemini ultro corrigendo utilis foret, quamvis sapiens nihil, nisi quod convenit, promittat" (3, 4).

Hic

---

(1) Vid. quae ea de re habet FEUERBACH, *Revis. pag.* 42.

(2) Quo magis haec, quae diximus, confirmentur, auctoritatem afferam clariss. COCK, *l. l. pag.* 25. „Ut „igitur paucis orationem contrahamus, inquit, summa disceptationis eo redit. Leges, poenam minantes, ideo sanciuntur, ut firmiter sibi persuasum habeant omnes, maleficia excipi incommodis, commoda eorum superantibus, „atque ita criminum illecebris non capiantur, sed potius a delictis sese abstineant, seu, quod eodem redit, finis „poenarum constituendarum in eo positus est, ut coactu psychologico omnes a delictis refrenentur." Quod ad poenas igitur constituendas, verum est SENECAE effatum *de Clementia c.* 16. „nemo prudens punit, quia peccatum „est, sed ne peccetur. Revocari enim praeterita non possunt, futura prohibentur."

(3) Conf. FEUERBACH, *Revis. pag.* 50, 51. et 143 — 145. et SERVIN *de la legislation criminelle, pag.* 40.

(4) Cum jam diutius, quam par est, in explicanda omni hacce quaestione fuerim commoratus, consulto indicare

prae-

Hic autem gravior existit dubitatio, utrum civitati tale jus poenarum exsequendarum, quippe quibus alterius libertas revera imminuitur, competat. Mihi affirmando videtur respondendum, licet, qua ratione judiciale fundamentum adesse probari debeat, paullo difficilius mihi videatur. FEUERBACHIUS sequenti utitur ratiocinatione. Quicumque jus habet exigendi, ut alter actionem quamdam plane omittat, ei etiam competit jus, actionem illam quibuslibet conditionibus adstringendi, i. e. certa quaedam definiendi, sine quibus actio illa edi nequeat. Sic v. gr. jure a quovis exigere possum, ne domum meam intret, adeoque et certas ponere regulas, certas conditiones, quibus haud observatis, id fieri non possit. Eadem ratione civitati competit jus actionibus consilio suo contrariis certa incommoda, conditionum instar, adjungendi, eoque jure utitur civitas, ubi delictis poenas constituit. Consensus autem in id, quod conditioni adstrictum est, complectitur consensum in ipsam conditionem. Si alter jus habet, actionem ejusmodi conditioni adstringendi, aut conditioni me submittam, aut actionem omittam, necesse est. His autem ad civitatem applicatis, maleficus perpetrando delicto civitati jus tribuit, poenam illi delicto scriptam exsequendi. Ita delicti perpetratio justum poenae exsequendae fundamentum continet (1). Haec FEUERBACHIUS. Nonnullis tamen tacitus ille, at ut credo, necessarius, adeoque verus maleficorum in poenam consensus cum minus placeat, aliam eamque non longe remotam ingrediantur viam, atque ita argumentantur. Civitatis in eo situs est finis, ut omnem universe avertat injuriam, qui cum licitus justusque finis sit, non solum potest, verum debet etiam ea sibi adsciscere praesidia, quibus omnis avertatur injuria. Hunc in finem, uti supra vidimus, poenas constituit in maleficos, earum vero constitutio, nisi cum exsecutione conjungatur, cum irrita vanaque tota sit, quae quidem poenarum constituendarum, eadem et exsequendarum civitati facultas est, quin et adeo necessitas (2). Apparet secundum hanc doctrinam idem esse constitutionis et exsecutionis fundamentum, positum nimirum in jure civitatis finem sibi propositum assequendi.

Negari non potest argumenta haecce convenire ei, quam sequimur Juris Criminalis, ut ajunt, theoriae. Licet autem FEUERBACHIANAM argumentationem haud impro-

---

praetermisi, quatenus finis poenarum constituendarum in emendando malefico, in eo antevertendo, aut in deterrendis omnibus sit positus. Partim autem ex iis, quae supra disputavi, confici potest, partim et quidem praecipue ex iis, quae habet FEUERBACH, *Revis.* 959 *seqq.* et clar. COCK, *l. l. pag.* 39. Tenendum praeterea, nos, ubi de poenarum exsecutione egimus, verum innuisse poenarum exsequendarum finem, non vero ea consilia, quae simul cum exsecutione conjungere potest civitas. Ita v. g., ut metus aliis injiciatur, poenae publice infligi possunt; ut emendentur malefici, ergastula ita debent institui, ut non amplius delictorum scholae atque officinae sint.

(1) Vid. FEUERBACH, *Revis. p.* 53 *seqq.*

(2) Vid. SALCHOLD, *Darstellung der Lehre von Strafen und Verbrechen pag.* 18.

probandam esse censeam, nescio tamen, utrum non recte adjici, atque admitti possit sequens sententia. Quicumque laedit alterum, ad laesionis reparationem praestandam obligatus est. Reparationis autem illius qualitatem et quantitatem non nisi a solo laeso definiri posse constat. Jam vero, cum omni juris violatione laedatur civitas, quippe cujus finis in jure tuendo est positus, ex delicto civitati nascitur jus ejusmodi reparationem exigendi ejusque naturam et indolem definiendi. Quodsi autem consummati delicti reparationem eam definire definitamque licet exigere, quid, quaeso, vetet, quominus antea definita pariter post delictum exigatur? Neque est quod ita poenarum constitutionem non amplius eo referri dicamus, ut a delictis universe deterreantur omnes, verum, ut reparatio, quae sit ab hoc illove praestanda, cognoscatur. Quid enim opus est, ut ea, quibus omnes a delictis absterreat, momenta propria, civitas de novo comparet, solique juri finem sibi propositum exsequendi superstruat? Quidni antiquioribus aliis utatur juribus aliunde sibi competentibus, atque eum in finem ita temperatis, ut gravissimo illo juris tuendi praesidio in poenis posito, et ad omnes ab injuria refraenandos proxime comparato, alterum simul idque firmissimum subjiciat fundamentum, a naturali reparationis exigendae jure ductum? Neque est, quod jus illud in laesionis reparationem ita a proposito detorqueri videatur, cum ad alterum idque sanctissimum consilium simul directum multo firmius etiam muniatur; quin, quod alias difficile dictu est, cur non soleat civitas, etsi delicto laesa, laesionis illius reparationem exigere, sed in solis poenis subsistat irrogandis, id sponte jam patet. Nec magis est, quod poenas sic ad solam damni magnitudinem exigendas, ac in mulctis fere collocandas censeas. Etenim jus definiendi reparationem cum nemo nisi laesus habeat, ac, si quis alius haberet, posita tamen civitate in eam collatum censeri deberet, quid est, quod civitatem impediat, quominus ad aliam mensuram eam exigat, atque ita majores minoresve laesionum illecebras, majorem minoremve periculi metum respiciat? Etenim, si ne laesus quidem extra societatem civilem in definienda illius reparationis natura aliis ullis teneatur regulis, quam proprio animi judicio, quid, quaeso, civitatem, quae, delicto laesa, non solum naturalibus utitur laesi cujusvis juribus, verum etiam in eligendis consilii sibi propositi assequendi subsidiis, nullis tenetur, nisi pactorum fundamentalium regulis, hac quidem in parte ad certam aliquam mensurae normam adstrictam esse dicamus?

Verum hic capiti finem imponamus. Singulas de juridiciali poenarum exsequendarum fundamento sententias, quoad potui, diligenter exposui. Vereor autem, ne in justam inciderim vestram, Viri Clar., reprehensionem, dum diutius, quam par erat, iis, quae ad propositam quaestionem proxime non pertinerent, exponendis fuerim immoratus. At cum, ut jam initio monui, in colligenda hacce scriptiuncula, unice fere propriam spectaverim utilitatem, quaestionem illam illustrem sane, atque tanta sententiarum discrepantia agitatam paulo fusius exponendam duxi. Vitium autem hocce eo facilius, ut spero, ignoscetis, si reputaveritis juvenilem vobis offerri laborem, juvenumque illum esse morem, ut non tam quid dicant, sed quomodo dicant, ignorent.

CAPUT SECUNDUM.

QUID DE PUNIENDIS DELICTIS, LEGE CIVITATIS VETITIS, ATQUE EXTRA EJUS TERRITORIUM COMMISSIS, PRAECIPIAT JUS CRIMINALE PHILOSOPHICUM.

Inter eas Juris Criminalis partes, quae recentiore inprimis aetate praestantissimorum virorum ingenia exercuerunt, sine dubio locum sibi vindicat ea, quae de delictis peregre commissis agit. Neque mirum; pertinet enim illa ad quaestionem maximi momenti, de poenarum vi et natura, deque iis, quae requirantur, ut puniri quis possit. At forsan alicui in mentem veniet, minus videri utile atque necessarium ea de re, post egregios aliorum labores, disquirere. Sit ita, si sola spectetur, ut hoc utar, utilitas publica; si meam ipse reputaverim, vehementer nego. Nihil enim fructuosius arbitror, quam ejusmodi argumenta accuratius indagare atque exponere, de quibus singuli fere viri docti diversam profitentur opinionem. Has omnes enim comparando judicium eximie acuitur. Accedit praeterea, quod plurimi Juris Criminalis interpretes, ubi de delictis peregre commissis agerent, minus curaverint, quid juris principiis philosophicis juberetur, quam quid aut utilitas publica, aut rationes politicae suaderent. Interim vel ob ipsum auctorum numerum difficilis mihi videtur argumenti, quod hocce capite tractare aggredior, expositio. Optimum judico pauca de antiquioribus praemonere, dein, singulis sectionibus, de delictis civium et peregrinorum exponere, ita ut primo aliorum memorem sententias, easque, quoad fieri possit, refutem, dein meam qualemcunque subjungam opinionem.

Quodsi ea attendamus, quae multis abhinc annis de nostra quaestione conscripta sunt, facile cuiquam patebit verum esse, quod ab initio monui, hisce demum diebus, Juris Criminalis studium rite excoli coepisse. Antiqui scriptores, qui hunc locum, ubi de foro domicilii agebant, tractare solebant, licet contrarias saepe tuerentur sententias, non tam ratione et argumentis, quam legum constitutionibus atque JCtorum auctoritate decertabant. Hoc quam parum conveniat, ubi ex philosophia inprimis deducenda sunt probationis subsidia, unusquisque facile videt (1).

Provocabant plurimi ad *l. 1. Cod. ubi de Criminibus agi oporteat*, in qua refertur Rescriptum ab Imperatoribus Severo et Antonino Laurinae cuidam datum: « quaes-« tiones eorum criminum, quae legibus aut extra ordinem coërcentur, ubi commissa « vel inchoata sunt, vel ubi reperiuntur, qui rei esse perhibentur criminis, perfici « debere satis notum est.” Nonnulli ex hac lege probare voluerunt, in criminalibus forum competens esse etiam, ubi reus domicilium habet, et judicem ejus loci posse cognoscere de omnibus criminibus, a subdito suo ubicumque commissis (2). Adjiciebant alii *l. 3. et 13. ff. de officio Praesidis*, ubi dicitur, in mandatis principum esse, ut curet is, qui provinciae praeest, malis hominibus provinciam purgare, nec distingui, unde sint. Verum dubito, utrum haec Juris Romani loca ea de re agant, ad quam probandam iis utuntur interpretes. Nullum dubium est, quin judex illius loci, ubi comprehenditur delinquens, eum punire possit, propter crimen in alia eaque dissita territorii parte commissum; verum sermo est de criminibus extra territorium perpetratis, de quibus in dicta constitutione locutos esse Imperatores non affirmaverim. Loca autem Pandectarum nos docent, quemque provinciae Praesidem animadvertere potuisse in crimina in aliis provinciis admissa, nulla adhibita distinctione, unde sint malefici (3).

Legum igitur auctoritate nequaquam, ut nobis videtur, confirmatur haecce interpretum opinio. Videamus, utrum plus valeant allatae ab iis rationes. Existimant publicae interesse utilitatis, ut cives etiam extra territorium recte vivant, ut, ubicumque delinquant, a judice patrio puniri possint, atque cavendum esse, ne, si secus fiat, magna detur delinquendi opportunitas, cum quisque poenam maleficii, in aliam regionem transiens, effugere possit. Hinc dictum illud, *ubi te invenero, ibi te judico* (4). *Matthaeus*, licet agnoscat civitatem jus non habere in agro oppidove alieno terrendi, et adversus nos non peccasse, qui in alieno territorio deliquit, nihilominus tamen poenae inferendae potestatem judici domicilii concedit, si tantum non solum contra statuta et jus proprium alicujus territorii, sed contra jus divinum et gentium fuerit peccatum, quia quemvis judicem, in cujus manus reus inciderit, divinae legis atque communis salutis custodem et patronum esse decet (1). Neque affirmantium tantum, sed et negantium magnus est inter antiquos scriptores numerus. Eorum series legitur apud *Clarum* et *Matthaeum* (2). Hinc incertum, quaenam sententia communis dici possit, quin imo eo jam perventum, ut de sententia communi, aliaque magis communi sermo inter interpretes fuerit (3). At cum perspicuum sit, auctoritate rem minime confici posse, ad alia eaque graviora properemus.

---

(1) Ne putetis tamen me, quum legum Constitutionibus atque JCtorum Romanorum auctoritati hic non multum tribuendum existimem, aliqua ratione infringere velle Juris Romani celebritatem. Multum absit. Miror, si quis alius, summam, quae in Corpore Juris ubique elucet, prudentiam ac sapientiam, numquam satis praedicandam JCtorum in exponendo sagacitatem, in judicando acumen et solertiam, eximium denique, quo flagrant, honestatis decorique studium. Egregie sane *Facciolatus Orat. VII.* „Expedit omnes gentes Romanis legibus operam dare, „ suis vivere.”

(2) Ita WESENBECIUS, *Paratitlo ad tit. ff. de accusat. no.* 8. DONELLUS, *Comm. de Jure Civili, l.* 17. *c.* 16. *no.* 2. MATTHAEUS *de criminibus ad tit. ff. de damno injuria dato, tit.* 3. *no.* 6. et *tit. de accusat. c.* 5. *no.* 3. alii.

(3) Vid. hac de re doct. WENS, in Diss. inaug. *de delictis a civibus extra civitatem suam commissis, eorumque puniendorum ratione. Groningae* 1824.

(4) CLARUS. *Sentent. V. Quaest.* 39. *no.* 4.

SECTIO PRIMA.

DE PUNIENDIS DELICTIS, LEGE CIVITATIS VETITIS, ATQUE A CIVIBUS EXTRA CIVITATEM COMMISSIS.

Duplicem hoc loco usu venire quaestionem, pro diversa laesi persona, unusquisque facile perspicit. Fieri enim potest, ut civis peregre sive civitatem suam ejusque cives, sive alterius civitatis civem laedat. Hinc locum huncce in duas distinguemus paragraphos, ac prima exponemus:

§. 1.

Quid juris sit, si civis extra civitatem alterum civem vel ipsam civitatem laeserit?

Ut haecce quaestio, quae plurimis interpretibus difficultatis plena jure videtur, bene dijudicetur, sponte patet, nequaquam utilitate, politicis rationibus, aliorumve auctoritate disputandum esse, verum ex firmis juris principiis, quae pro temporum locorumque diversitate nequaquam mutantur, sed ubique eadem sunt. Neque hoc tamen omnes accurate tenuisse auctores, sequentia demonstrabunt.

Primus hoc loco in censum venit ABEGGIUS. Hic magna cum industria atque non sine judicii acumine ostendere conatus est, quod ad delicta foris commissa omne omnino deficere puniendi jus (1). Praecipuum, quo haec ejus doctrina nititur, fundamentum in ipsa potestatis civilis natura situm est. Quaestio nimirum, quousque extendi possint leges civitatis, ex ejus opinione arctissime conjuncta est cum altera illa, quousque civitati competat jus efficiendi, ut leges suae valeant. Dici sine dubio nequit, jus civitatis legibus suis auctoritatem adjungendi ulterius tendere, quam ipsae leges. Existimat igitur secundum ea, quae in prioribus disputavit, leges civitatis inter physicos ejus fines contineri (2).

---

(1) MATTHAEUS, *de Criminibus ad lib.* 47. *tit.* 3. *no.* 5 *et* 48. *tit.* 13. *no.* 5.

(2) Vid. *Recept. Sent. lib. V. Quaest.* 29. *no.* 4. et MATTHAEUS *ad lib.* 47. *tit.* 3. *no.* 3.

(3) Vid. FARINACIUS, *de Inquisitione lib.* 1. *tit.* 1. *quaest.* 6. *no.* 20.

Similem fere, quam Abeggius, doctrinam defendit WENSIUS, qui, ut quaestio nostra recte possit dijudicari, ante omnia attendendum putat, quaenam necessario requirantur, ut poena juste infligatur (3). Haec tria sunt: primo lex in civitate lata, quae poenam minatur, cum nullum sit delictum sine lege (4); secundo, hujusmodi legis violatio, quoniam nulla sit poena sine delicto: tertio, ut ille, qui legem violavit, legi obedientiam praestare teneatur; ubi enim obligatio deëst ab una parte, alteri nullum profecto jus competit. Requisita illa ita sunt necessaria, ut, ubi unum desit, jus puniendi deficiat. Ad ea autem si attendatur, sponte patere contendit vir doctissimus, civitati, ad quam pertinet delinquens, nullum competere puniendi jus, quum poena idoneo careat fundamento. Etenim, ait ille, ut poena juste infligatur, requiritur praecedens legis comminatio (5). Quo autem, quaeso, juris fundamento inniteretur ejusmodi poenae comminatio, a legislatore facta in actionem extra ipsius civitatis territorium commissam, quum leges poenales ejus sint naturae, ut ipsis civitatis finibus limitentur, neque extra illos ulla auctoritate gaudeant? Leges quippe poenales ideo sunt latae, ut tuta reddantur jura omnium, qui sunt in civitate. Extra illam earum cessat auctoritas, nisi jus concedamus legislatori constituendi, quid in alia civitate, ab ejus imperio libera, sit faciendum, quid omittendum (6). Requirixitur praeterea delictum, quod recte definitur juris laesio, lege poenali vetita. Ex hac definitione patet, ad delicti notionem omnino requiri legem constitutam, quae actionem prohibitam poena prosequi jubeat; unde efficere licet, extra civitatis fines, ubi secundum ea, quae mox disputavi, legis in civitate aliqua constitutae deficit auctoritas, non illa adesse, quae faciant, ut delictum possit cogitari. Requiritur praeterea ad illud, ut poena juste infligatur, ut is, qui legem violavit, legi obedientiam praestare teneatur. Vidimus supra legislatori nullum competere jus leges extra civitatem ferendi, et, ubi nullum est jus, ibi nullam esse obligationem luce clarius patet. Unius enim jus sibi semper oppositam habet alterius obligationem, et ex adverso unius obligatio oppositum habet alterius jus, ita ut jus et juris obligatio relata et correlata sint (1).

---

(1) In opere *über die Bestrafung der im Auslanden begangene Verbrechen.*

(2) Conf. *l. l.* §. 14 *et* 17. Das positieve recht, d. h. die Gesetze eines Staates gelten ohne Ausnahme im Staatsgebiet, aber auch nur im demselben: das Recht und die Pflicht des Staates den Rechtzustand zu sichern, und dadurch die Sicherheit der einzelne zu gewähren, kann zich nur auf diesen Gebiet erstrecken, ausser demselben werden weder seine Gesetze verletzt, noch seine Pflichten in Anspruch genommen. Conf. etiam MARTENS *précis du droit des gens* §. 104 — 104. Caeterum monendum est, hanc Abeggii opinionem cohaerere cum iis, quae in antecedentibus a § inde 2 professus est principiis, quae refutare longius foret, praesertim cum illud tantum spectavisse videatur Nobil. Ordo, ut quid juris philosophici principiis praecipiatur, ex mea opinione, exponerem. Dixisse sufficiat praecipuam discriminis causam in eo quaerendam videri, quod civitatis finem dicat jus tutum singulorum, qui sunt in civitate.

(3) Vid. WENS *diss. laud.* p. 19 — 21 et ABEGG. *l. l.* §. 28. *p.* 32.

(4) Conf. SALCHOW *Lehrbuch des gemeinen im Deutschland gültigen peinlichen Rechts mit besonderer Rücksicht auf das Preussichen Recht* §. 29.

(5) Verba haec Wensii adscripsi, quo melius appareat, quo inprimis argumento sententiam suam defendant hi, qui ad quaestionem negando respondent, atque inprimis Abeggius.

(6) Conf. quem citat Wensius clariss. SMALTZIUS, *das Europäische Völkenrecht*, *p.* 157.

Apparet ex iis, quae ex adversariorum sententia disputavimus, eos illud inprimis urgere, leges extra territorii fines nullam vim exercere posse, atque cives iis ultra civitatis fines obedientiam praestare non teneri. Hoc si concedamus, ulterior eorum argumentatio recte procedit, neque dubitandum, quin nullum adsit idoneum puniendi fundamentum; verum non credo, eos hanc doctrinam satis firmiter demonstravisse. ABEGGIUS eam ex principiis, unde potestatis civilis naturam deducit, conficere studet, verum ita tamen, ut mihi saltem eam veram esse nequaquam probaverit. Neque magis me movent ea, quae affert WENSIUS, leges poenales non extra civitatem auctoritate gaudere, quippe quae ideo sint latae, ut tuta reddantur jura omnium eorum, qui sunt in civitate. Civitatis igitur finem existimat jus tutum singulorum, atque his ratiocinationem suam superstruit, quam, quoniam alium esse judico civitatis finem, improbandam duco.

Hactenus paucis eorum attigimus argumenta, qui ad quaestionem propositam negando respondent. Sunt etiam inter eos, quibus exceptiones admittendae esse videntur. Primo loco memorandus HERTIUS (2) qui aliud juris esse censet, si res, contra quam peccatur, sit intra territorium, licet persona extra illud sit. Exempli loco provocat ad adulterium. Si quis domi uxorem habens in peregrina regione, ubi levius coërcetur, adulterium committat, et dein domum revertatur, eum poenae ibi usitatae denuo recte subjici putat, quoniam adulterium alibi quidem perpetrat, sed in loco domicilii, ad finem perducit. Exceptio haec, ex ea inprimis, quam tuetur

---

(1) Dubito, utrum juste pro sua sententia provocaverit WENSIUS ad MONTESQUIEVII auctoritatem, qui *Lettres Persannes I. p.* 48. ait. „Je suis obligé de suivre les lois, quand je vis sous les lois: mais quand je n'y vis plus, „peuvent elles me lier encore?" Mihi certe haecce verba petitionem, ut ajunt, principii continere videntur.

(2) In dissert. *de Collisione legum*, *Sect.* 4. §. 19.

tur HERTIUS, opinione minime est admittenda, quum leges tantum illius regionis, in qua commissum est adulterium, violatae videantur (1).

Alter, quem hic silentio praeterire non licet, est clar. HENKIUS, unus e recentissimis de Jure Criminali scriptoribus (2). Hic unum tantum excipiendum putat casum, quando nimirum auctor delicti eo consilio civitatem relinquit, ut leges ejus poenales effugiat, deinde autem redit, ut delicti fructus percipiat. Existimat hoc casu civitatem committere non posse, ut auctor, qui peregre poenam non subiit, poena prorsus liberetur, dummodo delictum tale sit, in quod, uti apud omnes cultiores populos, ita etiam domi, poena constituta est. Quoniam vero cum jure summi imperii, quod cujusque civitatis est, parum conveniat subditum in extraneam civitatem remittere, ut ibi judicetur ac puniatur, neque etiam legum extranearum auctoritatem suis judiciis tueri, apparet, quare, ad collisiones cum aliis civitatibus evitandas, in multis Codicibus constituatur, ut de crimine foris commisso secundum patrias leges poena sumatur, si alibi in auctorem non fuerit animadversum.

Ita HENKIUS; quae tamen exceptio mihi non videtur probanda. N assequor enim, quomodo secundum juris principia, quae caeteroquin amplectitur Vir Clariss. defendi possit, quum potius rationibus nitatur politicis. Casus nimirum fortuitus, quo in terra extera poenam evasit, aut illius civitatis negligentia nequaquam idoneum constituunt puniendi jus.

Jam eo devenit nostra disputatio, ut eos breviter memoremus, qui eandem nobiscum profitentur opinionem, inter quos praestantissimi sunt de Jure Criminali scriptores. Primum sane inter eos locum occupat TITTMANNUS, qui pluribus sententiam suam, civitati nimirum jus competere delicta extra eam admissa puniendi, adstruxit (3). Praecipua, quam adfert vir acutissimus, ratio ea est, quod leges patriae etiam extra civitatem obligent. Quam primum autem civis praecipuam fortunarum sedem in alia regione posuerit, hoc vinculum nequaquam cessat, neque tamquam peregrinus est habendus (4). Arguit praeterea, civitatem obligatione teneri, non tantum civem, sed et peregrinum puniendi, si adversus ejus subditos foris delictum commiserint, quoniam civitati incumbit jurium securitatem contra quamcumque laesionem, etiam foris imminentem, tueri (5).

---

(1) HERTIUM refutat CARPZOVIUS *Praelect. rerum crimin. p. 2. Quaest.* §. 4. *no.* 53. Aliae autem, quas item fingit, exceptiones, leguntur apud WENSIUM p. 32. Nos, quum nullius fere momenti videantur, eas omittemus.

(2) *Handbuch des Criminal-Rechts*, *Berlin* 1120. *I.* §. 90 et 606.

(3) Vid. ejus *Handbuch der Strafrechtwissenschaft*, *editionis anni* 1824. *p.* 48. et *die Strafrechtspflege im Volkerrechtlicher Rücksicht.*

(4) Vid. *die Strafrechtspflege p.* 18. „Bei dem Unterthan ist dies um so weniger zu bezweiflen, weil ihn die „Verbindlichkeit, dem Gesetze gemäsz zu handlen, nie und nirgens verlasst, und selbst ausserhalb des Grenzen des „Staatsgebietes begleitet, dem ihr angehört."

(5) Vid. *Handbuch. p.* 50.

Ex his conficere conatur WENSIUS, TITTMANNI rationes non recte cohaerere. Etenim paullo ante dixerat idem, delinquentem, ut juste puniatur, esse debere civitatis punientis subditum, atque agnoverat, eum qui peregre moratur, sive sit civis, sive peregrinus, pro temporario subdito ejus civitatis, quae punit, esse habendum. Sed audiamus ipsum Wensium: « nemo non videt, haec non bene cohaerere, quoniam, « simul atque aliquis tenetur legibus civitatis, in quam se contulit, intelligi debet so« lutus legibus civitatis, ad quam pertinet. Si enim illud non agnosceretur, ab in« signi legum diversitate multae difficultates enasci possent." At, pace viri doctiss. dixerim, illud non agnosco, neque dubito, quin ejusmodi civis, extra territorium delinquens, utriusque civitatis legibus teneatur, ut in posterioribus pluribus ostendemus.

Eandem fere, quam TITTMANNUS, rationem afferunt EGGERUS et RUDOLPHUS (1); neque multum ab iis differt KLEINSCHRODUS, qui sequens proponit exemplum (2). Si Germanus extra Germaniam crimen committit, poenam irrogare potest, quin debet etiam, judex Germanus; primo, quando hoc maleficio violatae fuerint leges Germanicae, iisque secundo etiam extra Germaniam obtemperare teneatur maleficus. Moguntiacus v. gr. civis a judicibus Germanis recte puniri potest, quando, revera domicilium in regione Moguntiaca habens, in Francia caedem committit. Etenim, quamdiu domicilium in Germania habet, ejus legibus obedientiam praestare tenetur, neque brevi quadam absentia ab ea obligatione liberatur. Sicubi igitur in Gallia caedem committit, leges Germanicas violat, atque a judice Germanico est puniendus. Aliquam tamen admittit exceptionem vir illustrissimus in iis legibus, quae eo tantum consilio latae sunt, ut in civitate cives obligent. Fingamus in Austria lege prohibitum esse, merces quasdam definitas in civitatem invehere. Civis Austriacus in aliam regionem, Russiam v. gr., ejusmodi merces invehit prohibitas. Poteritne a judicibus Austriacis poena affici? Minime, quoniam leges huc spectantes in Austria tantum valent, neque ulterius extendendae sunt. Equidem hanc Kleinschrodi sententiam non omnino improbabilem duco, licet mihi distinguendum videatur, utrum civis peregre delicto civem, an peregrinum laeserit, quod eum non fecisse miror.

Silentio praetermittendus non est scriptor, nominis fama celebratissimus, CAROLUS LUDOVICUS HALLERUS (3), qui obiter nostram etiam quaestionem attigit, inquirens, quatenus princeps aliquid juris retineat in subditos, qui regnum suum reliquerunt. In eos, qui se potestati suae omnino subtraxerunt, quique alii se manciparunt principi, atque propria non negligunt officia, quae poenae locum facere possunt, nullum principi jus ei competere videtur. Quando vero subditus non nisi per breve tempus abest, atque omnia prioris vinculi commoda nondum cessant, quando bona possidere pergit, aut muneribus fungitur, manet potestati subjectus, multaque erga eum adhiberi possunt cogendi media. Quemadmodum enim hocce in casu, quoad civitatem, in qua moratur, peregrinus habetur, quoad aliam civitatem, unde abest, civis instar est.

---

(1) EGGER *ueber die Bestrafung der Verbrechen, welche im Auslande begangen werden, mit rucksicht auf das Oesterreichische Strafgesetzbuch* in *Frans von Zeiller Jahrlicher Beitrag zur Gesetzkunde und Rechtwissenschaft in den Oesterr. Erbstaten, Wien* 1809. *IV. B. no. 3. p.* 64. RUDOLPH, *de poena delictorum extra territorium admissorum.* §. 13 — 12.

(2) Vid. KLEINSCHRODT *Entwickelung der Grundbegriffe und Grundwahrheiten des Peinlichen Rechts, tom. II.* §. 123. *p.* 213.

(3) Vid. *Restauration der Staatswissenschaft, t. II. p.* 140: suam tamen doctrinam seqq. limitavit, ,, doch ,, geht

Ulterius progreditur clariss. **JENULLUS** (1), qui civem juste puniri dicit de crimine foris commisso, quia civitas ea de causa jure suo non abutitur, quod jurium defensionem, civibus proxime concessam, etiam extraneis alibi laesis impertiatur. Hoc et extraneorum, et civitatis punientis commodis aeque convenire existimat. Extraneorum, quia horum jura defenduntur etiam ulterius, quam ipsis expetere licebat; civitatis punientis, quia huic ita remittitur disquisitio de legibus poenalibus civitatis peregrinae, secundum quas civis caeteroquin esset puniendus. Tandem adjicit, neque civem etiam, qui ita punitur, injuria affici, quippe qui leges patrias melius, quam alias, cognovisse censendus sit, iisque ubicunque terrarum obedire teneatur. Vereor tamen, ne vir clariss. studiosior fuerit in enumerandis commodis, ex hacce doctrina oriundis, quam in ejus justitia probanda. Mihi saltem nullo niti videtur fundamento, quod civitas laesis extraneis, etiam extra territorium, jurium tutelam praestare debeat.

Aliam longe probationis viam ingreditur illustriss. **GROLMANNUS** (2). Perhibet hic, delicta veri nominis, ea nimirum, quae juris continent violationem, jure puniri, quoniam ab ejus auctore ubicunque periculum metuere licet; adversus quem igitur vis ad praecavendam injuriam juste omnino adhibetur ab omnibus, quorum interest juris securitatem in civitate servari. Apparet autem, omnem hancce ratiocinationem cohaerere cum ea, quam amplectitur vir illustrissimus, praeventionis theoria, atque igitur propter ea, quae supra *capite primo* §. 2. disputavimus, admittendam non esse.

Praecipue mihi ad partes vocandus videtur **OERSTEDUS** (3), quippe cujus argumen-

ta-

,, geht auch hier die Herrschaft nicht weiter, als die Macht, die Abhangigkeit nicht weiter, als die Bedurfniss; die
,, erstere äussert sich daher mehr auf zurückgebliebene Sachen, als auf die fortgezogene Person, und soll übrigens,
,, wie jeder andere, nicht zur Beleidigung, sondern zu Beschutzung des abwesenden Unthertans, nicht zur Unge-
,, rechtigkeit, sondern zur Handhabung der waren Gerechtigkeit angewendet wurden."

(1) Vid. *das Oesterreichische Criminalrecht nach seinen Grunden und seinem Geiste dargestelt*, *t. I.* §. 30. *p.* 326. *edit. sec.*

(2) Vid. *Grundsätze der Criminal Rechtwissenschaft*, §. 107. *edit. tert.*

(3) *Ueber die Grundregeln der Strafgesetsgebung*, §. 16, *p.* 131 *seqq.*

tationem satis probabilem duco. Arbitratur, quod ad delicta foris adversus civitatem ejusve cives commissa, nullum adesse de jure puniendi dubium, dummodo in illa civitate domicilium habeat delinquens. Obligatio enim, quam homines, civitatem ineuntes, secum invicem contrahunt, brevi quadam delinquentis absentia non dissolvitur. Facilis etiam esset violandi leges, turbandique publicam quietem occasio, si cives, dum in alieno morarentur territorio, civitatis suae leges impune possent infringere. Inprimis autem hanc doctrinam ideo admittendam esse censet, quoniam alioquin plena criminum, in mari perpetrandorum, venia navigantibus concederetur, quippe qui in nullius civitatis territorio degant.

Licet non diffiteor, objectionem hanc rem non plane conficere, magnam tamen mihi habere videtur veri speciem. Fuse eam refutat WENSIUS *p.* 36 — 43., cujus argumenta, quoniam tota quaestio ad alium pertinet juris locum, non omnia memorabo. Distinguendum putat inter delicta, in litore portuque commissa, atque ea, quae in alto mari fiunt. Haec etiam ex sua doctrina juste puniri existimat, quoniam civitas, quae navem, suis civibus instructam, e portu exire sinit, intelligi non potest, eos sine lege et jure certo ventis fatoque committere, sed navigantibus, in ipso etiam mari, suam tutelam spondere, quamdiu in nave sint habitaturi, neque extraneae gentis defensione gaudeant, ideoque rem ita esse habendam, ac si navis pars sit civitatis, a qua ad iter fuit parata, cujusque cives continet. Ultimum hoc improbat OERSTEDUS, necessarium non existimans ad ejusmodi confugere praesumtionem, fallacem nimirum et minime validam (1).

Ita praecipuorum de jure nostro scriptorum sententias exposuimus. Apparet eos a longe diversis proficisci principiis, ita ut, in definienda quaestione, disparibus, quin etiam contrariis nonnunquam utantur ratiociniis. Neque mirum. Multum, ut quisque, vel me non monente, animadvertet, huc facit, quemnam statuas poenarum finem, quodnam fundamentum. Illi v. c., qui in emendatione, in talione, poenarum finem collocant, multo minus attendere ad loci diversitatem personarumque qualitatem possunt, quin et debent, quam qui alias sequuntur theorias. Quum autem, in explicanda quaestione, a reliquis fere omnibus scriptoribus dissentirem, utile atque operae pretium duxi eorum tamen adjungere sententias. Quodsi in aliquam forte inciderim vituperationem, quod a longiori abstinuerim singulorum auctorum refutatione, duplicem mihi videor habere excusationis causam. Primo verebar, ne sic in justo majorem mo-

---

(1) Quamvis meum non sit, quaestionem hancce decidere, idque lubens doctioribus relinquam, animadvertisse tamen liceat, argumenta, quae affert WENSIUS, magis videri ad politicas rationes, quam juris principia pertinere, quod ipse vir doctiss. in superioribus vehementer improbavit. Quod v. c. observans fundamentum illud, ab OERSTEDIO rejectum, non fictum esse in scholis doctorum, in iisque tantum receptum, verum ab illis etiam agnosci, qui de gentium jure ex usu et consuetudine judicant, Napoleontis allegat verba, dubito, an multum habeat auctoritatis. Reputate tantum notissimum Imperatoris dictum: *Qu'est ce que le droit des gens? le droit du canon.*

molem excresceret haecce scriptiuncula; tum credebam, hanc opinionum discrepantiam ex memorata principiorum diversitate facile explicari posse.

Equidem, ne sententiam meam subjicere diutius differam, simulatque memoratam quaestionem paullo diligentius inspexi, plurima deprehendere mihi visus sum, quae suaderent, in ejusmodi delictis, a cive peregre commissis, civitati puniendi jus non esse denegandum. Perspiciebam insignem hoc afferre unicuique civitati utilitatem, quum multum sane labefactaretur ea, quam contra aliorum injurias singulis civibus spondet, tutela, si delinquens, relicto territorio, simul etiam poena esset liberatus (1). Verum ita quidem de utilitate, nequaquam de justitia ejusmodis poenarum constabat. Quaerendum erat idoneum quoddam fundamentum, quo, hisce in causis, superstrui posset puniendi jus. Neque diu etiam in eo occupatus fui, quemadmodum patebit, si ea, quae *capite primo* dixi, in memoriam revocentur. Existimo nimirum, civitatis finem in eo esse positum, ut omnia civium jura tuta serventur ab omni qualicumque imminutione (2). Propterea poenae constituuntur, constitutaeque exsecutioni mandantur, ut injuria, ab hominibus, sive exteris, sive civibus, imminens, arceatur. Neque dubium, quin civitati ad illud competat jus. Etenim officium ei incumbit omnia ea adhibendi media, quibus finem huncce obtinere possit. Ideo delictis, conditionum instar, poenas adjungit, ideo reparationem exigere, quin etiam antea eam definire ei conceditur. Quodsi haec teneamus, atque animadvertamus, civitatem inprimis comparatam esse ad omnem omnino injuriam a civibus suis, quantum possit, arcendam, atque hanc ejus potestatem territorio non limitari, sponte patet civem, qui foris alterum civem delicto laesit, a civitate sua recte justeque puniri.

Neque aliquam difficultatem parere mihi videtur, utrum ipsa civitas delicto laesa sit, cum eo casu sine dubio majus etiam adsit puniendi jus, atque civitas, quippe ipsa delicto directe laesa, laesionis reparationem exigere possit. Idem quoque sensisse videntur reliqui fere omnes scriptores, qui affirmando respondent, praecipue TITTMANNUS et OERSTEDUS, qui nominatim delicta, quibus civitas vel cives ejus laeduntur, conjunxerunt (3).

Qui contrariam ei, quam professi sumus, amplectuntur sententiam, quique igitur omne puniendi jus civitati denegant, multis inquirunt, utrum non aliud obtineat, ubi adversus ipsam civitatem commissum sit delictum. Poenam, propter eas, quas afferunt, rationes juste irrogare posse civitatem negant. Verum magnam tamen existere difficultatem agnoscunt, causasque multum a se invicem differre. In delicto, adversus civem commisso, poenam infligit civitas, in cujus territorio committitur, quippe sub cujus tutela est laesus; verum in delicto erga civitatem non idem obtinet, cum civitas, in cujus territorio committitur, non teneatur alterius civitatis jura defendere. Hinc, ne videantur adversarii nostri ejusmodi delictorum plenissimam veniam concedere, varie difficultatem tollere conantur. Citabo, quae ea de re habet doct. **WENSIUS** (1). « Civitates (inquit) ad se invicem relatae, uti et ad omnes illos inviduos, qui extra suum territorium morantur, in statu versantur, quem naturalem dicere liceat, civili oppositum. Uti homo, ab eo inde tempore, quo, una cum aliis hominibus, vivit in statu naturali, jura sua habet, quae a natura originem ducunt, ita etiam civitati sive genti eadem jura, tamquam personae morali, sunt tribuenda; uti porro singulis hominibus licet, illa jura, si forte laedantur, ab aliis vindicare, imminentem injuriam vi praevertendo, illam, quae in actu infertur, repellendo, illatae autem reparationem exigendo, ita etiam universae genti, sive hominum multitudini, in civitatem consociatae, eadem jura contra laesiones semet defendendi concedantur, necesse est. Hoc facile probatur, si teneamus, rationem excogitari non posse, quare non hominum collectioni idem illud liceat, quod singulis quibusque licet, si per injuriam laedantur. Nullum igitur dubium esse potest, quin genti jure liceat omnibus uti justis subsidiis, quibus externa securitas servetur, etiam ratione habita civium suorum, qui foris ipsam laedunt, quorumque respectu suspensa est legis poenalis auctoritas, ideoque vim justam adhiberi, si quando revertatur. At vero haec vis, quae belli jure et politiae ope erit adhibenda, et quidem tanta, quanta sufficiat ad restituendum detrimentum e laesione enatum, etiam morte laedenti illata, secundum juris principia poena nequit vocari, quum poenae fundamentum hic omnino deficiat.” Ita vir doctissimus, ex sua opinione forsitan recte (2), secundum ea, quae monuimus, minus probabiliter. Assentiuntur ei **HENKIUS** et **ABEGGIUS** (5).

---

(1) Vid. OERSTED, *l. l. p.* 141. „dass ein missethater, durch blossen wechsel der luft, sich von der verwirk„ten strafe frei machen könne, ist eine verhaltungsregel, durch welche jeder Staat einen theil des schützes ver„liert, welche seine gesetze dessen mitgliedern gegen unrecht gewähren sollen."

(2) Ex hac definitione patet, nos multum differre a WENSIO, qui, quod ad civitatis finem, ABEGGIUM sequitur. Hic enim eum in jure tuendo collocat, ita ut leges criminales ferantur, quibus cives ab injuria refrenentur. Hinc etiam diversa quaestionis decisio. Conf. *quae supra diximus, paragraphi hujus initio.*

(3) Vid. TITTMAN *die Strafrechtspflege* p. 16 et 17. et OERSTED *l. l. p.* 138.

---

(1) *In diss. laud. p.* 53.

(2) Etenim arbitror virum doctiss. merito contendere, vim illam, a civitate adhibitam, poenam dici non posse. Dubito, utrum in statu extrasociali competat puniendi jus, atque adsit illud, quod dicitur, jus puniendi naturale. Contrarium quidem affirmant viri summi, quales GROTIUS, *de J. B. et P. II.* 20. §. 8. LOCKIUS *du gouvernement civil, tractatu II. c.* 2. §. 4. BARBEIRACIUS *ad* PUFFENDORFIUM *de J. N. et G. c.* 3. §. 4. *no.* 3.; tum e recentioribus MICHAËLIS, KLEIN, quosque plures, una cum alterius sententiae patronis, laudat HOMAN *diss. laud. p.* 35 *in notis.* Universe mihi non satis videntur attendisse, quaestionem illam unice pendere a vera poenae civilis notione; quam si bene perspexeris, poenam extra statum civilem intelligi non posse videbis. Poena enim nulla est sine lege. Lex eam minatur; haec autem comminatio arctissime conjuncta est cum principis notione, a quo juste descendit per legem, vi pacti socialis sociis praescriptam. Vid. *doct.* WENS. *l. l. p.* 56 — 59.

(3) Vid. HENKE *Handbuch* §. 90. *p.* 607, ABEGG. *l. l. p.* 36. Bene enim, ut puto, eos refutavit Wensius, a qui-

Inter eos, qui, in priore quaestione, a nobis divortium fecerunt, sunt nonnulli, qui, laesa civitate, puniendi jus agnoscunt, quemadmodum FEUERBACHIUS, et SALCHOVIUS (1). Rationem addunt, quod ita suae tantum securitati prospicit laesa civitas, poenam inferens.

§. 2.

Quid juris sit, si civis extra civitatem adversus alteram civitatem, ejusve civem delictum commiserit.

Quemadmodum in superiori §, sic h. l. videbimus singulos fere interpretes diversam proposuisse sententiam. Quoniam autem pleraque, quae attulimus, argumenta etiam hic valeant, in hujus quaestionis expositione breviores esse poterimus.

Sponte patet, omnes illos, qui in praecedentibus negando responderunt, hoc loco in eadem perseverare opinione. Nam quomodo, si civitati, foris a cive delicto laesae, delinquentem punire non liceat, haec civem poena afficiet, qui adversus alteram civitatem delictum commisit? Fecit hoc, ut FEUERBACHIUS, qui civitati a cive laesae jus puniendi concesserat, hic illud non admittat (2), licet alio loco (*pag.* 7.) ex rationibus, e politica et jure gentium depromtis, patriae non deneget jus poenam sumendi secundum leges civitatis extraneae, ubi delictum locum habuit, eo in casu, quo ipsa civitas laesa illud petat.

Neque desunt tamen, qui hic etiam poenam a civitate, ad quem pertinet delinquens, juste sumi perhibeant; quorum rationes minus probandas esse existimo.

TITTMANNUS (3) arbitratur, in casu proposito, civitati, cujus civis est delinquens, plenius competere puniendi jus, quam alteri, delicto laesae. Jus illud niti putat vinculo, quod imperantem inter et subditum intercedit. Nulla enim civitas, inquit, ab altera plus postulare potest, quam ut puniat laesiones, ab ejus subditis suis civibus sibique ipsi illatas. Nulla contra civitas alteri plus concedere potest, nisi obligationem in-

---

quibus ABEGGIUS inter eos, qui hic poenam jure infligi censent, refertur. Vid. *Neues Archif des Criminalrecht*, *tom.* 4. §. 3. *p.* 324. Affirmat tantum hoc casu injustum non fore, si malum inferatur, verum nequaquam dicit malum illud esse poenam. Quin imo in fine opusculi diserte docet, se poenam non intellexisse; „die beantwortung der „fragen, nach welche gesetze ein Staat die im Auslande begangene verbrechen zu beurtheilen habe, falt ganz weg, „indem zu zeigen gesucht wurde, dass das ganze Strafrecht nicht gegründet ist." Vid. *diss. laud. p.* 54. in nota.

(1) Vid. FEUERBACH *Themis p.* 381. et SALCHOW *Lehrbuch* §. 28.

(2) Vid. FEUERBACH *Kritik des Kleinschrodischen Entwurfs. II.* 4. seqq.

(3) Vid. *die Strafrechtspflege p.* 21, 22. Sunt haec praecipua, quae a Tittmanno afferuntur, argumenta; quae enim addit, minoris videntur momenti. Tenendum, ea ad utramque pertinere quaestionis partem. Perspicere autem non possum, undenam sua hauserit Wensius, affirmans, quod ad delicta, a cive peregre adversus extraneum perpetrata, Tittmannum propter rationes, e praeventionis jure depromtas, jus puniendi agnoscere, quoties manifesta est delinquentis perversa voluntas. Nam in loco, quem allegat, *Strafr. p.* 21., simile quid non deprehendi.

infringere velit, inita civitate, cum civibus contractam. Etenim, cum tutelam promiserit, illosque, secundum leges judicesque a se datos, judicari voluerit, eos alienae civitatis potestati committere non valet. Neque tamen patriae civitati jus esse existimat TITTMANNUS, omnia delicta indistincte puniendi. Ea tantum enumerat, quae privata solent vocari, quae sive vitam, sive sanitatem, sive existimationem, sive bona afficiunt. In criminibus etiam, quae civitatem ipsam laedunt, quaeque periculum omnibus a delinquente metuendum declarant, poenam recte irrogari censet. Iis enim laeduntur jura, ubique et ab omnibus agnita.

Recte, ut mihi videtur, TITTMANNUM refutat ABEGGIUS (1), quoniam dubium fere esse nequit, quin hic meliore jure gaudeat laesa civitas. Etenim civis, in altera regione degens, illius legibus obsequium praestare tenetur. Quid igitur, quaeso, apertius, quam ut, ubi eas leges directe violat, ipsamque civitatem laedit, haec leges suas executioni mandari curet?

Aliam rationem affert EGGERUS (2), patriam nimirum civitatem, per delicta adversus extraneam foris commissa, simul etiam laedi, cum talia delicta pacem inter diversas gentes facile possint turbare, quod quamque civitatem praecavere oportet. Neque confundi ei videtur jus poenam infligendi et politiae exercendae, cum delinquens, propter laesionem, patriae civitati illatam, simul puniatur. Cavendum praeterea, ne delicta impunita maneant, atque enitendum, ut aliae civitates eadem erga nos ratione procedant. Dubito, utrum non, re vera, justitiam rationesque politicas confuderit EGGERUS; ea certe, quam allegat, ratio, nimirum ne quies inter civitates turbetur, illud probare videtur (3).

RUDOLPHUS putat, quodsi delictum, quo laeditur alia civitas, peregre poena vindicatum sit, nullum amplius in patria civitate poenae locum superesse (3). Quin ulterius etiam progreditur, contendens delictum, quod ipsius patriae civitatis saluti noxium non esset, si peregre poenam non subisset delinquens, in patria civitate non ex officio, verum postulante tantum laesa civitate, puniri posse. Neque ullam hic juris adesse obligationem ipse confiteri videtur, quum humanitatis dicat, efflagitante laeso, reum poena afficere.

---

(1) Conf. *l. l. p.* 46. Vid. porro STELZER *Kritik des Entwurfs eines peinlichen Gezetzbuchs für Schleswick und Holstein von Freyherrn von Eggers* §. 87.

(2) Conf. *l. l. p.* 49. seqq.

(3) Vid. ABEGG. *l. l. p.* 49. Was könnte man so alles in das Criminalrecht ziehen, weil es wegen gewisser rücksichten staatsklug wäre, es dahin zu stellen! Allein wo ist das recht, für welches das Vaterland bürge ist? Das recht des fremden Staates und seiner unterthanen sicherlich nicht. Aber er wird selbst beleidigt, und straft, um den frieden zu erhalten. Gut. Aber dan wird aus andern, als aus rechtlicher rücksichten, ein uebel zugefügt, folglich stets der polizeiliche zweck dem der justiz untergeschoben.

(4) *l. l.* §. 10 — 12.

Repetenda quoque est sententia clar. JENULLI, qui, ut vidimus, existimat, civitatem tutelam etiam impertire extraneis, delicto a civibus suis peregre laesis, etiamsi ad illud non teneatur. Sed, ut jam observavimus, nulla hic adest obligatio; magis igitur, ubi de utilitate, quam ubi de jure agitur, viri clar. valet auctoritas.

Accedit ad ea, quae jam citavimus, OERSTEDI argumentatio (1). Affirmat ille, delinquentem, in patriam reversum, secundum leges civitatis, in qua commissum est delictum, in patria esse puniendum, vel exterae civitati tradendum. Addit porro, quod si, propter laesum extraneum, civitati patriae puniendi jus denegetur, atque laesae tantum tribuatur, inde nasci turam esse legum vim eludendi, atque civium pacem et tranquillum rerum ordinem turbandi occasionem.

Liceat mihi ab omnibus hisce viris doctis quodammodo dissentire. Cum diu in inquirendo puniendi jure fuerim sollicitus, illud, ad hunc usque diem, deprehendere non potui. Neque miretur quis, quod, qui in priore quaestione affirmaverim, hic negandum esse censeam. Etenim multum sane differt, utrum ipsa civitas patria laesa de cive suo poenam sumat, an contra damnum tantum senserit civitas quaedam extranea. Si verum est, uti verum esse, ni fallor, in praecedentibus demonstravimus, leges in civitate ferri, ut omnium jura ab omni imminutione tuta serventur, nonne eas recte adhibebit civitas, ubi ipsa delicti incommoda passa fuit? Verum quomodo, si juris tantum principia respiciamus, alterius civitatis securitati prospicere tenetur? Non video sane, nisi prius ostendatur, ideo constitutam esse civitatem, ut ab injuria aliis inferenda refrenentur cives. Sed dicat aliquis: civitatem inter civesque peregre degentes existit pacti cujusdam civilis vinculum. Recte, sit ita; verum quo tendit illud pactum? num ad cives ab omni injuria aliis, sive intra, sive extra territorium, inferenda cohibendos? Nobis non videtur, neque, ut credo, facile probari poterit. Unice tendit ad omnem juris deminutionem, etiam extra territorium, a civibus arcendam. Sponte tamen patet, aliud dicendum esse, si peculiaris intervenit pacti civici clausula, ex qua tunc negotium est dijudicandum.

SECTIO SECUNDA.

DE PUNIENDIS DELICTIS, LEGE CIVITATIS VETITIS, ATQUE A PEREGRINIS EXTRA EJUS TERRITORIUM COMMISSIS.

Quem in superioribus, eundem hic etiam tenebimus ordinem, ita ut, omnem hunc locum breviorem in duas distinguentes paragraphos, prima videamus, quid juris sit, si pe-

---

(1) *l. l. p.* 189 – 140.

peregrinus extra territorium delictum commiserit, quo ipsa laeditur civitas ejusve civis: altera agamus de delicto, a peregrino, extra civitatem, erga aliam quandam ejusve civem perpetrato.

§. 1.

Quid juris sit, si peregrinus, extra civitatis territorium, adversus hanc civitatem, ejusve cives delictum commiserit?

Quodsi accuratius huncce casum cum eo, quem *superioris Sectionis* §. 1. tractavimus, comparemus, sponte patet, omnes interpretes, qui in priore puniendi jus non agnoverunt, in eadem necessario perseverare sententia. Multum enim differt vinculum, quod civitatem aliquam inter ejusque cives, quam quod inter eam peregrinosque intercedit. Praeterea, quum judicent, leges civitatis nequaquam extra ejus territorium obligare cives, quomodo peregrinos obligare poterint (1)?

Neque desunt tamen, qui hic acriter sane contrarium defendunt; inter quos primum locum tenent omnes ii, qui jus puniendi naturale agnoscunt. Quum enim civitas et peregrinus, qui eam laedit, in statu versentur naturali, sive extrasociali, sequeretur, si in ejusmodi statu adesset puniendi jus, civitatem recte peregrino poenam irrogare. Verum, quum nobis, ut in superioribus docuimus, jus illud puniendi adesse non videatur, parum curamus hancce argumentationem (2). Neque multum etiam ad probandam eam opinionem faciunt illa, quae habet TITTMANNUS (3). Perhibet hic, neminem per juris usum, quo laesio praevertitur, repellitur, aut vindicatur, illud posse efficere, ut in posterum securus sit; cujus securitatis, per malum illatum acquirendae, laeso jus esse asserit, tantum quidem, quantum fini attingendo sit idoneum, adeoque detrimentum laedenti afferat, quod voluptate, e repetita laesione percipienda, compensari non possit. Liceat hic in memoriam revocare, quae de jure praeventionis diximus, quum ex semel facta injuria nequaquam certa nascatur futurae laesionis persuasio.

ABEGGIUS, ut hoc obiter moneamus, in delictis, quibus publica laeditur civitatis quies, quippe quae saepius alteri civitati aeque sint utilia, quam ei, cui inferuntur, no-

---

(1) Conferri etiam possunt, quae hac de re, ex Abeggii sententia, monet doct. HOMAN *diss. laud. p.* 44. Iis, qui negando respondent, annumerandus quoque est KLEINSCHRODUS *l. l. p.* 34, quippe qui affirmat delicta, extra Germaniam ab alterius civitatis cive commissa, a judicibus Germanis puniri non posse, atque in *nota* 2 Rudolphum impugnat, qui exceptioni locum esse censet, quando ejusmodi delicto Germania ejusve cives laesa esset. Caeterum doleo, me ipsum Rudolphi locum afferre non posse, cum librum ejus nancisci non potuerim, atque sententiam ex iis tantum, quae alii citant interpretes, conficere debuerim.

(2) Vid. *Sectio* 1. §. 1. *no.* 26 et *doct.* HOMAN *l. l. p.* 46—48.

(3) Vid. *Handbuch l. l.* §. 52.

noxia, civitati concedit jus defensionis (das naturliche recht der selbtsvertheidigung, des schutzes, und der gerechte nothwehr (1)).

Sed, ne diutius tempus inutiliter teramus, atque disputationem, satis jam exilem et vitiosam forsitan, longius protrahamus, unam tantum sententiam notabiliorem memorabimus. Protulit eam EGGERUS. Jus puniendi naturale, ex ejus opinione, conciliari non ita difficulter potest cum rationis praeceptis; verum extra civitatem deficiunt conditiones, sub quibus poenam probare possit ratio. Eae conditiones demum existunt, ubi publica auctoritas, secundum leges publicas, poenam irrogare velit (2). Exinde concludit, a peregrino, propter crimen foris commissum, a civitate laesa juste poenam sumi, quoniam quisque, alienam civitatem intrans, hujus legibus poenalibus obtemperare tenetur, haeque leges vim retrogradam habent in actiones, ante aditum in civitatem illam commissas. Lubenter fateor, me non assequi, quomodo ejusmodi pactum, quo peregrinus actiones jam commissas legibus civitatis poenalibus, quam ingreditur, subjiciat, intelligi possit. Quid, nonne vidimus leges futuras tantum spectare actiones? Solane igitur peregrini voluntate illud efficietur, ut ad commissas etiam tendant? Vide, quomodo ad absurda ducat haecce sententia. Fingamus quaeso, (nam et hoc fingi potest) peregrinum quemdam, relicta civitate, ubi nullam ediderit actionem lege poenali vetitam, nostram adire. Interea paulo ante factum quoddam commiserat, quod ei, secundum leges loci, ubi degebat, committere licebat, verum quod a civitate, quam adiit, poena vindicabatur. Jam dubium non est, quin ex pacto illo fictitio in jus vocari possit. Sed dicat EGGERUS, *volenti non fit injuria.* Sit ita; verum illud hic nequaquam sufficit. Praeterea, etiamsi concedamus tale pactum locum habere posse, facile peregrinus, huic pacto renuntians, illud consequi posset, ut qui *volens* videretur, nunc haberetur *nolens.*

Licet autem, quantum in me sit, EGGERI sententiam refutare fuerim conatus, multum abest, ut omne puniendi jus civitati laesae denegandum esse censeam. Etenim, ut jam saepius monui, civitatis illud est consilium, ut omnis omnino arceatur juris deminutio; quod cum ita sit, sponte patet, eam peregrinum, qui erga eam delictum aliquod commisit, punire debere. Neque dubitari potest, quin illud jure faciat. Quemadmodum unicuique laeso, ita civitati etiam competit jus laesionis illius reparatio-

(1) Cf. *l. l. p.* 51. Fuse ejus sententiam hac de re exposui, ubi egi de delicto, a cive contra civitatem commisso. vid. *Sect. pr.* §. 1. *inf.*

(2) Vid. *l. l. p.* 53. Caeterum, quo melius haec intelligantur, ipsa addam verba Germanica, quippe quae accurate latine reddere, difficilius fuit. „Das ausserbürgerliche Strafrecht sey nicht unverträglich mit den rechtsgesetze der „vernunft, aber es fehle ausser dem Staate die bedingung, unter welcher die vernunft die Strafe billigen kan; die„se bedingungen treten dan ein, wenn eine öffentliche macht nach einem öffentliche gesetze strafen wolle." Haec autem sibi invicem obstare contendit ABEGGIUS.

tionem exigendi, eamque definiendi, quem in finem poenam delinquenti irrogat. Quod si igitur eum comprehendere possit, omnia illa, quae hic et in praecedentibus diximus, jus puniendi adesse abunde probant. Verum objiciunt alii, saepius accidere posse, ut poenam lege scriptam ignoraverint, atque censeri non possint, ei se subjecisse. Hanc objectionem nullius fere momenti esse videbunt illi, qui, quae de jure reparationem exigendi, *cap.* 1. initio, diximus, attendere velint (1).

Commode hic trahi possit quaestio, utrum in piratas, qui in alto apertoque mari naves nostras aggrediuntur, si quando capiantur, jus puniendi competat. Affirmare illud non vereor, quum hic inprimis civitatis officium sit, laesionem sibi illatam vindicare. Neque dubito, quin multo magis juris principiis conveniat nostra sententia, quam eorum, qui existimant, tantummodo adesse jus reparationis exigendae, vel qui eos, tamquam hostes, considerandos esse censent (2).

§. 2.

Quid juris sit, si peregrinus, extra civitatis territorium, alterum peregrinum delicto laeserit, lege civitatis vetito?

Hocce in casu omnem poenam plane cessare, consentiens est omnium fere interpretum opinio; quam nos etiam amplecti nulli dubitamus. Nequaquam enim idonea reddi potest ratio, propter quam civitas peregrinis, extra ejus territorium, tutelam praestare teneatur (3), quippe quae tantum eo est composita, ut a civibus omnem juris deminutionem, unde ea tandem immineat, avertat. Accedit, quod ita facile etiam laedi possent aliarum civitatium jura.

Sunt tamen, quod miror, qui hic etiam contrarium defendere student; de quibus paucis videbimus.

TITTMANNUS (4) nostram quidem amplectitur sententiam, at observat tamen, quemadmodum, in statu naturali, quisque ab altero contra delinquentem auxilium potest implorare, eique jus puniendi, quod habet, mandare, ita et civitates ex mandato jus puniendi acquirere posse. Verum recte hoc improbat ABEGGIUS, quia juris puniendi naturalis fundamentum deficere ei videtur. Neque immerito forsitan addit HOMAN-

---

(1) Iis, quae hic disputavi, magna ex parte consentit OERSTEDUS *l. l. p.* 141.

(2) Omnem hanc quaestionem latius exposuit doct. WENS *l. l. p.* 47. Inter eos, qui piratas, tamquam hostes, habendos esse judicant, memorandus CICERO *Off. I.* 29. et BACO DE VERULAMIO *in dial. de bello Sacro: Operum p.* 1508. Poenam jure de iis sumi contendunt AZUNI, *droit maritime de l'Europe II*, *c.* 4. *art.* 7. §. 6. et MARTENS, *précis du droit des gens p.* 289.

(3) Vid. ABEGG. *l. l. p.* 55. Weder subject noch object der verletzung, noch der art derselben, noch unsere Landesgesetze, können hier rechtliche veranlassung eines in anspruch zu nehmenden Strafrechts seyn.

(4) *Die Strafrechtspflege p.* 23 et 24.

NUS, civitatis dignitatem maximopere infringi, si legum exterarum poenalium auctoritati in suo territorio vim adjungi patiatur (1).

Memoranda quoque est STELZERI opinio, quam refert ABEGGIUS (2). Putat hic, peregrinum, qui foris delictum commisit, habita civitatis nostrae ratione, delictum commisisse non censeri, sed eum gravius puniri posse, si, delicto foris perpetrato, apud nos delictum simile, aut gravius etiam repetat. Nam licet de poena, pro utroque delicto singulatim inferenda, haud cogitari queat, delictum tamen levius effectum suum exserit in poenam delicti gravioris. Verum, quomodo singula laedentis delicta justae poenae objectum esse poterunt? quomodo civitas, quae delictum aliquod jure punire non valebat, altero accedente delicto, jus illud acquiret?

Ulterius procedit EGGERUS, contendens, delictum in peregrina regione commissum, licet nullum ex eo damnum sentiat nostra civitas, ideo tamen ab ea nequaquam negligi posse, quoniam ei competat jus, atque incumbat obligatio, ut, poenarum ope, futuras praevertat laesiones. EGGERUM recte refutat ABEGGIUS (3). Eadem autem, quae EGGERUS, afferunt omnes fere juris praeventionis patroni, qui nullum omnino delictum, ubicumque perpetratum, ad alienam civitatem non pertinere existimant, cum de animo delinquendi, qui aliis etiam noxius esse poterit et damnosus, ipso facto constet.

Sunt etiam nonnulli, qui provocant ad pericula, ex nostra doctrina metuenda, quoniam civitas, ejusmodi praeceptis obtemperans, territorium suum omnibus exteris maleficis refugium faceret atque receptaculum. Iis addictus videtur SCHMIDIUS (4). Tenendum, eorum argumenta magis ab utilitate, quam a justitia commendari. Dicunt etiam alii, ex nostra doctrina oriri injustitiam, quum, qui civitatem, ubi deliquit, egrediatur, poena liberetur, dum reliqui delicti socii poena afficiuntur. Fateor, verum nego, nasci exinde jus puniendi. Civitas praeterea variis uti potest cautionibus, quum peregrinos, a quibus periculum metuit, a finibus suis arcet, aut delinquentes extraneae regioni tradit.

At objiciet forsitan aliquis, poteritne igitur civitas ab altera civitate cogi, ut civem suum, delicto commisso in eam profugum, tradat? Quaestio haec proprie a Jure Criminali est aliena, et ad jus gentium pertinet; videamus tamen, utrum non ex ejus principiis dijudicari possit. Quodsi enim attendamus, civitatem civibus tantum, non exteris, tutelam spondere, sequitur eam non teneri, tradendis peregrinis delinquentibus, alteri civitati in jure tuendo opem ferre.

---

(1) ABEGG. *l. l. p.* 55. *no.* 59.

(2) ABEGG. *l. l. p.* 56. *no.* 51. STELZER *l. l. p.* 88.

(3) EGGER *l. l. p.* 53 *seqq.* ABEGG. *l. l. p.* 56. *no.* 6.

(4) Cf. *Kritische Einleitung in das Französischen Bürgerlichen Recht p.* 354. MARTENS *l. l. p.* 100.

Aliud est, si obligatio aut pactum intervenerit (1). Recte etiam existimat TITTMANNUS (2), civitatem, nisi pactis vel consuetudine aliud invaluerit, obligatam non esse civitati laesae denuntiare, reos in territorio suo morari. Argumentum inde petit, quod civitas, ratione alterius civitatis, teneatur tantum eam in jure suo vindicando non impedire. Verum minus accurate inde concludit, civitatem deditionem rei, a laesa civitate petitam, non posse denegare. Nimirum aliud est, alterum in persequendo jure non impedire, aliud concedere, ut altera civitas imperare possit, quid in altera sit agendum. Hinc non miramur, quemadmodum TITTMANNUS, ejusmodi deditionem saepius simpliciter fuisse negatam (3).

CONCLUSIO.

Ita, ut potui, non ut volui, quid mihi de puniendis delictis, lege civitatis vetitis, atque extra ejus territorium commissis, dicendum videatur, indicavi. Plurimas virorum doctorum opiniones leviter refutavi, atque, ut spero, meam de quaestione opinionem genuinis superstruxi Juris Criminalis principiis. Neque tamen omni causa me liberatum credo, nisi prius investigavero, secundum quasnam leges in ejusmodi criminibus judicandum sit. Disquisitio haec summis involuta est difficultatibus, non quidem ex rei gravitate, verum ex variis potius interpretum commentis orta. Neque lubet tamen, rem quam diligentissime enucleare; simpliciter praecipuas aliorum recensebo sententias, meamque subjungam (4).

Missis igitur omnibus iis quaestionibus, quae hoc loco magno numero moveri solent, duas tantum diversas memorabimus opiniones, quibus omnes fere aliae continentur.

---

(1) Aliud est, utrum civitati jus competat, hujusmodi delinquentem tradendi, quod, ni fallor, affirmandum est. Conf. omnino de tota hacce quaestione DE RANITZ. *Comm. laud.* *p.* 22, qui porro *pag.* 24. dijudicat, quid de tradendis delinquentibus exteris praecipiat prudentia civilis.

(2) Vid. *Strafregtspflege p.* 14.

(3) Nobiscum facit MARTENS *l. l.* §. 101. „Le cas des traités excepté, n'est qu'une complaisance, qu'on peut „accorder, où refuser, sans blesser le droit des gens, dans le cas où l'individu aurait dejà été traduit devant le ju„ge, qui reclame le fugitif. et porro §. 103. la poursuite armée d'un criminel, et à plus forte raison son arrestation „et son enlèvement sur un territoire étranger, de même que sa transportation, ne peut donc se justifier, qu'en vertu „d'une permission spéciale, d'une convention, d'une servitude de droit public."

(4) Quodsi haec mea exponendi ratio alicui minus probanda videatur, hanc afferre liceat excusationis causam, quod nonnulla de hoc argumento scripta inspicere non potuerim. Pertinet huc, MOHL *de juribus et obligationibus specialium Germaniae rerumpublicarum, inter se in exercenda jurisdictione criminali, obviis;* GUTJAHR *de exhibitione delinquentium, secundum principia juris publici universalis gentium Romani ac Saxonici. Specim. I. et II.* BUSCHLEB *Comm. de principiis juris publici et gentium, circa comprehensionem, punitionem, vel remissionem peregrinorum, qui in alieno territorio deliquerunt. Gotting.* 1810. WIESAND. *Programma de reo secundum leges loci, ub. deliquit, non semper puniendo; in Observ. Juris Crimin. Spec. II.*

Nonnulli contendunt, civitatem semper debere, secundum suas leges, poenam irrogare, licet cognoscat de delicto foris commisso. Rationes, quibus hanc doctrinam firmare student, sunt sequentes. Quodsi is, qui delictum peregre commisit, civis est, nihil justius est, quam quod poenam, in patria civitate lege scriptam, subeat, quum eas leges etiam extra patriae territorium sequi teneatur. Argumentum hocce forsitan non ita absurdum videri possit, atque doctrinae, quam profitentur ejus patroni, satis conveniens. Quodsi autem peregrinus, propter crimen foris commissum, puniatur, leges patrias valere existimant, quoniam civitas suas tantum, non alienae regionis leges adhibere, atque exsecutioni mandare potest. Primum illud verum esse agnoscimus; at dubitamus, ut ex iis, quae supra disputavimus, apparet, utrum leges patriae indistincte sint adhibendae. Sed ne dicta inutiliter repetamus. Acute autem quaerit ABEGGIUS, quare, cum dictum sit, cives, etiam extra territorium, legibus teneri, excipiantur peregrini, neque secundum suas leges patrias, quibus ubique obedientiam debent, judicentur (1).

Altera, quam volebam, sententia, eorum est, qui dicunt, civitatem poenam infligere debere secundum leges loci, ubi commissum est delictum, aut natus reus. Qui leges patriae, ubi natus est delinquens, observandas esse contendunt, hacce utuntur ratiocinatione, quod quisque civis, etiam extra civitatem, ejus legibus obtemperare teneatur. Haec ad absurda ducere, monet ABEGGIUS. Casum fingit, ubi aliquis, certae cuidam civitati adscriptus, delictum commisit in altera regione, atque in tertiam, ab utraque diversam, aufugit. Haec, dum in ea degit, atque comprehenditur delinquens, jus puniendi acquirit, atque poenam infligit secundum leges patriae civitatis; quas quomodo observare teneatur, facile probari non poterit.

Quibus autem leges loci, ubi commissum est delictum, observandae videntur, agnoscunt reum, neque leges patrias, neque ejus civitatis, quae poenam irrogat, violavisse, sed alterius cujusdam, quae igitur exsecutioni mandari debent. Verum non attendunt, credo, se simul etiam agnoscere, nullum esse posse poenae locum. Obstare praeterea huic sententiae monet ABEGGIUS, civitatem committere non posse, ut alterius civitatis leges in ejus territorio valeant (2).

---

(1) ABEGG. *l. l.* Memoratam opinionem amplecti videtur TITTMANN *Handbuch* §. 68. et *Strafrechtspflege p.* 33. Cf. porro KLEINSCHROD. *l. l.* §. 124.

(2) Leges loci observandas esse docet WESTPHAL *Criminalrecht p.* 98. LEYZER, *Medit. ad ff. Specim.* 644. no. 10. Praeterea multi sunt, qui secundum jus commune (das gemeine Deutsche Recht) poenam infligi volunt. BÖHMER *de delictis extra territorium admissis* §. 17. VON QUISTORP *Grundsätze des Deutschen peinlichen Rechts* §. 35. Fuit etiam quaedam inter eruditos contentio, quid juris esset, si leges loci, ubi commissum erat delictum, aut leges ejus civitatis, unde oriundus erat reus, leviores vel duriores essent. Leviores semper sequendas esse, volebant SEGER *de vi legum et decretorum in territorio alieno.* RUDOLPH. *l. l.* §. 18. WIESAND. *l. l. p.* 12. PUTTMAN in *Elementis Juris Crimin.* §. 88. Duriores praeferebat HERTZIUS *de Collisione legum* §. 9.

Haec de diversis aliorum opinionibus sufficiant, praesertim quum, quia ab aliis profectus sum principiis, in nostra disquisitione nullius esse momenti videantur.

Equidem, simulac omnem hanc quaestionem de industria inspexerim, secundum ea, quae in superioribus posui, principia dubium non esse existimavi, quin delicta, a cive aut peregrino, contra civitatem, atque extra ejus territorium commissa, si de solo jure quaeratur, duplicem poenam mereantur. Duplex in iis adest legis violatio; quod si verum est, omnis de lege aliqua adhibenda intercidit dubitatio. Cives enim vel peregrini, in aliena regione morantes, ejus legibus (ut omni dubio vacat) tenentur. Insuper legibus alterius civitatis subjecti sunt, quippe quae, delicto laesa, laesionis ejus reparationem, poena irroganda, jure ab iis exigit. Quod enim alii volunt, novam poenam irrogari non posse; verum prioris tantum poenae supplementum, quando poena, quam subiit delinquens, levior est illa, quam subiisset, si, inverso ordine, quae posterius punit, prius punivisset civitas, nullo fundamento niti mihi videtur. Affirmare igitur non dubito, eum, qui in una civitate poenam jam subiit, summo jure ab altera civitate, si forte comprehendatur, ad poenam trahi posse. At vereor, ne multis haec mea sententia justo durior videatur. Non diffiteor; neque enim a diversa facti natura, verum a solo locorum discrimine pendet, utrum idem factum, bis an semel tantum, sit puniendum. Fac v. c. aliquem delictum committere in civitate, cui adscriptus est laesus; semel punietur, dum idem delictum, extra eam eidem personae illatum, duplici poena vindicandum videatur. Quodsi ergo dicat aliquis, temperamentum quoddam afferre debere aequitatem et prudentiam civilem, atque tale factum semel tantum esse puniendum, me dissentientem non habebit, licet affirmare non audeam, ejusmodi temperamentum semper esse commendandum. Sed fingamus, illud admitti posse: quaenam tum eligenda civitas, cui puniendi negotium sit committendum? Poenarum ratio, atque diversum, quod laeso cum utraque civitate intercedit, vinculum eam civitatem eligendam esse suadet, in cujus territorio delictum sit perpetratum. Etenim, cur tandem civitas peregrinis, quos in territorio admittit, tutelam tacite promittere censetur? Scilicet, quia propriae civitatis auxilium iis sufficere non videtur, sed alio firmiori opus est, firmissimum autem habetur, certe, quum de puniendis quaeritur maleficis, quod civitas in proprio territorio praestat. Accedit, quod, cum de poenarum exsecutione sit quaestio, earumque vis in hominum animos, ad confirmandam legum reverentiam, primarius sit exsecutionis finis, vix est, ut ad propositum accommodata censeatur poena, eo in loco irroganda, ubi quod punitur, nec admissum, nec forte notum est delictum. Observandum denique, eam tantum irrogandam esse poenam, quae legibus civitatis punientis constituta est. Civitas enim, injuriam sibi suisque illatam persequens, nullam habere potest peregrinarum legum rationem. Poena porro aliqua est reparationis species, quae tamen antea jam est definita. Illius autem definiendae jus, quomodo, quaeso, aliis, quam ipsi laeso, competere potest?

CAPUT TERTIUM.

QUALIS SIT DE NOSTRO ARGUMENTO JURIS GALLICI DOCTRINA.

Cum praecedenti capite indicatum fuerit, quid nobis, secundum philosophica juris principia, dicendum videatur de puniendis delictis, lege civitatis vetitis, atque extra ejus territorium admissis, paucis Juris Gallici doctrinam adjiciemus (1).

Jam ante Codicem, quo etiamnum utimur, in Gallia invaluerat, ut quicumque civis, extra territorium, delictum, legibus Gallorum vetitum, commisisset, in ipsa Gallia judicari ac puniri posset, dummodo poenam mereretur infamiam irrogantem atque corporalem, et insuper in Gallia fuisset deprehensus (2). Ex his autem sequitur, nullam admissam esse distinctionem, utrum ipsa civitas patria ejusve cives, an extranea, quique ad eam pertinerent, laesionem fuissent experti, cum tantum, ubi lex Gallica poenam minitabatur, vindicandum esset delictum. Fortasse hinc factum, ut haec legis dispositio deinceps, in exemplo novi Codicis Criminalis, aliquantum fuerit limitata. In hoc crimina, propter quae poena infligi possit, diligenter sunt enumerata, ejusmodi nimirum, quae publica sint, atque insigne reipublicae detrimentum afferant (3). Videtur etiam plerisque placuisse haecce mutatio, cum e tribunalibus, quae in dictum Codicis exemplum observationes suas exponere debebant, pauca tantum ad *Art.* 451. quaedam monuerint (4).

Quod ad peregrinos attinet, qui foris adversus Galliam delictum committunt, supra dicto codice *des délits et des peines* cautum est, eos neque in Gallia in jus vocari, neque puniri posse. Excipiuntur tamen ejusdem Codicis *Art.* 12. ii, qui extra Galliam nummos in Gallia usu receptos, vel chartas pecuniae locum tenentes adulteraverint, vel tales scientes et volentes exposuerint (5).

§. 2.

---

(1) Quid apud alias gentes juris sit, exponere nil attinet, praesertim cum illud non exegerit Nobill. Ordo. Nonnulla huc facientia habet ABEGG, *l. l. p. 67 seqq.*

(2) Vid. *Code des délits et des peines du* 3 *brumaire a.* 4. *Art.* 11. „Tout Français, qui s'est rendu
„ coupable, hors du territoire de la republique, d'un delit auquel les lois Françaises infligent une peine afflictive
„ ou infamante, est jugé ou puni én France, lorsqu'il y est arreté."

(3) Vid. *projét du Code Criminel.* 1804. *Art.* 451. „Tout Français, qui se sera rendu coupable, hors du terri-
„ toire de France, d'un délit attentatoire à la sureté de l'état, de contrefaction de monnaie nationale ayant cours,
„ de papiers nationaux, des billets de banque de France, ou des banques de departement, ou du sceau de l'état,
„ sera poursuivi, jugé et puni en France d'après les dispositions des lois Françaises.

(4) Vid. quae citat WENS. *l. l. p.* 85 et 86.

(5) Vid. *Code du* 2 *brum. a.* 4. *Art.* 13. Notandum autem hoc articulo, tribunalibus *correctoriis*, quae dicuntur

man-

§. 1.

Quid Codice de methodo procedendi in causis criminalibus *jubeatur, de puniendis criminibus, a civibus extra civitatis territorium commissis.*

Quae ad hanc nostrae quaestionis partem pertinet Juris Gallici dispositio, brevis est: omnis enim sequentibus continetur Articulis.

« *Tout Français, qui se sera rendu coupable, hors du territoire de France, d'un crime attentatoire à la sureté de l'état, de contrefaction du sceau de l'état, de monnaie nationale ayant cours, de papiers nationaux, de billets de banque autorisées par la loi, pourra être poursuivi, jugé, et puni en France d'après les dispositions des lois Francaises.*

« *Tout Français, qui se sera rendu coupable, hors du territoire du royaume, d'un crime contre un Français, pourra, à son retour en France, y être poursuivi et jugé, s'il n'a pas eté poursuivi et jugé en pays etranger, et si le Français offensé rend plainte contre lui"* (1).

Variae ex his articulis moveri possunt difficultates, de quibus singulis deinceps videbimus. Ante tamen paucis lubet indagare rationes, quae legislatorem Gallicum ad hanc legis dispositionem sanciendam moverunt. Utilissimum nimirum arbitror, si aliquod juris nostri caput diligentius est examinandum, prius ea consulere, quae in concilio, ubi de comprobandis legibus actum fuit, disputata sunt. Cum orationes illae suasoriae, tum disceptationes super singulis articulis habitae, optime declarant, quid iis sanciendis spectaverit legislator.

Qui coram legislatoribus verba fecerunt, ut hanc legis partem commendarent, fuere amplissimi TREILHARD, REAL, et FAURE. Profitentur, eam non, nisi post longam disceptationem, fuisse acceptam, cum agnoscant, communem esse regulam, ut his in criminibus jus persequendi et puniendi illis magistratibus competat, in cujus territorio crimen sit commissum, vel ejus, in quod sit protractum. Observant tamen, esse crimina, qualia sunt, quae *Art. 5.* enumerantur, quae tanti sint momenti, quod ad internam omnium civitatum securitatem, quorum persecutionem communis omnium gentium salus tantopere efflagitet, ut juste prehendatur delinquens, quum in ipsam illam, quam perdere voluit, civitatem intraverit. Adjiciunt Gallum, qui, extra imperii fines, vitae alterius Galli insidias struxerit, manifeste leges suae civitatis violavisse, atque

---

mandari, ut peregrinos, qui laesionem sive personis sive etiam bonis alicujus alibi attulerint, quae secundum leges Gallicas poena, sive corpus afficiente, sive infamiam irrogante, sit punienda, si appareat in terra extranea de crimine illo fuisse quaesitum, Galliae territorium dicta sententia linquere jubeant, vetentque, ne revertantur, antequam, ubi oportet, judicium subierint.

(1) Vid. *C. d'Instruct. Crrim. Art. 5 et 7.*

que concludunt hinc legis dispositionem justam esse, praeceptisque moralibus certissime consentaneam (1).

Apparet igitur, legislatoris hanc fuisse mentem, ut non tantum propter politicas causas, verum ex juris etiam principiis, delicta foris commissa plecterentur; quae sententia, uti ex superioribus patet, mihi quidem probanda videtur, licet universam amplissimorum virorum argumentationem non admittam.

Quodsi nunc attentius consideremus, quibusnam dubitationibus ansam praebere possint memorati articuli, primam atque gravissimam illam judico, utrum legislator, propter crimina stricte sic dicta, an propter delicta etiam, poenam inferri voluerit. Quaestio est, a qua plurimum sane pendet, quamque adeo paullo diligentius exponemus. Unicuique notum, Jure Gallico admissam esse distinctionem inter crimina stricte sic dicta, delicta, et contraventiones (2). Hinc etiam, in Codice Poenali, sexcenties disjunctim occurrunt, quemadmodum v. c. in inscriptione libri tertii *des crimes, des délits* et *de leur punition*: conf. porro *Art.* 1. *C. P.* Quod ad articulum 5 attinet, res omni dubio vacat. In eo enim crimina, poenis vindicanda, accurate describuntur, ita ut nequaquam ad alia, sive crimina, sive delicta, extendi possit. Aliud autem est de *Art. 7.* Verum inquiet aliquis, ubi igitur est dubitandi ratio? Quae attulisti, ea luculenter probare videntur, Jure Gallico distingui inter crimina et delicta; atqui in Art. 7. unice memorantur crimina; nihil ergo impedit, quo minus de iis tantum intelligendum articulum dicamus. Non ita; adest ratio satis memorabilis, quamque suggerit ejusdem Codicis articulus 24. Agitur in capite illo de officio Procuratoris regis, « les fonctions (ita legitur in dicto articulo) lorsqu'il s'agira de *crimes* « ou de *délits* commis hors du territoire Français, dans les cas énoncés aux articles « 5, 6, 7, seront remplis par le Procureur du Roi, du lieu ou residera le prevenu, « ou par celui du lieu, ou il pourra être trouvé, ou par celui de sa dernière residence « connue." Nonne igitur videri possit, articulum 7. ex artic. 24. esse supplendum, ita quidem, ut civis in Gallia puniri possit, non tantum propter crimen, verum etiam propter delictum, foris commissum. Dissentiunt hac de re juris interpretes. Nonnulli affirmando respondent, utrumque articulum nimirum esse conjungendum, ita ut in alterum transferatur, quod ibi deest, in altero autem diserte jubetur (3). Negat vero CARNOTUS (4).

---

(1) Vid. *Discours à la séance du 7 Nov.* 1808. *Motifs du C. d'Instr. Cr. p.* 12.

(2) Vid. v. gr. *Art.* 1. *Cod. d'Instr. Cr.* L'action en réparation du dommage causé par un *crime*, par un *délit*, ou par une *contravention* etc.

(3) Memorandi hic sunt LE GRAVEREND *Traité de la legislation Criminelle en France. tom. I. p.* 99. *no.* 3. SIREY *Receuil des arrêts tom.* 17. *P.* 2. *p.* 242. et BERRIAT DE ST. PRIX, *Cours de droit Criminel. p. I. c.* 4. *p.* 34. *no.* 3 *et* 4.

(4) Vid. CARNOT *de l'Instruction Criminelle ad Art.* 7. *tom. I. p.* 57.

Pertinet huc causa, ante aliquot annos coram tribunalibus Gallicis acta, quam totam afferemus, praesertim cum diversam judices in ea pronuntiaverint sententiam (1). Civis quidam Gallicus, qui surreptionem fraudulosam (escroquerie) *Cod. Poen. Art.* 405. inter delicta enumeratam, ab aliis civibus Gallicis in regione peregrina passus fuerat, postea adversus eos, in Galliam reversus, querelam movit. Hanc ut eluderet, unus e reis, cui Langii nomen, fori exceptionem proposuit.

Qui primum sententiam dixerunt, existimaverunt, judicem tantum loci, ubi fraus commissa esset, de querela illa pronuntiare posse, quoniam factum, foris perpetratum, delictum esset, nullaque iis de delictis judicandi concessa esset facultas (2). Verum longe aliud placuit Curiae regiae Colmariensi, ad quam appellatum fuit, quaeque variis rationibus usa, sententiam judicum inferiorum improbavit (3).

---

(1) Vid. *judicium diei* 23 *Aug.* 1820, apud SIREY *tom.* 20. *P.* 2. *p.* 336.

(2) Ipsas sententias, quales eas refert SIREY, adscribam: 17 *Août* 1819, *jugement du tribunal correctionnel de Colmar, qui declare les parties plaignantes non recevables.* „Considérant, que la teneur des articles 5 et 6. et notamment des articles 7 et 24. Cod. d'instr. crim., doit faire envisager les exceptions de Lang, comme n'étant point sans fondement; qu'en rapprochant de ces articles les pensées, qui ont servi à leur confection, on remarque, que le législateur n'a entendu evoquer de l'étranger pour l'exercice de la justice répressive, quant aux actes répréhensibles commis de Français à Français hors du royaume, que les crimes seulement, et non, ce qui est qualifié délit, aux exceptions près portées par les art. 5 et 6. dudit Code; qu'on ne peut supposer, que lors de la rédaction du Cod. d'instr. crim., l'expression de *crime* eut encore renfermé celle de *délit*, puisqu'a cette époque déjà les orateurs du gouvernement avaient formellement établi les distinctions de *crime*, *délit* et *contravention;* qu'il resulte donc de ces dispositions de la loi, et de la circonstance, qu'il ne s'agit, au cas particulier, que d'un délit, la certitude, que les exceptions sont fondées."

(3) Judicium ejusmodi est: „La cour, considérant, que l'article 7. du Code d'inst. crim., si l'on ne s'attache qu'au texte et à la lettre, n'est applicable, que lorsqu'il y a crime, mais qu'il y a plusieurs motifs pour faire l'application de cet article, aussi lorsqu'il y a délit;

„1°. Dans le Code d'inst. crim. le legislateur confond très souvent, les mots de crime et délit, et semble les assimiler dans leur application.

„2°. Cet article 7. est absolument isolé des articles 5 et 6, qui précèdent, ces deux articles portent, qu'un Français, qui s'est rendu coupable, chez l'étranger, d'un crime attentatoire à la sureté de l'état, peut être poursuivi et jugé en France, quand même il n'y serait pas rentré, et qu'il en serait absent: au lieu que l'article 7. porte, qu'un Français, qui s'est rendu coupable d'un crime envers un autre Français chez l'étranger, devient justiciable des tribunaux Français, si trois conditions se rencontrent, savoir: 1°. si le coupable est de retour en France; 2°. s'il n'a pas été poursuivi chez l'étranger; 3°. si le Français offensé a rendu plainte en France: ces trois circonstances semblent n'avoir aucun trait à la considération, si c'est un crime ou un délit; elles militent egalement dans le cas du délit et du crime, et il y a parité de raison, en l'un et l'autre cas, pour juger la contestation en France, et ne pas la porter chez l'étranger.

„3°. Il semble d'ailleurs, qu'il est de l'intérêt public national, qu'en matière de délit, comme en matière de crime, des Français, dont l'un est coupable envers l'autre, dès qu'ils sont tous deux présents en France, y soient jugés plutôt, que chez l'étranger.

„4°. La lecture attentive de l'article 24. du Code d'instr. crim., semble rendre sensible, que l'article 7. est applicable aux délits comme aux crimes, puisque cet article 24. les confond.

Licet multa, uti ex iis, quae attuli, patet, ab utraque parte satis probabiliter disputari possint, mihi, postquam diu dubius haeserim, affirmantium opinio videtur admittenda, quamquam dissentiat WENSIUS, qui CARNOTUM auctorem sequitur. Etenim argumenta, quae affert vir doctissimus, rem, me judice, nequaquam conficiunt, neque satis refutant ea, quae memoravit Curia Colmariensis. Fateor, me non eam cum *Codice de methodo procedendi in causis criminalibus* contraxisse familiaritatem, ut dijudicare possim, utrum jure, nec ne, dixerit curia, criminis et delicti nomina in illo Codice saepius confundi; at tantam auctoritatem curiae concedendam arbitror, ut censeam, eam non sine idonea causa tale quid pronuntiasse. Quod autem dicit CARNOTUS, cujus verba referam, « l'article premier a établi en effet une ligne de démarcation très prononcée entre les crimes, les délits, et les contraventions, et l'on ne peut supposer, que le legislateur ait entendu les comprendre tous sous la même denomination dans l'article 7, qui fait partie du même chapître", non multum mihi efficere videtur. Huic nimirum argumentationi alteram liceat opponere, quod, nisi admittatur nostra opinio, non quidem in eodem capite, verum non longe a se invicem, duo legantur articuli, qui nequaquam conciliari possunt. Nam, quo tendunt verba, *lorsqu'il s'agira de délits, commis hors du territoire Français*, in *A.* 14. obvia, nisi Galli etiam propter delicta, foris commissa, in Gallia puniri possint? Quid, nonne convenit hoc iis, quae ex orationibus super hac parte habitis, citavi? Nonne, quemadmodum is, qui vitae civis insidias struxit, ita et qui alterius bona fraude abstulit, leges civitatis violasse censendus est?

Recte igitur, ut opinor, contendit curia, eandem esse in delicto, quam in crimine, puniendi rationem. Objicit Wensius difficultatem probationis, sumtus de publico in illam impendendos, aliaque, legislatorem potuisse movere, ut de criminibus tantum, non de delictis constitueret: sed, ubi salus civitatis juriumque securitas contrarium efflagitat, haec nihil valere debent. Porro urget, quod, licet omnia vera essent, nihil probarent, quum etiam aliis in locis, ubi similis apparet ratio, de criminibus et delictis diversa praecipiantur. Verum dubito, an exemplum, quod allegat, de ratione nimirum, qua in criminibus et delictis conatus *Cod. poen. Art.* 2 *et* 3. punitur, per omnia quaestioni, de qua agimus, simile sit. Quod praeterea dicitur, legem poe-

---

„ 5°. Enfin les commentateurs de notre législation criminelle, un seul excepté, sont tous d'avis, que cet Art. 7. doit s'etendre aux délits, comme aux crimes.

„ Par ces motifs, a mis l'appellation, et ce dont est appel, au néant: émendant, sans s'arrêter aux exceptions déclinatoires, renvoie les parties à se pourvoir au tribunal correctionnel de Colmar, pour y être jugés au fond par des juges autres, que ceux qui ont rendu le jugement dont est appel, condamne Samuel Lang, demandeur en exception, aux depens."

poenalem oportere diserte statuere, multum valet, si agatur de legibus ferendis, parum, si difficultas, quae iis inesse videtur, explicanda sit. Denique quod affert WENSIUS, omne, quod contra juris rationem est admissum, non esse protrahendum ultra disertam legis dispositionem, nos non curamus, quum nobis non, quemadmodum viro doctissimo, videatur juris rationem non sinere, ut civitas poenam sumat de facto foris patrato.

Si, ut ad alia transeamus, dispositionem utriusque articuli 5 et 7 accuratius inspiciamus, apparebit, aliquam esse inter utrumque differentiam. Crimina adversus rempublicam severius puniuntur, quam quae adversus privatos committuntur. Art. 5. cavetur, unumquemque, qui unum ex memoratis criminibus commisit, semper puniri posse, non addita distinctione, utrum jam in regione peregrina poenam passus sit, nec ne, quod secus est in criminibus, quibus laeditur privatus, ut docetur diserte *Art. 7*. Ratio est, quod crimina *Art. 5.* memorata gravissima sint, atque ipsi civitati maxime noxia, ita ut fere non leviorem poenam, quam capitalem mereantur. Praeterea observandum, in criminibus publicis accusandi potestatem etiam procuratori regis ratione officii competere, dum in privatis laesus tantum jus habeat querelam movendi (1); in illis etiam adversus absentem, in his non nisi adversus reversum judicium institui posse. Sequitur hinc, licere propter crimen publicum reum etiam per contumaciam condemnare, cujus condemnationis graves sunt effectus (2). Unum illud, in quo majus quid continet *Art. 5*, hoc est, quod eo indistincte mentio fiat omnium criminum.

Comparata ita utriusque Art. dispositione, alias quasdam difficultates, quibus ansam praebent, paucis examinabimus (3).

Ita, primo loco, rogare possit quis, utrum propter falsum commissum in notis et siglis, quae publico nomine, vel aureis argenteisve opificiis, vel chartis diversi generis, aliisve rebus imponuntur, poena possit irrogari. Constitutum hoc reperimus Codice criminali regni Belgici (4). Recte, ut videtur, negat CARNOTUS n°. 5. Notae enim illae

---

(1) Ante Codicem, quo nunc utimur, non idem juris erat. Poterat enim Gallus semper puniri in Gallia, propter crimen commissum adversus civem Gallum in regione peregrina. Vid. JOUSSE *traité de la justice criminelle*, *tom.* 1. *p.* 428. et LE GRAVEREND *l. l. p.* 98. *n.* 1.

(2) Vid. *Code d'instr. crim. A.* 471, 476. et *Arrêt de la cour de cassation apud* PAILLIET *ad Art.*

(3) Non assequor, quid sibi velit quaestio a WENSIO inter multas alias proposita, an nimirum poenae locus sit, si in nummis extraneis, per Galliam usu non receptis, falsum sit commissum. Existimat, si unice spectemus Art. 5, affirmandum videri, quoniam ibi tantum sermo est de nummis usu receptis, non addito loco, ubi recepti esse debeant. Contrarium tamen verum esse ostendit ex comparatione *Art.* 132, 133, 134. *Cod. Poen.* Verum mihi nulla omnino adesse videtur dubitandi ratio, quum dicatur in Art. 5, *de monnaie nationale ayant cours*, atque igitur tantum de iis nummis, qui in Gallia cusi sunt, neque de exteris agatur. Vid. *diss. laud. p.* 104.

(4) „ *Art.* 2. Ingezetenen van dit Koningrijk, zich elders schuldig makende aan misdaden, door welke de vei-

et siglae non continentur generali nomine *sigilli* (sceau de l'état), quo usi sunt legislatores, neque licet a paritate rationis argumenta in contrarium deducere. Aeque facile dijudicatu est, quaenam crimina intelligenda sint, civitatis securitati nocere, (crime attentatoire à la sureté de l'état), omnia nimirum ea, quae nominatim indicantur, Codicis Poenalis *l.* III. *tit.* 1. *c.* 1.

Majoris momenti quaestio est, num civis, qui matrimonium jam iniit, eoque nondum soluto in peregrina regione uxorem duxit, deinde in Galliam reversus ab altera illa uxore bigamiae possit accusari. Ratio dubitandi inprimis in eo sita est, quod secundum *Art.* 7. requiratur ad accusationem juste instituendam, poenamque infligendam, ut laesio illata sit Gallo, isque querelam moveat, nulla vero habeatur ratio laesionis extra Galliam a Gallo peregrino illatae. Existimat hinc GRAVERENDIUS, in casu proposito secundam conjugem, tamquam extraneam, non esse audiendam (1). Mihi autem liceat a viri egregii sententia discedere. Existimo, feminam, quae Gallo nubit, non amplius esse extraneam. Per matrimonium enim jura civitatis Gallicae acquirit (2) ideoque, ut recte monet BERIATUS SANCTO PRICIUS, civis Gallica est habenda (3). Affert quidem GRAVERENDIUS, si hanc admittamus opinionem, peregrinam eo ipso temporis momento, quo Gallo nubit, civem Gallicam fieri, sequi Gallum numquam peregrinam uxorem ducere posse, atque *Art.* 12. nullam idoneam continere sententiam, nullaque de causa Codici Civili esse insertum (4). Verum, ni fallor, eodem illo *Art. Cod. Civ.* omne illud jus constitutum est, illo sancitur, peregrinam Gallo nubentem ejus conditionem sequi, atque igitur Gallicam civem fieri, neque assequor, quomodo, dum haec vera sint, dici possit sine idonea ratione Codici insertus. Pertinet ad hanc quaestionem judicium a Curia Cassationis latum, quod refert SIREY (5). Sarrazinus quidam militum praefectus Gallicus, anno 1810 in Angliam trajecerat, ibique, licet jam anno 1799 in Italia nuptias contraxisset, novum inierat matrimonium. Hunc, post aliquod temporis spatium in Galliam reversum

---

„ ligheid of welvaart van hetzelve, of van deszelfs gouvernement wordt benadeeld, of in gevaar gebragt, of aan „ het namaken van inlandsche geldmunten, of het valschelijk namaken, of vervalschen van eenige instrumenten, „ zegels, stempels of merken, welke op openbaar gezag, binnen dit Koningrijk gebruikt worden, zullen mede „ naar dit Wetboek gestraft worden."

(1) Vid. Le GRAVEREND *l. l. p.* 98 *et* 99.

(2) Vid. *Cod. Civ. Art.* 12. „ L'étrangère, qui aura épousé un Francais, suivra la condition de son mari."

(3) Vid. BERRIAT DE ST. PRIX *l. l. p.* 36. *observ.* 5. *no.* 3.

(4) Conf. *l. l. p.* 99. S'il en était ainsi, si comme on a prétendu, l'instant ou la qualité d'épouse et celle de „ Francaise se fixe simultanément sur l'étrangère épousée, sont indivisibles, et s'il n'existe pas un moment, ou le „ crime, que peut former le mariage contracté avec elle, puisse être reputé commis envers une étrangère, il faut „ donc soutenir, qu'un Francais n'épouse jamais une étrangère, et que l'Art. 12. du C. C., qui sert pourtant de „ base au systême que je combats, est un nonsens dans la loi."

(5) Vid. *judicium diei* 18 *Febr.* 1819. apud SIREY *receuil. t.* 19. *p.* 1. *pag.* 338 *seqq.*

sum. bigamiae accusavit secunda conjux, mulier nempe illa Anglica. Defendit Sarrazini causam SIREY, quae etiam causa, ut monet WENSIUS, multas in facto adjunctas habebat rationes admodum singulares. Curia tamen judicavit, mulierem peregrinam, Gallo nubentem, civem Gallicam fieri, adeoque recte querelam de bigamia movere posse. Non enim ipso jure nullum erat matrimonium, quod in Jure Gallico locum non habet, verum subsistebat, donec judicis sententia nullum declararetur (1). Pronunciatum igitur est, Sarrazinum jure esse accusatum, eumque de bigamiae crimine esse judicandum.

Commode porro hic disputari potest, quid juris sit, si crimen in Gallia coeptum, atque extra ejus fines consummatum sit, reusque non fuerit reversus. Ponamus sequentem casum. Gallus in via publica, prope Galliae fines, civi ejusdem regionis aliquam pecuniae summam furto aufert. Hic furem persequitur, at cum ultra fines pervenerint, ab eo occiditur. Res defertur ad judices Gallicos; poteruntne illi per contumaciam furem homicidii condemnare? Hujus causae decisio mihi quidem non ita facilis videtur (2). Existimat WENSIUS illud affirmare CARNOTUM, licet in loco, ubi eam rem attigit, tantum agat de publicis criminibus (3). Optandum fuisset, ut vir amplissisimus accuratius illa, quae citat, judicia exposuisset, quo melius de ejus sententia judicari potuisset. Etenim nunc, licet concedam WENSIO, ultima illa verba, quibus utitur CARNOTUS, nisi ea de privatis criminibus accipiamus, quodammodo videri supervacanea, ex iis tamen conficere non audeam, JCtum nostram quaestionem affirmavisse. Quodsi diligenter attendamus ea, quae Codice Gallico hac de re sancita sunt, dubito, an non in causa proposita, propter furtum tantum in Gallia commissum, juste poena infligi possit, quoniam Art. 7. expresse requirit, ut delinquens fuerit reversus (à son retour en France), neque ergo absens de crimine foris commisso puniri debeat (4).

---

(1) Vid. *C. C. Art.* 488. „L'époux, au préjudice duquel a été contracté un second mariage, peut en demander la nullité du vivant même de l'epoux, qui etait engagé avec lui:" videtur autem dicendum, tale matrimonium omnes effectus a parte uxoris, quae in bona fide fuit, producere, argumento *Art. C. C.* 28.

(2) Sponte patet hic tantum de criminibus, quibus laeduntur privati, sermonem esse, quum propter publica crimina, quae continentur *Art* 5, etiam absentes condemnari possint, ut supra docuimus.

(3) Vid. CARNOT *l. l. ad Art.* 5, *no.* 7. La poursuite d'un crime commis en France, lors même qu'il n'aurait reçu son complement qu'en pays étranger, appartient aux tribunaux Français. Celui qui s'en serait rendu coupable, devrait être jugé et puni par les tribunaux Francais, lors même, qu'il ne serait pas rentré en France (ARRÊT *du* 18 *Avril et* 4 *Nov.* 1806).

(4) Timide meam qualemcumque protuli opinionem. Nam, praeterquam quod res mihi non satis probata videatur, obstat magnum in jurisprudentia nomen, MERLINUS, atque Curiae supremae auctoritas. Agitabatur nimirum anno 1805 in Gallia quaestio non multum dispar. Curiae supremae judicandum erat, de conatu merces prohibitas in Galliam vehendi, eumque secuta rebellione armata, qua repulsi fuerant, qui vectigalibus colligendis praepositi, e territorio Gallico in Belgicum transierant. Judices, ad quos res erat perlata, poenam statuere noluerunt de facto, in terra

Sed fingamus, civem Gallicum crimen foris adversus popularem commisisse, atque eam ob rem a judice peregrino per contumaciam esse condemnatum; redit dein in patriam: potestne denuo in judicium vocari accusante laeso? Non credo. Sed sententiam non est passus. Recte, verum illud art. 7. non requiritur. Sufficit tantum, si in regione peregrina judicium de eo fuerit latum, *s'il n'a été poursuivi et jugé en pays étranger* (1). At objiciet forsitan aliquis, nonne ejusmodi sententia in terra peregrina adversus Gallum lata, si aufugerit hic, in Gallia exsecutioni est mandanda? Existimat CARNOTUS hic distinguendum esse, utrum nimirum condemnatio tendat ad poenam, an vero ad damni reparationem. Quodsi prius locum habeat, dubium fere non est, quin negando sit respondendum. Nam si magistratui facultas non concedatur, nisi in casibus Art. 7. definitis, aliquem in judicium vocandi; quomodo ei licebit, poenas alibi pronuntiatàs infligere? Accedit, quod ex comparatione Art. 2123. C. C. confici potest, hanc etiam fuisse legislatoris mentem (2). Cavetur ibi, hypothecam ex judiciis in terra peregrina latis non posse constitui, nisi haec a tribunali Gallico fuerint confirmata, atque decretum fuerit, ea exsecutioni mandari posse. Quodsi igitur, in causis civilibus, vim non sortiantur judicia peregre lata, merito statuere mihi videor, illud neque in judiciis criminalibus obtinere, quae porro examini ulteriori subjici non possunt. Aliud forte statuendum de condemnatione ad damni reparationem, quoniam, ut memoratus docet articulus, judicia, in causa civili pronuntiata, confirmari possunt.

Hactenus non attigimus rationem, qua ejusmodi crimina in Gallia judicari debent; quod tamen, cum variae etiam hac opportunitate moveri soleant quaestiones, praetermittere nequaquam licet. Ita v. c. accidere posset, ut laesus, qui querelam instituerat, deinde ab ea desisteret, Mihi quidem in arbitrio laesi positum non esse videtur, quominus judicium ad exitum deducatur. Potest laesus, non instituenda querela effi-

---

extranea admisso. Horum decretum perperam esse interpositum, atque vi et effectu esse destituendum, censuit MERLINUS, sequenti usus exemplo, ut sententiam suam confirmaret. „ Supposons qu'un étranger commet un vol sur la „ frontière, poursuivi par la personne qu'il a volée un peu au dela des limites de notre territoire, il retourne sur „ elle et la tue, qu'ensuite trouvé en France il y soit arrêté, et traduit devant nos tribunaux, a quelle peine devait „ il être condamné, a celle du simple vol? Non, mais à celle de vol accompagné d'homicide; cependant *l'art.* 13. „ *des dêlits et des pêines* porte, que les étrangers ne peuvent être jugés ni punis en France pour les délits, qu'ils „ ont commis hors le territoire Francais, donc et dans cette hypothèse, le fait commis hors du territoire, ainsi „ que le fait commis sur le territoire, devrait être consideré, comme des éléments d'un même délit complexe „ commis sur le territoire." Hinc Curia decreto suo diei 2 Nov. 1806. viri sententiam confirmavit. *Receuil des arrêts par* SIREY *7. p.* 1. *pag.* 516. cf. HOMAN *diss. l. p. 66 et 67.* qui Merlinum refutat.

(1) Cf. CARNOT. *l. l. art. 7. no.* 4.

(2) *Art.* 2123 *inf. C. C.* L'hypothêque ne peut pareillement resulter des jugements rendus en pays étranger, qu'autant qu'ils ont été declaré executoires par un tribunal Francais, sans préjudice des dispositions contraires, qui peuvent être dans les lois politiques, ou dans les traités.

ficere, ut a judice in crimen non inquiratur; at, simulac res ad procuratorem regis est delata, non committendum, ut temere retractetur (1). Manifestum est, in ejusmodi judiciis poenam secundum legis Gallicae constitutionem esse infligendam. Nam licet in Art. 7. nihil hac de re dicatur, atque juris rationi convenire multis videatur, ut ea, quae in loco, ubi committitur delictum, viget, poena infligatur, patet tamen normam Art. 5. praescriptam servandam esse. Porro, uti monet WENSIUS, nihil est, quod nobis suadeat, ut existimemus, voluisse legislatorem, ut judices Galli legum extranearum auctoritatem tuerentur, sed magis, ut juris relatio inter cives, quae Gallicis legibus regitur, etiam in terra peregrina consisteret, neque soluta intelligeretur (2). Sed quisnam judex de crimine cognoscet? Art. 24., quem supra attulimus, tres memorantur, procurator regis ejus loci, ubi domicilium habet delinquens, aut ejus loci, ubi est comprehensus, aut ejus denique loci, ubi constat eum postremo habitavisse. Existimat CARNOTUS, quodsi concurrant accusatores, potiorem esse eum, qui prius actionem instituit, si simul egerint, rem judicandam esse in loco, ubi jam habitat delinquens (3). Videri forsitan nonnullis possit, quodammodo hic distinguendum esse, an ejusmodi Gallus, qui foris deliquerat, sponte in patriam reversus sit, an eo fuerit coactus, naufragus v. c., obses, captivus. Humanitate ductus illud ait CARNOTUS (4), iniquum judicans, alicujus infortunium poenae opportunitatem dare. Neque etiam diffiteor, illud perquam durum esse, verum lex simpliciter postulat, ut fuerit reversus (à son retour): vereor igitur, ne, hanc distinctionem admittentes, a voluntate legislatoris aberremus.

Possem hic in explicanda hacce juris Gallici doctrina subsistere, nisi quaedam superessent, quae sine negligentiae reprehensione praetermittere non liceret. Facile unicuique in mentem veniet, rogare, quemnam igitur effectum habeat condemnatio, in regione peregrina facta; porro, an crimen ejusmodi locum det graviori poenae, novo crimine perpetrato, infligendae (*recidive*), ac quonam tempore iis praescribatur. Ad singula deinceps respondebimus. Supra jam quaedam disputavimus, ad primam quaestionem pertinentia, ubi inquisivimus, utrum liceat poenas foris pronuntiatas in Gallia infligere. Tenendum, condemnationem in extera regione factam, ibi tantum valere, ubi valent leges, secundum quas facta est. Si quis igitur poenam subiit infamiam irrogantem, in Gallia infamiae macula notatus non censetur (5). Quodsi scire velimus, an propter crimen, peregre commissum, locus sit graviori poenae, ubi secundum accesserit delictum, animadvertere debemus, quae universe ea de re Codice Poenali sunt constituta. *Art.* 56. dicitur, ut quicumque fuerit damnatus propter crimen aliquod, alterumque commiserit, secundum poenae qualitatem gravius puniatur. Hinc requiritur, ut fuerit damnatio, atque sponte patet, si damnatio locum habuerit in terra peregrina, graviori poenae locum non esse, quum, ut dixi, talis condemnatio in Gallia nullam vim habeat (1). Aliud est, si damnatio in Gallia locum habuerit. Denique dubium fere esse non potest, quin criminibus illis eo, quod praecipit lex Gallica, tempore praescribatur. Poena enim secundum leges Gallicas infligitur, atque, cum non exceperit crimina peregre perpetrata, eadem etiam in iis principia servanda sunt (2).

---

(1) CARNOT *ad Art.* 6. *no.* 6.

(2) Vid. WENS. *Diss. l. p.* 15.

(3) CARNOT *ad Art.* 24. *no.* 3.

(4) *l. l. ad Art.* 7. *no.* 13.

(1) Conf. BERRIAT DE ST. PRIX p. 83. „Mais l'a t'il aussi contre le delinquant Français, condamné de sorte „par

Sic, ut spero, leviter saltem exposui doctrinam juris Gallici, quod ad delicta a Gallis extra patriam suam commissa. Verum ab hoc argumento desistere non possum, nisi duas attigerim quaestiones, quae non directe quidem, verum quodammodo tamen eo referri possunt. Facile accidere potest, ut Gallus quidam peregre extraneum, ejus, in qua degit, regionis civem, delicto laedat. Quodsi comprehendatur, sine dubio secundum leges hujus regionis judicandus est. Verum ponamus eum, ut poenam effugiat, in Galliam redisse: poteritne tradi, postulante altera illa civitate? Existit de hac re decretum Imperatoris, quo statuitur, ut, si quando talis postulatio fieret, Imperator, causa cognita, auditoque ministro, qui rebus judiciariis praeest, quemadmodum ei videretur, decerneret (5).

Secunda, quam ante oculos habebam, quaestio, huc redit. Gallus quidam in civitate extranea, a copiis Gallicis occupata, crimen committit, qua hanc civitatem ejusve cives laedit. Ubinam judicandus est? in Gallia, an vero in regione illa peregrina? Equidem non video, quomodo ex legibus Gallicis demonstrari possit, ejusmodi hominem in Gallia esse judicandum. Eo enim requiritur, ut civis Gallicus delicto laesus sit. Perhibent nonnulli talem tractum, a Gallis occupatum, videri hanc ipsam ob causam Galliae partem efficere. Placuit hoc Curiae Assessionum in tractu Pyrenaeorum versus orientem. Haec Gallum puniri jussit, propter crimen, in Catalonia adversus Hispanum commissum, eo tempore, quo exercitus Gallicus regionem il-

---

„ par exemple, que frappé a l'étranger, d'une peine opérant la mort civile, il soit consideré comme mort civilement „ en France? Non." Conf. RICHER *de la mort civile l.* 1. *S.* 8. *p.* 38.

(2) Observat WENSIUS p. 115, judicem in determinanda poenae mensura attendere posse ad id, quod accusatus aliquando peregre admisit. Ita jam, uti porro monet, respondent antiqui juris doctores apud BAVONEM *in praxi et theoria criminali* §. *furtum* no. 68, propterea quod reus perseveravit in malitia delinquendi. Alii fuere, qui in casu proposito poenam propter iteratum delictum inferri posse existimaverint, quos inter CLARUS *Sententiarum l.* 5. §. *furtum no.* 13. Humanius sensit RENAZZI *Elementa l.* III. *c.* 5. *no.* 3.

(2') Le GRAVEREND *l. l. p.* 69. *no.* 3. Principia illa continentur *C. d'instr. crim. Art.* 635 *seqq.*

(3) Cf. Décret imperial rélatif au cas, ou un gouvernement étranger demanderait l'extradition d'un Francais prevenu d'avoir commis un crime contre des étrangers, sur le territoire de ce gouvernement; diei 24 Oct. 1811. *Bulletin des loist tom.* 15. *anni* 1811. *no.* 7409. Add. Clar. KEMPER *Jaarboeken van het Fransche regt. tom.* 1. *part.* 3. *p.* 143.

illam tenebat, quam Galliae jam accensendam esse Curia judicabat (1). At melius, me judice, pronuntiavit Curia suprema, quae hancce sententiam rescidit, quippe quod sola occupatio a militibus facta non efficeret, ut regio aliqua ad Galliam pertinere videretur, quum jura civitatis Gallicae incolis concedi non possent, nisi per documentum publica auctoritate ea de re editum, quod nunquam obtinuerat (2).

§. 2.

Quid Codice de methodo procedendi in causis criminalibus jubeatur de puniendis delictis, a peregrinis, extra Galliae territorium, commissis.

Vidimus *cap.* II. peregrinum, qui civem, vel etiam civitatem universe laedit, si eum prehendere possit, recte ab illa civitate puniri, quippe cujus consilium est, ut se suosque cives, quantum fieri possit, adversus omnem omnino juris diminutionem tueatur. Hocce principium admiserunt quodammodo juris Gallici conditores, licet politicis magis rationibus ducti. Sanciverunt enim *Art. 6. Cod. d'instr. crim.*, ut peregrini propter crimina Art. 5. enumerata, quaeque §. 1. *huj. cap.* exposuimus, in Gallia perpetrata, puniri possent, sive in Gallia fuissent comprehensi, sive a summo imperante peregrinae regionis traditi. *Cette disposition pourra être étendue aux étrangers, qui auteurs ou complices des mêmes crimes, seraient arrêtés en France, ou dont le gouvernement obtiendrait l'extradition.*

Quaestiones, quae ad hunc articulum moveri possint, nullas fere video, quum quod §. *praec.* dictum fuit, pro maxima parte etiam hic valeat. Peregrinum v. c. propter delicta foris commissa, puniri non posse, sponte patet. Causae enim, propter quas poena juste infligitur, accurate Art. 5. enumerantur, neque ad alias extendi potest constitutio. At inquiramus rationes, quibus moti Gallici legislatores hanc constitutionem Codici inseruerunt. In summo imperii concilio ea de re fuit deliberatum, atque illustr. TREILHARDUS, cujus verba supra memoravimus, ita constitutum docet propter criminum gravitatem, delinquentis audaciam, et commune gentium commodum; GRAVERENDIUS legis originem quaerendam putat in relatione, quae conspicitur inter moratiores gentes, easque amicas, cujus vi nonnulla ad communem securitatem sibi invicem concedere ac praestare obligantur (3) (4).

Lu-

---

(1) Vid. *Arrêt du* 17 *Nov.* 1817. apud SIREY *tom.* 18. *p.* 1. *pag.* 178.

(2) SIREY *ibidem p.* 179. Antea aliter iudicaverat curia: *arrêt du* 18 *Oct.* 184. apud eundem., *tom.* 12. p. 1. *p.* 122. Verum haec causa multa habebat singularia, quoniam crimen commissum erat, ante promulgatum Codicem poenalem anni 1810, iudicium vero postea demum institutum. Vid. porro WENSIUS *p.* 119.

(3) Vid. *l. l. p.* 97. „L'on sent que l'espèce de solidarité, qui existe entre toutes les nations civilisées et „leur gouvernement, lorsqu'elles ne sont pas en état de guerre, a du dicter une semblable disposition pour prévenir, „autant qu'il est possible, les manoeuvres désastreuses, dont l'effet est de bouleverser l'état en sapant les fondements „sur lesquelles il repose. Add. MONTESQUIEU *l'Esprit des lois* 1. 3.

(4) Non satis accurate huncce articulum exposuit ABEGG. *l. l. p.* 90, cum dicit: „ein ausländer kann wegen

der

Lubet ultimo loco paucis memorare causam plane singularem, quam nuperrime relatam vidi, quamque hic adjungere haud absurdum judico (1). Ante aliquod temporis spatium in Belgio ancilla nobilis civis urbis Cortraci in judicium fuerat vocata, ob furtum commissum atque raptum minoris. Haec nimirum, cum domini sui filia, quae a patre de mutando religionis cultu dissenserat, in Galliam aufugerat, magnam simul auferens pecuniae summam aliasque res satis pretiosas. Cum paullo post Dunkercae fuisset comprehensa, magistratus Belgici a Gallicis obtinuerant, ut sibi traderetur. Interea saepius jam tentaverant alii, ut ancillam, data pecunia, corruptisque ministeriis, e carcere liberarent, donec tandem morbum, ut videtur, simulans, atque in nosocomium transportata, Comitissae cujusdam, cui nomen de Grandville, ope, custodum diligentiam subterfugeret. Res ad judicem refertur; verum judex, qui Insulis instruendis accusationibus praeëst, omnem rei persecutionem recusavit, quoniam crimen, propter quod accusabatur ancilla, in regione extera fuisset commissum, atque hinc Gallus, qui ei in evadendo auxilium praestiterat, secundum leges Gallicas, poenam non mereretur. Hoc decretum, postulante ministerio publico, rescidit Camera accusationis, quae Duaci est, jussitque simul ream ulterius persequi, eam ob causam, quod, licet delictum non in ipsa Gallia fuisset commissum, regi tamen competeret potestas edicendi, ut ejusmodi delinquentes comprehenderentur, quod non liceret illud edictum, opem iis ad evasionem ferendo, eludere, quodque igitur Comitissa delictum commisisset, *art. 237 et seqq. C. P.* vetitum.

Haecce sententia denuo, petente Comitissa, submissa est Curiae Cassationis, quae eam improbavit, pronuntians, non adesse causas satis idoneas, propter quas Comitissam persequi liceret. Argumenta Curiae huc redeunt. Agnoscit regem, nullo interveniente foedere, jubere posse, ut tradatur delinquens extraneus; atque similiter ei competere jus, talem peregrinum carceri includendi; confitetur porro regiam auctoritatem inprimis contemnere eum, qui curet, ut hujusmodi delinquens evadere posset, verum arbitratur nihilominus, dispositiones eas, quae in Codice poenali inveniuntur circa evasionem rei jure carceri inclusi, non indistincte applicandas esse omnibus causis, sed tum demum, quando delinquens accusatus fuit propter crimen delictumve Gallicis legibus vetitum. Censet leges poenales non esse extendendas, atque in causa proposita, dictam ancillam non fuisse accusatam propter delictum legibus Gallicis vetitum, atque adeo Curiam Duacensem potestatis suae limites esse transgressam.

Ve-

---

der im auslande begangenen Verbrechen nur dann bestraft werden, wen er mitschuldiger an einem der oben erwähnte Verbrechen eines Françösen im Auslande ist, in welchen falle er nach Françösischen gesetze zu bestrafen ist." Etenim non tantum, si ejusmodi criminis socius, verum etiam si ejus auctor est, puniri debet.

(1) Vid. *Diarium, quod Hagae Com. prodit* (dagblad van s' Gravenhage) *diei* 13 *July* 1827.

Verum mihi, (ut recte etiam animadvertit scriptiunculae auctor), Curia Cassationis male pronuntiasse videtur. Primo enim ex iis, quibus usa est, argumentis, illud facile consequeretur, delinquentibus, qui in Gallia, dum rex eos tradendos esse edixerit, custodiuntur, impune cum ab iis, quibus eorum custodia est mandata, tum ab aliis, ad evadendum auxilium praestari posse. De utrisque enim valent argumenta memorata. Praeterea hinc etiam effici potest, obligationem, quam cum aliis gentibus contraxit Gallia, ad tradendos delinquentes earum gentium in Galliam profugos, nullius fere momenti esse, cum unicuique facile eas eludere liceat. Verum non multum valerent, fateor, hae rationes, si contrarium disertis verbis Codice poenali esset sancitum. Dixit hoc Curia Cassationis, verum, ni fallor, non probavit, neque ostendit, eam, quam admittit, distinctionem in jure fundamentum habere. Inspiciamus *Art. C. P. 237.* Sermo in eo est de evasione eorum, qui carceri includuntur (*toutes les fois qu'une evasion de détenus*); in sequentibus articulis poenae pro gravitate aut levitate criminum, quae commiserit profugus, indicantur. Forte igitur hinc conclusit Curia, quod, cum de gravitate aut levitate criminis, cujus reus erat peregrinus, judicare non posset judex Gallicus, neque etiam poenam infligere deberet. Verum nonne judex Gallicus, ab accusatore publico certior factus de criminis a peregrino perpetrati natura, de ejus gravitate, aut levitate judicare posset? Existimaverunt porro legislatores eum, qui reis ad evadendum opem fert, auctoritatem, uti dicitur, publicam laedere. Quid igitur, num minus ea laeditur, si civem, quam si extraneum jussu regis carceri legitime inclusum, evadere curamus? Regi potestas conceditur, jubendi, ut extraneus incarceretur: quominus alter impune hocce regis jussum eludat, ac violet, non prohibebitur? Mihi certe persuasum est legislatorem Gallicum, qui *Art. 238.* ipsos etiam captivos enumerat, tale quid numquam voluisse.

Ita disputationem meam de puniendis delictis lege civitatis, vetitis, atque extra eam commissis, ad finem perduxi. Quaestionem tractavi, quam ab initio jam gravem, in ipso disputationis cursu graviorem etiam esse intellexi. Tantam quippe deprehendi sententiarum multitudinem ac varietatem, tam magnum interpretum sibi invicem adversantium numerum, ut parum abfuerit, quin in summos errores dilaberer. Quodsi autem reputem, quantum ejusmodi disquisitio afferre possit emolumenti, quin utilem mihi operam navaverim non dubito; an vero vobis, Viri Clarissimi, eam probaverim, summopere vereor. Saepius multisque in locis justo fui longior, neque illud corrigere potui aut studui, quia, quae juveni propria sunt, a juvene mutari posse non crederem. Denique nolite succensere, quod saepius ipsa aliorum verba mutuaverim, quum ea, quae referre volebam, optime ab iis relata invenirem. Neque hac de causa reprehendendum me esse arbitror. Est enim, ut mihi videtur, harum scriptionum finis, non ut nova proferant juvenes, verum ut ea, quae diligenti lectione collegerunt, congerant atque connectant. Quod si vobis, Viri Clarissimi, non prorsus inepte fecisse videar, uberrimos me retulisse laboris fructus existimabo.

TANTUM.

> *In ipsis rebus, quae discuntur, incitamenta insunt, quibus ad cognoscendum movemur.*
>
> **CICERO.**

*

WERNERI IMMINK,

OOTMARSIA - TRANS-ISALANI,

THEOL. IN ACADEMIA LUGDUNI BATAVA CANDIDATI;

COMMENTATIO,

DE

QUAESTIONE AB ORDINE CLARISSIMO THEOLOGORUM
IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA A. MDCCCXXVII
PROPOSITA:

„ E JOHANNIS CHRYSOSTOMI *opere de Sacerdotio*, et AUGUSTI-
„ NI, cum *de doctrina Christiana libro* IV°, tum *de Cathechisandis*
„ *rudibus libello;* nec non, ex AMBROSII *de officiis Ministrorum*
„ *Ecclesiae libris*, conquirantur et justo ordine disponantur prae-
„ cepta, quae in Sacro administrando munere etiam nunc in usum
„ suum convertere possint *doctrinae Christianae Interpretes*."

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT D. VIII MENSIS FEBRUARII
A. MDCCCXXVIII.

COMMENTATIO

DE

QUAESTIONE THEOLOGICA.

PROLEGOMENA.

De iis, quae *ad Sacrum Doctoris Christiani munus administrandum* pertinent, etsi non prorsus immerito alicubi dixerit Pfaffius (1) « ex proprio cordis fun- « do, ex propriâ experientia depromi hic necessario debere, sapere si velimus;" non facile tamen quis negaverit, magno cum utilitatis fructu adhiberi etiam posse, quae varii vario tempore ad hanc rem facientia monuerunt. Quis enim dixerit, labores tot virorum doctorum, qui officia doctrinae Christianae Interpretum de industria exposuerunt, vanos fuisse atque inutiles? Aut quis praecepta huc spectantia quae in N. F. occurrunt, plane neglexerit, aut nullius pretii duxerit, quae temporibus antiquis de *munere Sacro* cogitaverint et scripserint viri maxime egregii, Ecclesiae Patres? Gratum omnino multis accidere debet, patrum illorum scripta, quae ab antiquitate ipsa quandam quasi auctoritatem acceperunt, evolvere, eorum opiniones cum nostris conferre, atque videre in quantum a nobis discrepent, in quantum nobis conveniant. Qua jucunditate frui cupiens, ad lectionem Patrum me contuli, ut materiam colligerem ad respondendum quaestioni ab Ordine Clarissimo Theologorum in Acad. Lugd. Bat. propositae, qua rogatur ut:

« E Johannis Chrysostomi, *opere de Sacerdotio*, et Augustini, cum *de* « *doctrina Christiana libro* IV°. tum *de Catechisandis rudibus libello;* nec non, « ex Ambrosii *de officiis Ministrorum Ecclesiae libris*, conquirantur et justo « ordine disponantur praecepta, quae in Sacro administrando munere etiamnunc in « usum suum convertere possint *doctrinae Christianae Interpretes.*"

---

(1) Cit. apud Pfeifferum in *Anweisung für Prediger* etc. §. 14. p. 19.

Placuit quaestionis argumentum, idque eo magis, quo majorem respondendi conatu utilitatis fructum mihi augurarer. Cum enim animo volverem quid e lectione Patrum, eorumque maxime laudatorum; quid e meditatione eorum, quae ad munus gravissimum, quod et ego aliquando gerere in votis habeo, pertineant; quid denique e scribendi exercitatione emolumenti proflueret, magnum sane hunc fructum fore, putavi. Haec igitur fuerunt, quae praecipue me ad scribendum impellerent.

Consilium, quod sibi proposuerunt Viri illi Celeberrimi, non aliud mihi visum est, nisi, ut praecepta patrum colligerentur atque ita disponerentur, ut disjecta quasi membra in unum coälescerent corpus, atque adeo, quoad ejus fieri posset, *Systema* inde *quoddam Theologiae Pastoralis* prodiret. Quod cum pro certo habeam, tale consilium, quantum in me est, respondendo assequi conabor. Antequam vero ad respondendum quaestioni progrediar, pauca de ipsis Patribus, eorumque scriptis, quae hic in censum veniunt, praemonenda videntur!

Initium ducamus a Chrysostomo. Johannes ille, qui ob facundiam Chrysostomus dicitur circa A. 347 Antiochiae in Syria natus est. Patrem habuit Secundum clarum exercitus ducem, matrem Anthusam. Patre mature mortuo, Anthusa filii educandi curam omnem in se suscepit, eumque religionis rudimentis imbuit (1). Praeceptoribus Chrysostomus usus Libanio et Andragathio (2), praesertim in eloquentia multum profecit. Plurium deinde exemplum secutus in foro versari secum constituit, quod tamen vitae genus cum minus ipsi placeret, hinc ad legendam *S. Scripturam* se contulit. Mox Meletium Episcopum Antiochenum audivit, a quo, annum agens 23. baptismate initiatus et Anagnostes designatus est. Hoc officio postquam aliquamdiu functus esset, Monachorum mores amplexus, sex demum annis elapsis e solitudine in patriam urbem rediit, ubi a Meletio diaconus, et quinquennio post a Flaviano, Meletii in Episcopatu successore, presbyter creatus est (3). Hoc autem tempore inprimis apparuit, qualis quantusque vir esset Chrysostomus. Quod quamvis jam antea scriptis et factis satis demonstrasset, nunc habitis pro concione orationibus sacris magis in omnium oculos incurrit. Constat enim tantam ejus fuisse famam, ut undique ad illum audiendum confluerent,

---

(1) Praeter Chrysostomum alios quoque in Patribus Ecclesiae, primas religionis Christianae notitias piis matribus debuisse, patet ex Gregorii Nazianzeni et Augustini Historiâ. Cff. A. Neander in libro cui titulus: *der H. Joh. Chrysostomus und die Kirche* etc. vol. I. p. 2. inprimis not. 2. p. 68 sq. et Cl. A. des Amorie van der Hoeven in libro: *Joh. Chrysostomus, voornamelijk beschouwd, als een voorbeeld van ware Kanselwelsprekendheid.* p. 5 et nota 2. p. 89.

(2) A nonnullis Archagathi nomen ipsi tribuitur. Nostra vero scribendi ratio praeferenda videtur. Cff. Schröckh in *Christliche Kirchengesch.* Vol. X. p. 268. et Cl. v. d. Hoeven l. c. in notis p. 90.

(3) A. 386. Cff. omnino, quae de Chrysostomi vita ad hoc usque tempus scripsit Neander l. c. p. 1 — 119.

rent, tantoque applausu oratorem saepe exceptum esse, ut eo nonnunquam impediretur, quominus concionando rite progredi posset (1).

Ita ab omnibus amatus et honore affectus, Presbyter Antochiae per 12 Annos vitam transegit jucundam (2), donec fraude circumventus, extra urbem ductus, et nolens volens Constantinopolin delatus, Nestorii defuncti loco, in sede Episcopali collocaretur (3). Ab hoc inde tempore multis cum difficultatibus miseriisque ipsi erat luctandum. Eadem, qua antea, in reprehendendis omnium vitiis dicendi libertate hic quoque usus, neque Optimatibus neque ipsi Augustae Eudoxiae pepercit, sed sine discrimine cujuscunque vitia liberrime perstrinxit, unde factum est, ut in multorum odium incurreret. Praeterea invidia, quae semper gloriam comitatur, etiam ipsi fatalis fuit. Nonnulli enim Episcopi, e quibus praecipue memorandi Theophilus Alexandrinus et Acacius, aegre ferentes Chrysostomi famam longe lateque divulgatam, quovis modo ei obesse studuerunt, atque Eudoxiam incitantes, tandem eo rem perduxerunt, ut Chrysostomus A. 402. munere pelleretur. Brevi tamen post in integrum restitutus, iterum jussu Synodi Constantinopolitanae, suffragante Eudoxia, munere motus, atque in exilium missus est, in quo, superatis multis aerumnis, Anno 407. aetatis 60^{o}, vitam finivit (4).

De Chrysostomo multi multa scripserunt, quique rerum arbitri erant, debitis ejus memoriam encomiis celebrarunt (5). Nos vero de hujus viri, nunquam satis praedicandi meritis, nihil amplius addemus, statuentes ipsum scriptis suis erexisse sibi monumentum aere perennius.

Pergimus jam ad Ambrosium, qui, quo tempore aut loco natus sit, certo non constat. Videtur autem Anno circiter 340. Treviris in Gallia ortus esse (6) genere nobili. Pater ejus, praefectus praetorio Galliarum, mature decessit. Quo mortuo, Ambrosius noster cum matre, sorore Marcellina et Satyro fratre, Romae degit, ibique literis operam navavit, donec is esset, qui forum attingere posset. Jam vero Mediolanum se contulit, ubi rebus forensibus felici successu interfuit. Brevi post a Valentiniano Imperatore praefectus Mediolanensis creatus (7) talem se praestitit, ut omnium amorem atque aestimationem sibi conciliaret.

---

(1) Cf. Schröckh. l. c. p. 350 ubi loca ex Chrysostomo citantur quae dicta demonstrant.

(2) Vid. Neander l. c. p. 120 sqq.

(3) Cf. Schröckh l. c. p. 450 sq.

(4) De hac vitae ejus parte lectu dignissima scripsit Neander l. c. Vol. II. toto.

(5) Vid. scriptt. a Schröckhio l. c. pag. 524 seqq. laudatos.

(6) Quod demonstrare conatus est Tillemont not. 1. sur S. Ambroise p. 729 sq. *Memoires* t. X. a Paris 1704. 4°. laudatus a Schröckhio l. supra cit. Vol. XIV. p. 149.

(7) A. circiter 370. Cf. Schröckh ib. p. 150.

ret. Praefecturam vero non diu gessit. Mortuo enim Auxentio (1), ejusdem Urbis Episcopo Ariano, cum acres lites *Catholicos* inter et *Arianos* de *novo Episcopo eligendo* obortae essent, Ambrosius eo missus, ut facundia et auctoritate sua lites componeret, pacemque publicam restitueret, ab omnibus unanimi consensu Episcopus flagitatus est. Dignitatem vero sibi oblatam accipere recusavit; at quidquid faceret, ut Episcopatum a se deprecaretur (2) frustranea fuit opera. Tandem coactus, munus detrectare non amplius potuit. Aqua igitur lustrali tinctus, erat enim adhuc Catechumenus, ad sacrum munus admotus est.

Jam statim, maxima facultatum parte Ecclesiae et pauperibus data, talem se praebuit, qualem cognitum judicarunt. Vitam egit austeram. Quotidie ad vesperam usque cibo abstinens, multum temporis labori, parum quieti dedit. Raro conviviis interfuit, cum sobrietati atque adeo virtuti ea nocere putaret. Munere suo fidelissime functus est. Auctoritatis Episcopalis acerrimus propugnator ipsum Theodosium Imperatorem aliquando eo adegit, ut inter poenitentes veniam peccatorum publice supplex rogaret (3). Religionis Christianae rudis, etsi ad munus obeundum admotus esset (4) magna diligentia et indefesso labore, cito tamen eo pervenit, ut de nonnullis ejus partibus qualiacunque tandem scribere posset. Tantam in Ecclesia Occidentali nominis consecutus est celebritatem, quantam pauci inter patres Latinos adepti sunt. Laudes tamen, quibus vulgo Ambrosium extulerunt, magis ob eloquentiam, qualis tunc temporis erat, parum solidam et accuratam, et propter dexteritatem in rebus agendis atque auctoritatis Clericorum augendae studium, quam ob ingenii acumen et eruditionem eum mereri, (quae est Viri docti sententia) facile crediderim. Inter omnia certe Ambrosii opera, quorum alterum alteri praeferendum, nullum quod omni ex parte summopere laudandum sit, exstare videtur (5).

Reliquum est, ut dicamus de Aurelio Augustino. Hic autem Anno 354° natus est Fagastae, oppido Numidiae. Pater ejus idolorum cultui addictus, hortante uxore Monica, morti jam proximus Christianam religionem amplexus et baptismate Sacro initiatus est. Eadem autem illa filium suum eodem ritu statim initiari noluit, putans (quae opinio illis temporibus admodum vulgaris erat) peccata ante baptismum commissa facilius remitti, quam post hunc ritum susceptum (6).

---

(1) A. 374. cf. Schröckh ib.

(2) Quaenam fecerit, ut munere oblato indignum se ostenderet notavit Schröckh. p. 152.

(3) Vid. Schröckh. ib. pag. 250 sqq.

(4) Hoc ipsius testimonio constat. 1°. enim L. *de Officiis* c. I. dicit: „se de tribunalibus atque administrationis infulis ad sacerdotium raptum, docere alios coepisse, quod ipse non didicisset, atque hinc factum esse ut „prius docere inciperet quam discere."

(5) Mortuus est A. circiter 397. Vid. Schröckh l. l. p. 316.

(6) Vid. Possidium *in vita* Augustini c. I. p. 164. append. ad Tom. X. opp. August. ed. Bened. Antverp.

Puer adhuc Augustinus, Madaurae, quae urbs Tagastae erat vicina, *Grammaticae* et *Eloquentiae* operam dedit; scripta Romanorum legit; atque inprimis poëtis Latinis valde delectatus est, Graecis contra neglectis. Tagastam reversus, vitam egit dissolutam (1); at brevi post, aetatis Anno 17° Carthaginem abiit, ubi ceteris Eloquentiae discipulis facile palmam praeripuit. In vitae autem genere dissoluto persistebat, variisque vitiis erat deditus. Deinde per 9 Annos *Manichaeorum Sectae* addictus fuit; quo tempore elapso, cum eorum opiniones, accuratius cognitae, ei displicere coepissent, horum castra deserere decrevit. Haec animo volvens Romam profectus est (2), ubi postquam aliquantisper esset commoratus, Mediolanum discessit, ibique eloquentiam docuit. Hic Ambrosium audivit, atque singulari modo ad *Sacrae Scripturae* lectionem permotus (3) ab hoc Episcopo A. 387. baptismatis ritu initiatus est. Tandem post varios casus in Africam rediit, postquam sua bona vendidisset, pauperibusque distribuisset, cum amicis quibusdam *rationem vivendi asceticam* secutus est. At quamvis in secessu degeret, fama tamen ipsius per illas regiones longe lateque volitavit. Anno 391 Presbyter Hippone Regio creatus est a Valerio, qui haud diu post Augustinum in Episcopatu collegam adscivit. Mortuo tandem Valerio, hanc dignitatem solus adeptus est. Hoc suo munere magno cum animi ardore fungens, in *haereticorum* erroribus debellandis, nemini fere fuit secundus. Eloquentia, pro illis temporibus fuit clarus, multaque scripsit, quibus magnam nominis famam consecutus est. Nemo sane fuit Patrum Ecclesiae, qui tantum quantum Augustinus effecit, ad doctrinae Christianae formam constituendam, cum ab ejus scriptis plurima repetenda sint, quae multis seculis post eum, vindicarentur tanquam genuina Christi religionis placita: quidque valuerint haec Augustini scripta, serioribus etiam temporibus, lites *Jesuitarum* ac *Jansenistarum* quin et *Protestantium* inter se agitatae, satis superque demonstrant (4). Postquam ad meliorem mentem redierat, severis fuit moribus vitamque egit pietate conspicuam; adeoque vitia ineuntis aetatis, quod etiam in laudem Themistoclis dixit Cornelius Nepos, magnis deinceps emendavit virtutibus.

Bre-

---

verp. atque Augustini ipsius *Confessionum* l. I. c. XI. p. 53 seqq. l. IX. c. VIII — IX. p. 119 seqq. Tom. I. opp. citt. a Schröckhio l. l. Vol. XV. p. 221.

(1) Vid. *Confessionum* l. II. c. III. IV. p. 59 sq. c. VI. p. 61. l. VIII. c. VII. p. 110. Hoc enim opere circa A. 400. edito, Augustinus narrat, quae inde a prima juventute, usque ad tempus quo hos libros scriberet, in vita ejus maxime notanda evenerint.

(2) Circa A. 383. aetatis 29. Vid. Schröckh. ibid. p. 235.

(3) Cujus rei miram Historiam ipse *Confessionum* l. VIII. c. I — XII. p. 105 — 114 narrat.

(4) Cff. cl. Ypey et Dermout *Geschied. der Ned. Herv. Kerk* t. II. p. 170 sqq.

Breviter enarrata Patrum laudatorum *vita*, de *libris* quoque eorum, qui hic in censum veniunt, pauca insuper addamus, et consilium, quod illi scribendo sibi proposuerint indagare conemur. Quod ubi fecerimus, facilius, quid nobis exspectandum veniat, intelligemus, neque adeo mirabimur de nonnullis partibus ad nostram rem pertinentibus parum vel nihil prorsus apud eos reperiri, quippe quibus nullo modo propositum fuerit *systema quoddam Theologiae Pastoralis* condere.

Ordiamur a Chrysostomi *opere de sacerdotio:* Quod quo scripserit tempore incertum est (1); certius autem, quid illud scribendi ansam dederit (2). Chrysostomus scilicet *et* ipse *et* amicus ejus Basilius cum eodem tempore Episcopi essent creati, uterque dubius primum haesit, num dignitatem oblatam acciperet, an vero recusaret. Tandem vero inter eos convenit, ut alter alterius hac in re exemplum sequeretur. Chrysostomus autem se ipse ad munus amplissimum gerendum viribus imparem, amicum contra maxime idoneum judicans, clam effugit, cum in eo esset, ut ad illud admoveretur; Basilius vero hujus rei ignarus in sede Episcopali se collocari passus est. At postquam animadvertisset, amicum promissis non stetisse seque ab eo deceptum esse, moestus illum adiit, de sorte sua conquestus, atque amice a Chrysostomo postulans, ut suam agendi rationem defenderet. Postquam igitur Chrysostomus primum demonstrasset, tempora incidere posse, quibus dolo aliquem circumvenire fas esset (3) ad rem suam defendendam transit, quae defensio praecipuum hujus operis argumentum efficit (4). Hoc autem agens, de muneris dignitate et gravitate loquitur, ejusque rite fungendi difficultates enumerat, atque haec esse dicit, quae a dignitate oblata accipienda, ipsum absterruissent. Quod ad consilium hujus operis, spero fore ut dicta sufficiant. Ex iis saltem apparet, Chrysostomum non data opera de *officiis Episcoporum* scribere voluisse, sed ea tantum afferre, quae ad se defendendum facere possent; ex quibus igitur praecepta ad nostram rem pertinentia sunt elicienda.

Ceterum inter Chrysostomi opera libri *de Sacerdotio* non ultimum sane locum obtinent, immo ab antiquo inde tempore, neque immerito ut videtur (5) maximum iis pretium tributum est.

Haud ita facile dictu est, quid Ambrosio propositum fuerit, cum libros suos *de*

---

(1) Ex Socratis sententia *Hist. Eccles.* l. VI. c. III. illud scripsit cum *Diaconi officio* jam fungeretur post A. 381. Idem statuit Neander l. c. I. p. 57.

(2) Hoc enim ex ipsius *de Sacerdotio* lib. I. patet.

(3) Haec praecipuum l. I. *de Sacerdotio* argumentum efficiunt.

(4) Epitomen totius operis Vid. ap. Schröckh. l. c. Vol. X. p. 275—309. Cff. etiam Neander l. c. I. p. 57—67. et des Amorie v. d. Hoeven p. 8—20.

(5) De pretio hisce Chrysostomi libris statuendo cf. Schröckh. Vol. XIV. p. 283.

de officiis ministrorum conscriberet. Hic enim officia proponere videtur omnibus in universum *Christi Sectatoribus*, cum alibi contra apertum sit, eum praecipue *Ecclesiae ministros* ob oculos habuisse. Magna saltem horum librorum parte jam perlecta, nesciebam adhuc, quid sibi tandem voluisset auctor. Plurima enim, quae tradit praecepta, *cuivis Christi sectatori* aeque congruunt. Et cum e. g. Lib. I. capp. XVIII (1) et XX. (2) perlegi, persuaderi me passus sum, eum ad *munus sacrum administrantes* verba facere, ecce! quae ejusdem Libri c. XXXVI. med. (3) occurrunt, dubium me denuo reddiderunt. At tandem, cum Lib. II. c. VI. (4) inspexissem, dubius haerere amplius non potui, mecumque constitui, omnia, quae rite ad illos pertinere possent, praecepta, ad *Ecclesiae ministros* in materia tractanda referre. Titulus ipse huic operi praefixus indicare videtur, plures jam antea de ejus argumento incertos fuisse. Olim enim simpliciter titulus caute operi impositus erat: *de officiis*, quem deinde tamen ex plurimis iisdemque optimis codicibus, ita ut nunc se habet, mutandum censuerunt Benedictini (5).

Hac autem scriptione eum Ciceronis libros *de officiis* imitatum esse, variis indiciis constat. Praeterquam enim quod titulum et ordinem a Philosopho Romano mutuatus sit, loca etiam nonnulla ex illo ad verbum, alia mutatis nonnullis, in usum suum transtulit; adeoque magis reprehendendus videtur ubi Ciceronem carpere non veretur. Quantum vero eum inter et Ciceronem discrimen! Hic enim ordine dilucido, verborum sententiarumque perspicuitate ac suavitate, lectorem benevolum atque intentum reddit, cum ille contra ordine confuso, stilo diffuso et obscuro, et exemplis e *S. Scriptura* iterum iterumque iisdem, ita saepe allatis, ut quomodo cum caeteris cohaereant, nescias, lectori taedium creat, eumque frigide dormitare faciat (6). Ceterum, quamvis plurima iis insint, quae merito reprehendas, nemo tamen facile negaverit, multa quoque bona his libris inesse, neque immerito eos prae reliquis Ambrosii scriptis, multis placuisse putamus, praesertim si animus scriptoris et nonnullarum etiam sententiarum pulcritudo spectentur (1).

---

(1) Ubi haec occurrunt: „in nostro vero officio." etc.

(2) His verbis utens: „Ecclesiasticis et maxime ministrorum officiis convenire."

(3) Ubi ait: „et haec quidem adhuc omnibus fidelibus, tibi autem fili." etc.

(4) Ubi haec leguntur: „Neque enim mihi ad mercatores, sed filios sermo est, et sermo de officiis, quae „vobis, quos elegi in ministerium domini, inculcare gestio, atque infundere." etc.

(5) Cf. Schröckh. l. c. Vol. XIV. p. 262.

(6) Ipsum Ambrosium sensisse hoc suum opus non contemnendis vitiis laborare, minimeque a verborum delectu ceterisque elegantiis magnam commendationem habere loca nonnulla ex ipsis *Officiorum libris* demonstrare videntur. e. g. Lib. I. c. IX. ubi dicit: „Nostra legant, qui non sermonum supellectilem, neque artem dicendi, „sed simplicem rerum exquirant gratiam." et Libr. III. c. XVI. in fine. „Nam prope omnia majorum exempla, „plurima quoque dicta his tribus inclusa libris tenentur, ut etsi sermo nihil deferat gratiae, series tamen vetustatis quodam compendio expressa plurimum instructionis conferet."

De Augustini operibus ad nostram rem pertinentibus, non multa dicere opus est, cum ipse scribendi consilium satis aperuerit.

Quod ad libros *de doctrina Christiana* attinet, de iis, *Retractat.* Lib. III. c. IV. sic loquitur. « Imperfectos cum eos comperissem, perficere malui, quam eis « sic relictis, ad alia retractanda transire. Complevi ergo *tertium*, qui scriptus « fuerat, usque ad eum locum, ubi commemoratum est ex Euangelio testimonium de « muliere, quae abscondidit fermentum in tribus mensuris farinae, donec fermen« taretur totum (2). Addidi etiam novissimum librum, et quatuor libris opus illud « implevi, quorum primi tres adjuvant, ut Scripturae intelligantur, quartus autem, « quomodo quae intelligimus, proferenda sunt" (3). Ex hisce igitur apparet aliud omnino hujus operis argumentum esse, quam quod titulo indicari videtur. Tribus enim libris prioribus *regulas interpretandi*, quarto autem *praecepta Homiletices* tradidit (4). Quod scire nobis hoc loco sufficit. — Utilissimum plurimi hoc Augustini opus dicere non dubitarunt (5) neque immerito hanc laudem inprimis libro IV. tribui putamus.

Alterum quod ex Augustini scriptis commemorandum venit, est de *Catechisandis rudibus* liber, quem in Diaconi cujusdam gratiam composuit (6), quod ex libri initio statim patet, ubi haec leguntur · « Petisti a me frater Deogratias, ut « aliquid ad te de *Catechisandis rudibus*, quod tibi usui esset, scriberem. Dixisti « enim, quod saepe ad Carthaginem, ubi diaconus es, ad te adducantur, qui « fide Christiana primitus imbuendi sunt, eo quod existimeris habere catechisandi « uberem facultatem, et doctrinam fidei, et suavitatem sermonis: te autem pene « semper angustias pati, id ipsum, quod credendo Christiani sumus, quo pacto « commode intimandum sit; unde exordienda, quousque sit perducenda narratio: « utrum exhortationem aliquam, terminata narratione, adhibere debeamus, an prae« cepta sola, quibus observandis, cui loquimur, noverit Christianam vitam profes« sionemque retinere. Saepe autem tibi accidisse confessus atque conquestus es, ut « in sermone longo et tepido tibi ipse vilesceres essesque fastidio" etc. Cujus igitur desideriis, ut satisfaceret Augustinus, hunc librum ad eum scripsit, in quo tractando hoc sibi proposuit; ut « *prius* de modo narrationis, *tum* de praecipiendo atque cohortando, *postea* de hac hilaritate comparanda, quam Deus suggesserit, dissereret" (1).

---

(1) Epitomen totius libri *de Officiis* Vid. apud Schröckh. vol. XIV. p. 261 — 282.

(2) Ad Cap. igitur XXV. Quousque hunc laborem A. jam 397. ad finem perduxisse videtur, cetera vero ut et Lib. IV. totum iis adjecisse circa A. 426 vel sq. Cf. Schröck. l. c. Vol. XV. p. 351.

(3) Idem iisdem fere verbis testatur in Prologo ad Lib. IV. *de doctrina Christiana.*

(4) Hujus libri Epitomen Vid. ap. Schöckhium l. c. p. 361 — 363.

(5) Vid. Schröckh. l. c. p. 364.

(6) Cf. ipse Augustinus *Retractat.* Lib. II. cap. XIV.

Quanti hunc *de Catechisandis rudibus* libellum Viri Docti fecerint, ex iis quae de illo judicaverint (2) scripserintque abunde liquet (3).

Atque haec sunt, quae de singulorum librorum consilio memoranda putavi; ceterum in ipsa materia tractanda luculentius apparebit, quaenam ex iis in usum nostrum convertenda sese nobis obtulerint.

---

(1) Cap. II. in fine.

(2) Cf. Schröckh. l. c. Vol. XV. p. 389 sq. apud quem et Epitome hujus libri invenitur. ib. p. 379—389.

(3) J. B. Carpzorius e. g. *Dissertationem* de hoc libro scripsit edit. Lipsiae A. 1688. 4°. Cujus tamen inspiciendi occasionem mihi defuisse doleo.

CAPUT PRIMUM.

DE MUNERE DOCTRINAE CHRISTIANAE INTERPRETIS, DOTIBUSQUE AD ILLUD BENE GERENDUM REQUISITIS, IN UNIVERSUM.

SECTIO PRIOR.

Muneris praestantia ac dignitas.

Ad ipsa praecepta ex patribus laudatis conquirenda, priusquam progrediamur, non prorsus supervacaneum duximus, etiam paucis vidisse de *ipso munere sacro* quid senserint, quodque ei tribuerint pretium. Solus autem ex nostris magis aperte suam hac de re declarat sententiam Chrysostomus, et ex toto ejus opere *de Sacerdotio* apparet, omnino magnifice eum de munere doctoris Christiani statuisse, ita quidem ut propter praestantiam et dignitatem illud administrandum recusaverit (1). Suas enim vires considerans atque simul difficultates, quae tali ac tanto muneri rite functuro se offerrent, se ipse huic rei parem non putavit.

Praestantiam illam muneri tribuit, *cum*, propter originem, quippe quod nec homo, nec angelus nec archangelus, nec alia quaedam creata potentia, sed *αὐτὸς ὁ παράκλητος διετάξατο* (2); *tum*, propter curam atque amorem, quibus Servator illud prosecutus est, qui vel amoris erga se indicium haberet, si quis hoc munus administrandum in se susciperet (3): *denique* propter res ipsas, circa quas versatur (4) ubi ritus Sacros memorat Chrysostomus, praesertim Sacram Coenam, in qua multa esse dicit: *οὐ θαυμαστὰ μόνον ἀλλὰ καὶ πᾶσαν ἔκπληξιν ὑπερβαίνοντα* τά (1). — Multus omnino est in describenda muneris dignitate, atque in illis quae ultimo loco attigimus, forte nimius. Nec tamen improbandus videtur, qui vividis coloribus praestantiam muneris illius vere divini (2) depingat. Magni enim qui illud fecerit, ut revera meretur, eo magis studebit, ut omnia fideliter praestet officia, quae dignitas illius postulet (3). Haec igitur primum perpendat, qui talem ambeat provinciam; nimirum difficillima simul est, quae pro dignitate administretur. Unde merito Chrysostomus dixit paucissimos huic rei aptos esse (4), cum undecunque circumspicere illum oporteat, cui Ecclesia Christi (secundum Paulum ipsius corpus (5)) commissa est, nec ubi macula aut ruga, aut naevus, vitiumque aliquod pulcritudinem honestatemque illius labefactet (6).

---

(1) Crysostomus *de Sacerdotio* Lib. III. cap. VIII. pag. 29. N°. 210. Edit. stereot. Lipsiae a. 1825.

(2) Vid. Lib. III. C. IV. p. 24. N°. 175. ubi haec leguntur: *Ἡ γὰρ Ἱερωσύνη τελεῖται μὲν ἐπι γῆς, τάξιν δὲ ἐπουρανίων ἔχει πραγμάτων· καὶ μάλα γε εἰκότως· οὐ γὰρ ἄνθρωπος, οὐκ ἄγγελος, οὐκ ἀρχάγγελος, οὐκ ἄλλη τις κτιστὴ δύναμις, ἀλλ' αὐτὸς ὁ Παράκλητος ταύτην διετάξατο τὴν ἀκολουθίαν, καὶ ἔτι μένοντας ἐν σαρκὶ τὴν ἀγγέλων ἐκεῖσε φαντάζεσθαι διακονίαν.* Cf. et lib. IV. c. II. p. 54. med. Satis autem apertum est, voce: *παράκλητος* ipsum Dei filium intelligi.

(3) Hoc eruit Chysostomus ex Joan. XXI. 15 seqq. Vid. Lib. II. C. I. p. 12.

(4) Vid. Lib. II. C. II. initio. p. 13.

SECTIO ALTERA.

Dotes ad munus Sacrum bene gerendum requisitae.

Mirum non accidit, qui tam magnifice de munere statuat, *magnas dotes* in illo requirere, qui talem provinciam administrare cupiat. — Nequaquam sufficit omni ex parte doctrina rerumque notitia imbutum esse, nisi et boni mores accedant, quibus se commendat. Hunc vero « τὸν τελεώτατον διδασκαλίας ὅρον, dicit, ὅτ' ἂν καὶ δι' ὧν πράττουσι καὶ δι' ὧν λεγουσι, τοὺς μαθητευομένους ἐνάγωσι (οἱ προεστῶτες πρεσβύτεροι) πρὸς τὸν μακάριον βίον, ὃν ὁ Χριστὸς διετάξατο" (1). Et hac in re consentientem habet Ambrosium, qui recte observat: « Eos, si exercitati sint in sermonibus, et desidiosi in « operibus prudentiam suam factis repellere." (2).

---

(1) Lib. III. C. IV. p. 25, nec non L. III. C. IV. p. 24. in fine coll. L. III. C. IV. p. 26. et L. VI. C. IV. p. 74. — Proprium autem inprimis fuit Orientalibus jam ante **Chrysostomum**, mysterii plenam sibi fingere S. coenam; cujus rei vestigia jam cernuntur apud **Justinum** Mart. *Apol.* I. p. 96. ed. **Thirlbii** et ap. **Ignatium**. *Epist. ad Ephes.* CXX. Cf. **Neander** *Algem. Gesch. der Chr. Relig. und Kirche* T. I. P. III. p. 1084 sqq.

(2) Cff. Epist. ad Ephes. IV. 11, 12: 1 Cor. XII. 28; coll. 5. et alibi.

(3) Cff. **Boers** in libro cui titulus: *Handboek voor Jonge Predikanten* Part. I. C. I. §. 1. p. 2. et **Pfeiffer** *Anweisung für Prediger* etc. Sect. I. §. 21. p. 40 sq. Vid. et **Chrysostomum** l. c. *L.* II. c. I. p. 12. quod elicit ex Matth. XXIV. 45—47.

(4) Lib. II. C. II. p. 13.

(5) Vid. ad Coloss. I. 24. et cf. Ephes. V. 27.

(6) Leg. **Chrys.** Lib. IV. C. II. p. 54. in medio, ubi ait: Οὐκ ἔστιν ἡμῖν ὑπὲρ οἰκονομίας πυροῦ, ἢ κριθῶν, οὐδὲ βοῶν καὶ προβάτων, οὐδὲ περὶ τοιούτων ἄλλων ἡ σκέψις, ἡ προκειμένη νῦν· ἀλλ' ὑπὲρ αὐτοῦ τοῦ σώματος τοῦ Ἰησοῦ. Ἡ γὰρ ἐκκλησία τοῦ Χριστοῦ, κατὰ τὸν μακάριον Παῦλον, σῶμα ἐστι τοῦ Χριστοῦ· καὶ δεῖ τὸν τοῦτο πεπιστευμένον, εἰς εὐεξίαν αὐτὸ πολλὴν καὶ κάλλος ἀμήχανον ἐξασκεῖν, πανταχοῦ μὴ ποῦντα, μή που σπῖλος, ἢ ῥυτὶς ἢ τις ἄλλος μῶμος ἢ τοιοῦτος τὴν ὥραν καὶ τὴν εὐ πρέπειαν λυμαινόμενος ἐκείνην, καὶ τί γὰρ ἀλλ' ἢ τῆς ἐπικειμένης αὐτῷ κεφαλῆς, τῆς ἀκηράτου καὶ μακαρίας, ἄξιον αὐτὸ κατὰ δύναμιν τὴν ἀνθρωπείαν ἀποφαίνειν; Cf. et L. VI. C. II. initio p. 71.

Ingenii igitur *animique dotes ac virtutes*, indissolubili vinculo nexas ad sacrum Ecclesiastae munus rite obeundum, maxime necessarias esse, uterque merito statuit (3).

Accuratius autem de singulis, quid habeant, quidque postulent videamus.

§. 1.

Ingenii dotes ac virtutes.

Toto fere libro IV. inde a Cap. 3. Chrysostomus id agit ut doceat, quanto studio quantaque exercitione ei opus sit, qui doctoris Christiani partes fideliter explere velit (4).

Aptum enim eum esse debere dicit, ad adhibendas commodas variis animorum morbis curationes, quod officium plus experientiae ac laboris postulet, quam curatio morborum quibus corpora mortalium obnoxia sunt: et hoc ipsum per solam sermonis Euangelici doctrinam fieri, adeoque in qualibet morbi parte hanc applicari oportere (5).

Praeterea ad omnium adversariorum, Judaeorum, Haereticorum ceterorumque opiniones refutandas idoneum eum esse vult, atque adeo diversas artes, variaque arma, quibus utantur ut veritatem impugnent, cognoscere. Nisi enim omnes eorum fallacias atque artificia satis cognita ac perspecta habeat, noveritque quo pacto ipse se recte defendat, periculum esse, ne non tantum eorum quemlibet Ecclesiam diripere ac devastare patiatur, sed ipse etiam in errorem alium incidat dum alium oppugnet (6).

Quapropter maxime necessarium esse monet, ut *Verbi Dei* peritus, atque in eo exercitatus sit, veramque artem ac regulas disputandi calleat, quod sine perpetua industria ac labore exspectari nequeat. Hinc Pauli monitum, quod Timotheo 1 Ep.

C.

---

(1) Chrysost. L. IV. C. VIII. p. 62. N°. 440.

(2) Ambrosius Lib. II. Cap. II. in fine.

(3) Cff. Pfeiffer l. c. Sect. I. §. 22 sq. et Boers l. c. part. I. C. I. §. 6. p. 8.

(4) Cf. etiam Lib. V. init.

(5) Cf. Libr. IV. C. III. fere tot. p. 55.

(6) Cf. Libri ejusdem Cap. IV. totum.

C. IV. 13, 15; dedit, inculcat: « intentus esto lectioni, exhortationi, doctrinae: Haec meditare, in his esto" (1).

Denique ostendit quantum diligentiae sibi requirant habendae ad populum conciones et disputationes (2): atque docet, quam perverse agant, qui Pauli ipsius testimonium (3) afferant in ignorantiae suae defensionem, illum Apostolum aperte suam professum fuisse inscitiam clamantes. Demonstrat vero, Pauli verba frustra ab iis urgeri ad excusandam ignaviam ac socordiam in necessariis cognitionis partibus, illum enim potius et rerum notitia et dicendi vi maxime praeclarum fuisse (4).

Procul ergo abesse vult a doctrinae Christianae interprete ignorantiam atque desidiam, cum e contrario eum adhortetur, ut studiis se tradat, quibus eam sibi comparet rerum peritiam, quae ad multa gravia, in functione muneris, officia obeunda sufficiat.

Inprimis sacrae scripturae tractationem valde commendat, quippe quae eruditionis, ad doctrinae Christianae Interpretis officium requisitae, et ab ipso quavis occasione adhibendae, fons sit uberrimus. Etenim in animorum curatione *verbum Dei* omnium rerum, quae in curatione corporum adhiberi solent, vicem supplet: « hoc instrumentum est," inquit, « hoc cibus, hoc aëris temperies optima, hoc medicamenti « instar, hoc ignis loco, hoc ferri vice: ac, si vel urere vel secare opus fuerit, hoc « ipso uti necesse est; atque hoc si nihil profuerit, reliqua omnia pereant, opor« tet. Hoc et jacentem animum erigimus et tumescentem compescimus, hoc et su« pervacanea amputamus, et quae desunt supplemus, ceteraque omnia conficimus, « quae ad animi conferunt incolumitatem" (5). « Quapropter" (sic dicta adstruens deinde pergit) « ingens adhibere studium oportet: *ὥστε τὸν λόγον τοῦ Χρίστου ἐνοικεῖν « ἐν ἡμῖν πλουσίως* (6)."

Ex hisce in nostram rem collectis abunde patere putamus, Chrysostomum non pauca neque levia exigere. Quid enim aliud, nisi hoc ipsum, postulat: eum qui munere doctrinae Christianae interpretis rite fungi cupiat, non tantum doctrinam Sacris Litteris contentam bene intelligere, sed insuper in id incumbere, ut egregiam illam alios docendi facultatem sibi acquirat, qua huic provinciae omni ex parte bene gerendae idoneus fiat, qua simul is evadat, qui commodis Sectatorum Christi quovis modo et ubivis augendis, et doctrinae salutari, explicandae, defendendae, conservandae ac propagandae semper inservire possit (1).

---

(1) Cf. Lib. IV. C. VIII. initio. Quantopere lectionem LL. SS. aestimaverit Chrysostomus, apparet ex dictis ejus Opp. T. III. p. 71 sq. ed. Montefalc: „πνευματικὸς λειμὼν καὶ παράδεισος τρυφῆς, ἡ τῶν θείων ἐστιν ἀναγνώσις."

(2) Lib. V. C. I. tot.

(3) Ep. 2. ad Corinth. C. XI. vs. 1, 6. et 1 Cor. II. vs. 1—3.

(4) Cf. Lib. IV. C. VI et VII.

(5) Vid. Lib. IV. C. III. p. 55. *τοῦτο ὄργανον, τοῦτο τροφὴ — συντελεῖ.*

(6) Lib. IV. C. IV. initio.

Vult et praeterea, ut vidimus, eum non tantum cognoscere eorum, qui aliter sentiunt, opiniones atque placita, sed etiam modum, quo ea defendere solent, ita ut omni ex parte promtus ac paratus sit ad ea refellenda, suasque partes sartas tectasque servandas (2).

Quamvis igitur non singula ad hanc pertinentia data opera recensuerit, ex iis tamen, quae habet, abunde nobis liquet, non mediocrem illum rerum scientiam atque diligentiam poscere in eo, qui *Sacrorum Antistes* jure dici velit.

Nihil enim aliud, quae habet, si bene perpendas, includunt, nisi hoc: eum omnibus subsidiis adhibitis id agere debere, ut universum, qua late patet, doctrinae Christianae ambitum quam maxime familiarem sibi reddat, alios docendi facultate polleat, omnibusque sui muneris officiis satisfacere queat.

Itaque felix ingenium, judicium sanum nec parvam doctrinae copiam Chrysostomum requirere videmus atque omnino talia, qualia omni tempore maximopere necessaria dici merentur.

§. 2.

Animi dotes ac Virtutes.

Ad *Animi dotes* quod attinet: in universum originem muneris prorsus divinam respiciens, vult Ecclesiae ministrum *ὥσπερ ἐν αὐτοῖς ἑστῶτα τοῖς οὐρανοῖς — οὕτως εἶναι καθαρόν* (3), vel « Solaribus radiis puriorem (4).” — Atque hoc non solum propter praestantiam provinciae, quam administrandam susceperit, verum etiam propter exempli vim: si enim verum illud Poëtae effatum: « Regis ad exemplum totus « componitur orbis” idem et verius dici quoque potest de voluntatis divinae Interpretibus (5).

Sicut igitur boni eorum mores multis prodesse possunt, ita vitia vehementer no-

Sicere solent (1), et quo illustriorem locum obtinent, eo magis vitia eorum cuivis in oculos incurrunt. Praeterea etiam minima eorum delicta magna videntur, propter personae dignitatem (2).

---

(1) Cf. Lib. IV. C. III. L. IV. C. V. in fine p. 58. et C. IX. p. 62. N°. 446.

(2) Lib. IV. C. IV. initio p. 55. et C. IX. p. 62. N. 445.

(3) Lib. III. c. IV. initio p. 24. Cf. L. II. C. II. p. 13. N. 91. Hinc etiam, ut saepius aliunde apparet Chrysostomum nimium de *Sacerdotio* cogitasse, atque Episcopos aliquomodo ceteris hominibus sanctiores habuisse et quasi eos inter et Deum mediatores; quae opinio inde a Saec. III. invaluit. Cff. Neander *Chrys. und die Kirche* etc. I. p. 110. n. 26. Schröckh. l. c. X. p. 310 sqq.

(4) Lib. VI. C. II. p. 71. N. 504. et C. IV. p. 74. 524. Coll. L. III. C. XIV. p. 35. N. 263. et L. III. C. VII. p. 28 in fine. Cf. etiam Jos. Binghami *Originum Ecclesiasticarum* Vol. II. l. VI. C. II. §. 1.

(5) Cf. Lib. III. C. XIV. p. 34. med.

Recte quoque hic **Ambrosius**: « Quis non despiciat," inquit, « morum colluvionem? Quis utilem causae alienae judicet, quem videt inutilem suae? — Quomodo eum potes judicare consilio superiorem, quem videas inferiorem moribus? Supra me debet esse, cui me committere paro! — An vero idoneum eum putabo, qui mihi det consilium, quod non dat sibi? Et mihi eum vacare credam, qui non vacet sibi? Cujus animum voluptates occupent, libido devinciat, avaritia subjuget, cupiditas perturbet, quatiat metus?" (3).

« Talis itaque debet esse, qui consilium alteri dat, ut se ipsum formam aliis praebeat, ad exemplum bonorum operum." (4).

Fugiat igitur voluntatis divinae Interpres quaevis vel levissima vitia, ab iisque purum se praestet.

« Fugiat imprimis vanae gloriae cupiditatem, quae mala innumera gignit. Hinc enim varia vitia: *θυμὸς, ἀθυμία, φθόνος, ἔρις, διαβολαὶ, κατηγορίαι, ψεῦδος, ὑπόκρισις, ἐπιβουλαὶ*" multaque alia, quae hic **Chrysostomus** enumerat, quasi ex uberrimo fonte profluunt (5).

Evitet iram, quae ingenii perspicuitatem, mentisque aciem hebetat, et simul ad arrogantiam fastumque aliaque pejora facile impellit (6).

Contra sibi comparet « animi illam fortitudinem" quam **Ambrosius** praedicat, « quae sola defendat ornamenta virtutum omnium, quae inexpiabili proelio adversus omnia vitia decernat, invictam ad labores, fortem ad pericula, rigidiorem adversus voluptates, duram adversus illecebras, quibus aurem deferre nesciat (7); pecuniam negligat, avaritiam fugiat, tanquam labem quandam, quae virtutem effoe-

---

(1) Vid. L. III. c. XIV. p. 35. ubi ait: "*Ὥσπερ οὖν αὐτῶν τὰ κατορθώματα πολλοὺς ὤνησε, πρὸς τὸν ἴσον παρακαλοῦντα ζῆλον· οὕτω καὶ τὰ πλημμελήματα ῥαθυμοτέρους κατέστησε περὶ τὴν τῆς ἀρετῆς ἐργασίαν, καὶ βλακεύειν πρὸς τοὺς ὑπὲρ τῶν σπουδαίων παρεσκεύασε πόνους. Διὸ χρὴ πάντοθεν αὐτοῦ τὸ κάλλος ἀποστίλβειν τῆς ψυχῆς, ἵνα καὶ εὐφραίνειν ἅμα καὶ φωτίζειν δυνήται τὰς τῶν ὁρώντων ψυχάς. Τὰ μὲν γὰρ τῶν τυχόντων ἁμαρτήματα, ὥσπερ ἔν τινι σκότῳ πραττόμενα, τοὺς ἐργαζομένους ἀπώλεσε μόνους, ἀνδρὸς δὲ ἐπιφανοῦς καὶ πολλοῖς γνωρίμου πλημμέλεια, κοινὴν ἅπασι φέρει τὴν βλάβην.*" etc.

(2) Vid. L. III. C. XIV. p. 321. N. 257. et p. 35. med.

(3) *De Officiis* Lib. II. Cap. XII.

(4) Idem Lib. II. C. XVII et XIX. et Cf. **Chrysost.** L. V. C. III. p. 65.

(5) Lib. III. C. IX. init. p. 29. et **Ambros.** L. I. C. XXXIX. med.

(6) Vid. **Chrysost.** L. III. C. XIV. init. p. 34. N. 251 sqq. coll. L. VI. C. VII. p. 77. in fine. **Ambros.** Lib. I. C. XXI. et Lib. III. C. V. in fine.

(7) *De Officiis* L. I. C. XXXIX. coll. L. I. C. XXXVI. med.

« foeminet; nec tentetur cupiditatibus, nec frangatur metu; iracundiam velut quibus« dam propulset armis, quae tollit consilium, et tanquam aegritudinem vitet" (1).

Hanc eandem Chrysostomus magnopere ei necessariam dicit, ut: « ὕβριν καὶ « καὶ ἐπήρειαν καὶ λόγον φορτικὸν καὶ τὰ παρὰ τῶν ἐλαττονων σκώμματα" ceteraque patienter ferre possit (2).

Praeterea gravem illum esse oportet, at minime fastuosum, et terrificum, sed humanum eundemque integrum, officiosum, humilem, at minime servilem. Sobrium eum esse decet, castum, honestum, modestum, simulque mitem, mansuetum, patientem, modum tenere in omnibus, ut nullum vitium esse in moribus vel tacitus vultus vel sermo annunciet (3).

§. 5.

Aliae dotes, ad corporis habitum pertinentes.

Cum supra, duce Ambrosio, mentionem vultus et sermonis injecerimus, eum sequentes, quid de externa forma ac habitu ceterisque, quae quidem minoris ponderis videri possint, praecipiat, videamus.

Vult igitur in ipso quoque motu, gestu, incessu, teneri verecundiam, cum habitus mentis in corporis statu cernatur, et vox quaedam animi sit corporis motus (4). « Motus ergo sit purus ac simplex, cum nihil fucatum placeat, eumque natura in« formet. Si quid sane in natura vitii est, industria emendet: ut ars desit, non « desit correctio." « Non sit affectatus decor corporis, neglectus magis quam ex« petitus, non pretiosis et albentibus adjutus vestimentis, sed communibus." Quod « ad sermonem: jubet « ne modum praetergrediamur loquendi, ne quid indeco« rum sermo resonet, cum speculum mentis plerumque et in verbis refulgeat. Neque « solum nihil indecorum loqui, sed ne aurem quidem hujusmodi dictis praebe« re" (5).

Vocem ipsam vult « neque remissam esse, neque fractam, ita ut nihil foemineum « sonet, qualem multi gravitatis specie simulare consueverunt, sed formam quandam « et regulam ac succum virilem reservet. Ut autem molliculus et infractus aut vocis

---

(1) Vid. Idem L. I. C. XXXVI. in fine. L. III. C. IX.

(2) Lib. III. C. XIII. p. 33. med.

(3) Vid. Chrys. L. III. C XVI. p. 49. n. 292. L. VI. C. V. in fine. Ambros. L. II. C. XXVII. L. I. C. XLV. ib. C XX. coll. C. IV.

(4) Vid. Lib. I. C. XVIII.

(5) Vid. Lib. I. C. XIX. C. XVIII. et C. III. coll. Cap. XXII. et XXIII.

« sonus aut gestus corporis non probandus, ita neque agrestis ac rusticus. Natura « igitur imitanda, cum ejus effigies in hisce formula disciplinae sit, formaque ho« nestatis" (1).

Haecce Ambrosii praecepta, etiamsi primo obtutu non adeo magni pretii esse videantur, minime tamen contemni merentur. Ea enim si omnes Ecclesiae ministri omni tempore observassent, multo certe minor fuisset numerus eorum, qui risui multorum atque irrisioni se exponerent. Et nostris etiam diebus quot Viri Venerandi reperiuntur, qui corporis externo habitu et sermone affectato, minime supervacanea sancti patris de his rebus praecepta esse demonstrant!

Quae cum ita sint, neque nos immerito ea dotibus requisitis, tanquam appendicem, adjecisse putamus.

CAPUT SECUNDUM.

QUOMODO VERSARI DOCTRINAE CHRISTIANAE INTERPRETEM OPORTEAT IN PUBLICE TRADENDA RELIGIONIS DOCTRINA.

§. 1.

Introitus.

Nostra aetate certe majorem operam ac diligentiam postulant orationes Sacrae, quam quidem antiquissimis Ecclesiae Christianae temporibus. Ita enim nunc se res habent ut sermonibus sacris publice ad populum Christianum habendis, primaria muneris pars absolvi fere censeatur (2), cum contra in Ecclesia antiqua praelectioni S. Codicis brevis tantummodo illustratio atque cohortatio ad populum accederent (3). Videmus autem Origenem Seculo III. iam longioribus sermonibus fuisse usum, et deinde sequenti seculo unum alterumque majorem, quam antea, industriam in iis elaborandis collocasse. Unum Chrysostomum ex pluribus (1) nominasse suffecerit, qui quidem inter difficultates, quibus doctrinae Christianae interpretes in munere gerendo, premuntur, non minimam recenset laborem ingentem concionibus disputationibusque, quae publice ad populum fiunt, impensum (2). Atque ideo difficiliorem hanc partem esse dicit, quia ipsius tempore aures suas vulgus adsuefecerat, ut ad voluptatem potius, quam ad utilitatem audirent, unde in doctoribus sacris tantam, ut ait, dicendi vim enitescere vellent, quanta ne in Rhetoribus quidem ipsis requireretur (3).

---

(1) Id. ib. Cap. XIX.

(2) Cf. Pfeiffer l. c. Sect. IV. c. II. §. 51. p. 99.

(3) Hujus generis etiam sunt varii *tractatus* Ambrosii, Augustini, et Chrysostomi *homiliae.* Cf W. Cave *het eerste Christendom* Part. I. c. 9. p. 246. edit. Wetstenianae A. 1724. et Josephi Binghami *originum Ecclesiasticarum* vol. VI. l. XIV. c. IV. §. 10. de brevitate quoque sermonum a nonnullis Ecclesiae patribus habitorum in universum, vide Binghamum ib. vol. VI. l. XIV. c. IV. §. 21.

« An nescis," hoc ex Basilio quaerit, « quantus jam ornate copioseque dicendi « amor, quantum studium in Christianorum animos invadat, ac tanquam debacche« tur? Quantoque jam in pretio habeantur, qui studium illud excolant, non apud « externos tantum, sed apud eos etiam, qui Christianae pietatis partes sequan« tur" (4)?

Ex quibus intelligimus, apud Patres hujus seculi etiam nonnulla exspectari posse praecepta, hodiernis sacrorum Antistibus haud contemnenda, et cultioribus quoque nostris temporibus apta. At si simul eorum orationes consideramus, uno tenore decurrentes, nullique certae formae adstrictas, tunc sane facile animadvertimus maximam partem non nisi praecepta generalia ad hanc rem facientia apud eos reperiri.

§. 2.

Monita de materiae optione dicendique consilio universalia.

Videamus autem quaenam habeant ad publice docendi provinciam pertinentia!

Ac primum universe Augustinus bene monet: « divinarum Scripturarum « tractatorem (5) et doctorem, defensorem rectae fidei ac debellatorem erroris esse « debere et bona docere et mala dedocere: atque in hoc opere sermonis concilia« re aversos, remissos erigere, et nescientibus, quid exspectare debeant, intima« re" (6).

---

(1) Nonnullas enim Augustini quoque, Gregorii Nazianzeni, Nysseni et Basilii *homilias* longiores fuisse, ex eorum scriptis videre est. Cf. et Bingham l. c. vol. VI. l. XIV. c. IV. §. 21.

(2) Cf. Chysost. Lib. V. C. I. init. p. 64. supr.

(3) Vid. L. V. p. 64. n. 452. et n. 450. coll. L. V. C. V. tot. p. 66.

(4) Lib. V. C. VIII. p. 69. n. 491.

(5) Vid. *De doctrina Christiana* Lib IV. cap. IV.

(6) Ex hisce abunde liquet, Augustinum statuisse L. L. S. S. unicum illum esse fontem, ex quo dicendi materia petenda sit, qua in re eum sui temporis doctores secum consentientes habuisse, multis demonstrare non est opus. Eos autem perverse agere, qui, humana divinis praeferentes, fontem limpidissimum nonnunquam deserant, res ipsa loquitur.

Quod ad materiae optionem ejusque trantandae modum: huc refero Ambrosii locum, ubi dicit: « *tractatum* (1), de doctrina fidei, de magisterio continentiae, « de disceptatione justitiae, de adhortatione diligentiae, non unum semper, sed ut « se dederit *lectio* (2), esse arripiendum, et prout possumns, prosequendum: eum- « que neque nimium prolixum esse debere neque cito interruptum, ne vel fastidium « derelinquat, vel desidiam prodat atque incuriam" (3).

Ex quo loco non immerito elicere nobis videmur, Ambrosium hoc sibi voluisse: pro varia temporis opportunitate materiam sermonis variam esse debere, neque semper in una doctrinae religionis parte, quam *Theoreticam*, dicimus subsistendum esse, sed etiam alteram illam, quae de officiis agit (*practicam* appellamus) esse exponendum. Deinde ita in tractanda materia versandum esse, ut nimiam simul longitudinem evitet doctor Sacer, nimiamque brevitatem (4).

Mentem ejus si recte cepimus, nihil in hisce reperiemus, quod nostris non aeque ac illis commendandum sit, temporibus.

Vehementer damnat Chrysostomus Oratorem sacrum, qui sermones hoc consilio componat, ut voluptati immoderatae multitudinis satisfaciat, auramque popularem captet (5), cum sic et sibi, et multitudini, quae audit, damnum detrimentumque afferat, hoc ipso, quod laudum ille suarum desiderio captus, ad auditorum gratiam magis quam utilitatem, dicendi vim exerceat (6). Jubet contra, Antistitem sacrum hanc sibi legem scribere, atque hoc consilio orationes meditari, ut Deo gratae sint atque auditoribus utiles (7). « Οὗτος γὰρ", inquit, « αὐτῷ κανὼν καὶ ὅρος ἐστω μόνος τῆς ἀριστῆς δημιουργίας ἐκεινῶν, μὴ κροτὸι (8) μὴ δὲ εὐφημιαι." Cum abundans illi fuerit solatium, idque om-

---

(1) *Sermones Sacri* a Patribus Latinis frequenter *tractatus* vocantur, quemadmodum ex multis eorum locis apparet, Cf. Bingham l. c. L. XIV. c. IV. §. 1. et *doctrinae Christianae Interpretes, tractatores.* Cff. etiam Bingham l. c. ibid. et Cave l. c. p. 246. quod etiam ex loco Augustini supra allato potescit.

(2) Atque adeo tam ex V. quam ex N. Testamento, cum ex utroque pars quaedam legeretur. Cf. Bingham l. c. c. III. §. 2. Quamvis autem lectio ad certam facta fuerit regulam, ea tamen a doctorum arbitrio pependisse videtur (cf. Bringh. l. c. §. 3. p. 72.), cum de nonnullis apertum sit, eos dixisse, qnid legi vellent. (cf. id. ibid. c. IV. §. 11. p. 147.) De iis autem quae legerentur plerumque conciones habuerunt. (Cff Bingham ibid. et C. IV. §. 17. et de *Lectionibus* in universum etiam Cave l. c. p. 242 sqq. nec non Boers l. c. Part. II. C. II. Sect. I. §. 1. p. 46.

(3) Vid. Ambros. *de Officiis.* L. I. C. XXII.

(4) Lectu digna snnt, quae adv. Orationes Sacras nimis prolixas monuit Boers l. c. part. II. c. I. §. 12. p. 34.

(5) Chrysost. Lib. V. c. I. in fine sq. p. 64. n. 453. sqq.

(6) Ibid. C. II. p. 64. in fine.

(7) Lib. V. c. I. p. 64. n. 453.

(8) De plausu atque acclamationibus in Ecclesia antiqua usitatis Vid. Suiceri *Thesaurum Eccles.* ad vocem *κροτὸς* vol. II. p. 173 sqq. in quantum vero abusum haecce consuetudo abierit, cum multi doctores laudes ac plausum ambire non dedignarentur, notavit idem Suicerus p. 176. Cf. Bingh. l. c. l. XIV. c. IV. §. 27. Ipse Chrysostomus publice nonnumquam applaudendi consuetudinem damnavit e. g. *hom.* 30. *in Acta Apost.* et alibi. Vid. Schröckh. l. c. vol. X. p. 350 sqq. et Cf. Cl. des Amorie v. d. Hoeven l. c. p. 95. not. 9.

omnium certe maximum, si sibi ipse conscius esse potuerit, ad hanc se rationem doctrinam eloquentiamque suam composuisse atque adaptasse, ut Deo illa placens acceptaque foret (1).

Quanti autem momenti, quantique ambitus hoc praeceptum sit, quisque videt, qui secum reputet, quid ad illud pertineat. Quomodo enim sermo sacer Deo acceptus sit, nisi eo, ipsius Dei honorem promovere, religionem Christianam stabilire et propagare atque omni modo auditorum commodis inservire studeat Voluntatis divinae interpres.

Hanc igitur qui legem sibi scribat, ut nempe eo consilio doceat, quo Deo gratus sit, nonne omni tempore laudandus videtur?

§. 3.

Praecepta ad tractandi argumenti rationem pertinentia.

1°. *Sermo perspicuus sit.*

Quod ad tractandi argumenti rationem: Doctor sacer idem sibi proponat, quod quivis alius orator, docere scilicet, delectare, flectere (2), ut, justa, sancta et bona cum dicat, intelligenter, libenter, et obedienter audiatur (3), quod fiet, si perspicue, suaviter ac granditer dicere sciat (4). Docere autem necessitatis est, atque in *rebus* constitutum, *quas* dicimus; reliqua duo, (delectare et flectere) in *modo*, *quo* dicimus, posita sunt (5). Hinc **Augustinus**: « Qui ergo dicit," inquit, « cum docere vult, quamdiu non intelligitur, nondum existimandus est dixisse, quod « vult, ei, quem vult docere: qui, etsi dixerit, quod ipse intelligit, nondum illi « dixisse putandus est, a quo intellectus non est. Si vero intellectus est, quocun« que modo dixerit, dixit" (6).

Unde apparet ante omnia requiri, ut *perspicuitati* studeat Orator Sacer.

« In omnibus igitur sermonibus suis primitus ac maxime, ut intelligantur elaboret « ea, quantum possit perspicuitate dicendi, ut aut multum tardus sit, qui non in« telligat, aut in rerum, quas explicare atque ostendere volumus, difficultate ac sub« tilitate, non in nostra locutione sit caussa, quo minus tardiusve quod dicimus

---

(1) Vid. Chrysost. Lib. V. Cap. VII. p. 68.

(2) Vid. **August.** *de doctr. Christ.* Lib. IV. c. XII.

(3) Ibid. Cap. XV.

(4) Ibid. Cap. XVII.

(5) Ibid. Cap. XII.

(6) Ibid.

« possit intelligi" (1). Itaque a talibus potius abstinendum locis suadet, quae, quamvis planissime dicentis versentur eloquio, vix tamen a vulgo auditorum intelligi possint: in id autem semper incumbendum esse, ut vera, etiamsi intellectu difficillima, quae ipsi jam percepimus, cum quantocunque labore disputationis ad aliorum intelligentiam perducamus (2).

Perspicuitatem multum quoque juvare verborum usum atque delectum et Augustinus jam observavit, dicens (3): « Evidentiae diligentem appetitum aliquando negli- « gere verba cultiora, nec curare, quid bene indicet, atque intimet, quod ostende- « re intendit:" « unde oritur diligens quaedam negligentia quae tamen sic detrahit « ornatum, ut sordes non contrahat". Qui ergo docet, vitet omnia verba quae non « docent: et si pro eis alia integra, quae intelligantur, potest dicere, id magis eli- « gat. Si autem non potest, utatur etiam verbis minus integris dum tamen res ipsa « doceatur, atque discatur integre" (4).

2°. *Ad persuadendum aptus.*

Sed non sufficit, tantummodo intelligi, quae dicat Orator sacer. Accedat *persuasio* (5) apud auditores necesse est, de veritate eorum, quae jam intellecta sunt. Quapropter et ejusmodi ratione dicendi uti debet doctor Christianus, quae sit ad persuadendum apta.

Hanc vero vim Augustinus imprimis dicendi generi, quod submissum vocat tribuit, quo vera scilicet dicta esse demonstrentur (6). « Illa enim dictio submissa « plerumque dissolvit difficillimas quaestiones, et inopinata manifestatione demonstrat « dum sententias acutissimas, de nescio quibus cavernis, unde non sperabatur, eruit « atque ostendit: dum adversarii convincit errorem et docet falsum esse, quod ab « illo dici videbatur invictum: et hoc quidem maxime, quando adest ei quoddam « decus non appetitum, sed quodammodo naturale" (7). « Haec ergo magnum usum

---

(1) Ibid. Cap. VIII.

(2) Ibid. cap. IX,

(3) Ibid. cap. X.

(4) Est omnino praeceptum observatu semper dignissimum, sed quod ad Patres Latinos ipsos attinet, nimii saepe fuerunt in verbis cultioribus negligendis, unde barbara adeo dicendi ratio orta est. Horum edocti exemplo hanc addimus legem: ne quis verba, indoli linguae, qua scribat, contraria fabricetur, et novas inducat tenebras, male sedulus perspicuitati incultae curans: de hoc Angustini praecepto valet Delphicum illud: μηδὲν ἄγαν.

(5) Vox *persuasio* duo continet, quae belgice duobus vocabulis exprimuntur: *overtuiging en overreding*, illud h. l. nos velle sponte apparet. De hoc discrimine Vid. Blair in: *Lessen over de redekunst*, etc. P. II. pag. 191 sq.

(6) *De doct. Chr.* C. XXV.

(7) Ibid. C. XXVI.

« praebet doctori, cum non solum aperire clausa et nodos solvere quaestionum de-
« beat, sed etiam, dum hoc agitur, aliis quaestionibus, quae fortasse inciderint, ne
« id, quod dicimus, improbetur per illas aut refellatur, occurrere" (1).

Et omnino ad persuadendum saepe necesse est, ut respondeatur difficultatibus, quae vel a nonnullis motae sunt, vel facile ab auditoribus moveri possunt, si modo justam in hisce doctor adhibeat prudentiam.

3°. *Suavis sit.*

In docendo semper ita versetur, voluntatis divinae Interpres, ut simul excitet atque alat auditorum attentionem. « Nisi enim huic rei operam det, sed dicat insua-
« viter, ad paucos quidem studiosissimos suus perveniet fructus, qui ea, quae di-
« scenda sunt, quamvis abjecte dicantur, scire tamen desiderant. At quoniam inter
« se habent (ut scite Augustinus observat) quandam similitudinem vescentes atque
« discentes, propter fastidia plurimorum, etiam ipsa sine quibus vivi non potest, ali-
« menta condienda sunt" (2).

Etiamsi igitur sint tam felici indole, qui in verbis verum amare, non verba, sciant, propter eos tamen quibus « fastidientibus non placet veritas, si alio quocunque mo-
« do, nisi eo modo dicatur, ut placeat et sermo dicentis, datus est in eloquentia
« non parvus delectationi locus." (3).

Itaque delectandus auditor, ut teneatur ad audiendum, ut benevolum, intentum docilemque se exhibeat (4). « Illud autem non propter se usurpandum, sed ut re-
« bus, quae utiliter honesteque dicuntur, aliquanto promtius ex ipsa delectatione
« elocutionis accedat, vel tenacius adhaereat assensus." « Temperati igitur generis
« ornatu non jactanter, sed prudenter utatur doctor Sacer, non ejus fine contentus,
« quo tantummodo delectetur auditor, sed hoc potius agens, ut etiam ipso, ad bo-
« num, quod persuadere velit, adjuvetur." (5).

4°. *Ad Auditorum animos flectendos idoneus.*

Sed praeterea oportet Oratorem sacrum id agere, ut Auditorum moveat affectus, quod nisi effecerit, finem dicendi praecipuum non fuerit assecutus (6). « Quid enim," ait Augustinus, « profuerit verum confessum esse, et collaudasse eloquium, nec inclinare assensum, propter quem solum, cum quid suadetur, rebus, quae dicuntur, invigilat dicentis intentio?" « Oportet igitur eloquentem Ecclesiasticum, quando suadet aliquid, quod agendum est, non solum docere, ut instruat, et delectare, ut teneat, verum etiam flectere, ut vincat" (1). « Flectitur autem, si amet, quod polliceris, timeat, quod minaris, oderit, quod arguis, quod commendas, amplectatur, quod dolendum exaggeras, doleat, cum quid laetandum praedicas, gaudeat, misereatur eorum, quos miserandos ante oculos dicendo constituis, fugiat eos, quos cavendos terrendo proponis: et quidquid aliud grandi eloquentia fieri potest ad commovendos animos auditorum, non, quid agendum sit, ut sciant, sed ut agant, quod agendum jam sciunt" (2). « Persuadeat igitur in grandi genere Orator, ut agantur, quae agenda jam esse sciuntur, nec tamen aguntur, ut bona morum diligantur, vel devitentur mala:" — « aut si id jam agunt homines, ut agant studiosius, atque in eo firmiter perseverent" (3).

---

(1) Ibid. C. XIX init. C. XX. et C. XXIII. med.

(2) Ibid. C. XI.

(3) Vid. C. XIII. init.

(4) Vid. C. XII. fere med. coll. C. II. et C. XXVI. non multum ab initio.

(5) Ibid. Cap. XXV. in fine.

(6) Ibid. C. XIII.

« Sed et in isto genere, ubi ad obedientiam cor durum dictionis granditate flectendum est, nisi et intelligenter et libenter, qui dicit, audiatur, non potest obedienter audiri" (4). Quapropter dictio ita varietur, ut sermonibus suis Orator sacer, consilio, quod sibi proposuit, optime satisfaciat, et ut finem illum assequatur, quo nempe auditorem *persuadeat*, ejusque utilitati maxime inserviat (5).

Hunc autem scopum nemo facile attinget nisi et vita ipsius verbis respondeat.

Qui alios a vitiis et peccatis avocare cupit, ipse eorum immunis sit ac purus necesse est. « Etiamsi multi multis quidem prosint, dicendo, quae non faciunt: longe tamen pluribus prodessent, faciendo quae dicunt. Abundant enim, qui malae vitae suae defensionem ex ipsis suis doctoribus quaerunt, respondentes corde suo, aut etiam, si ad hoc erumpunt, ore suo, atque dicentes: Quod mihi praecipis, cur ipse non facis" (6)? Qua de caussa, Augustinus ut obedienter audiatur, quantacunque granditate dictionis majus pondus habere, dicit, vitam dicentis (7), adeoque hoc loco imprimis urget, quaecunque in universum de vitae ratione a Christianae doctrinae Interprete instituenda, supra a nobis allata sunt (8).

---

(1) Ibid. C. XIII.

(2) Cap. XII. fere med.

(3) Vid. Cap. XXV. coll. Cap. X. in fine.

(4) Cap. XXVI. in fine.

(5) Cff. Cap. XXII et XXIII.

(6) Vid. Ibid. circa finem et C. XXVII.

(7) Cap. XXVII. init.

(8) Cap. I. Sect. altera. §. 2.

§. 4.

Epicrisis.

Haec praecipua sunt, quae ad publice docendi provinciam facientia, colligenda putavi. Optimum mihi visum est, ipsos Patres, suis verbis, quantum commode fieri posset, praecepta tradentes introducere, cum hac ratione melius, quam quavis alia eorum sententias continuata quadam et cohaerente serie referri, atque antiquum quasi colorem servari, cogitarem. Omnia autem, quae tam ad materiae optionem, quam ad tractrandi et dicendi modum pertinentia (licet maximam partem generalia fuerint) attulimus, nobis quoque omnino utilia dicere non dubitamus. Quod ad sermones ipsos: alia certe, ut in capitis hujus initio verbo attigimus, sanctorum patrum aetate, eorum fuit ratio, quam quidem nostra. Utrum vero tecta eorum methodus magis minusve commendanda sit, quam hodierna, nostrum non est hic dijudicare. Illud constat: nostram auditoribus evidentiorem, faciliorem atque hinc fortasse utiliorem esse. Ceterum ex hac eorum methodo explicandum videtur, quod non nisi generalia huc spectantia monita apud patres inveniamus.

CAPUT TERTIUM.

QUOMODO VERSARI EUM OPORTEAT IN PUBLICO ET SOCIALI DEI CULTU MODERANDO.

Ad Episcoporum officia etiam pertinuisse, *publici et socialis Dei cultus moderamen*, ex variis variorum patrum locis abunde liquet. Quaenam iis hac in re facienda incumberent Binghamus hic et illic (1) accurate notavit. Atque ex locis ab eo allatis apparet, Episcopos *Psalmodiam* (2) et *lectionem S. Codicis*

---

(1) Cf. Binghamus l. c. Vol. VI. imprimis L. XIV. et omnino Vol. I. L. II. C. VI. §. 1 sq. Ubi docet Episcoporum potestatem in religionis partibus ritualibus fuisse absolutam. Videtur Binghamus, ubi *de Episcopis eorumque potestate* loquitur, non prorsus ab omni partium studio liber et immunis fuisse.

(2) Cf. Id. L. XIV. C. I. imprimis. §. 6. Ambrosium e. g. multum fecisse ad cantum publicum emendandum, vel exinde abunde liquet, quod novum canendi modum ipse invenerit, qui de eo *cantus Ambrosianus* vocatur. Vid. Augustini *confess.* IX. 7. Paulinum *in vitâ Ambrosii* P. IV. et J. C. L. Gieseler *Lehrbuch der Kirchengeschichte* Vol. I. Period. II. Sect. I. C. IV. §. 96.

cis (1) rexisse, precibus praeiisse (2) et *sacros ritus* administrasse (3).

De singulis vero nostri non monent. Quod neque mirum accidit, ad consilium, quo scripserint, attendentibus. Chrysostomus quidem mentionem injicit *administrationis s. coenae* (4) ac *baptismatis* (5) ut et *precum publicarum* (6), ubi difficultates, quae Episcopo se offerunt, recenset, atque docet, qualem eum esse oporteat, qui haec omnia pro rerum gravitate ad dignitate peragere velit, at praecepta, de modo, quo in hisce versari debeat, data opera non tradit. Neque tamen prorsus de omnibus huc spectantibus nostri silent. De *precibus* enim Augustinus nonnulla neque ea contemnenda monet. Antequam vero ejus praecepta hac de re perpendamus observandum est: *publicas Ecclesiae preces* eo tempore, maximam partem, finito demum sermone sacro fieri solitas fuisse (7), quum precibus, quae ei praemitterentur, doctores praecipue auxilium divinum implorarent, coetumque Christianum excitarent, ut pro ipsis orarent (8): ad has vero Augustini praecepta pertinere.

Jam quid de his praecipiat videamus!

Oratorem Christianum, tum pro se, tum pro aliis precari debere, ait, antequam docere incipiat. « Noster enim eloquens," inquit, « orando pro se ac pro illis, quos « est allocuturus, sit *orator* antequam *dictor*; priusquam exserat proferentem lin- « guam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet, quod biberit, vel quod im- « pleverit, fundat" « Cum enim," ita pergit, « de unaquaque re, quae secundum « fidem delectationemque tractanda sunt, multa sint, quae dicantur ab eis, qui haec « sciunt, quis novit, quid ad praesens tempus, vel nobis dicere, vel per nos expe- « diat audiri, nisi qui corda omnium videt? Et quis facit, ut, quid oportet, et quem- « admodum oportet, dicatur a nobis, nisi in cujus manu sunt et nos, et sermones no- « stri?" (9). Vult tamen doctorem sacrum, quoad ejus fieri possit, adhibere praeparationem diligentem (10).

Augustini aetate videntur fuisse, qui ab aliis cogitata vel scripta coram popupulo recitarent, cum tales diserte memoret (1), iisque quid precaturi sint, praescribat. « Illi enim", ait, « qui ea dicturi sunt, quae ab aliis acceperunt, et, « antequam accipiant, orent pro iis, a quibus accipiunt, ut eis detur, quod per eos « accipere volunt; et, cum acceperint, orent, ut bene et ipsi proferant, et illi ad « quos proferunt, sumant" (2): etc.

---

(1) Cf. Binghamus l. c. L. XIV. C. III. et C. IV. §. 11. imprimis p. 147.

(2) Cf. Id. ibid. L. XIV. C. IV. §. 13. alibi et C. V.

(3) Cf. Id. ibid. L. XV. C. IV sqq. variis in locis, et vol. IV. L. XI. C. VI sqq.

(4) Chrysost. l. c. L. III. C. IV. p. 24. in fine sq. et l. VI. C. IV. p. 74.

(5) Lib. III. C. V. p. 26.

(6) Lib. VI. C. IV. p. 74. N°. 518.

(7) Vid. Bingh. l. c. Vol. VI. L. XIV. C. V. §. 1. ubi de causa quoque, propter quam res ita se haberet, loquitur cf. Id. ibid. C. IV. §. 13. p. 152.

(8) Id. ibid. L. XIV. C. IV. §. 13.

(9) August. *de Doct. Chr.* C. XV et XVI.

(10) Cf. Id. ibid.

Haec ultima, quamvis nostris doctoribus sacris in universum nulli usui esse videantur, memorare tamen non abs re duxi, cum ad argumentum quod tractamus pertineant; atque ab iis etiam, qui Orationes sacras, experientia teste, ex libris editis descriptas publice recitare non erubescant, forte non incommode in usum suum converti possint.

Ex paucis autem iis, quae Nostri habent, illud in universum omnino probandum esse, quod ex Augustini Cap. XV. attigimus, et consuetudo hodiedum recepta et res ipsa satis demonstrant.

CAPUT QUARTUM.

QUOMODO VERSARI EUM OPORTEAT IN RELIGIONIS DOCTRINA PRIVATIM TRADENDA, SIVE IN INSTITUTIONE CATECHETICA.

§. 1.

Ad doctrinae Christianae interpretis officia pertinet institutio catechetica.

Patrum Ecclesiae nostrorum tempore moris fuisse non videtur, ut ipsi Episcopi primis religionis rudimentis imbuerent catechumenos, cum apertum sit, Presbyteros atque Diaconos plerumque catechetarum officio functos fuisse (1). Ipsum Chrysostomum has partes egisse cum Presbyter esset Antiochiae, ex quadam ejus homilia (2) patet, et Augustini liber *de catechisandis rudibus* qui nobis unice hoc capite in censum venit, indicio est, institutionem rudium Diaconis saepe fuisse concreditam. Neque tantum ex inferioribus etiam (1) interdum ad illud officium obeundum fuerunt electi; constat et praeterea tam in Orientalibus Ecclesiis quam Occidentalibus, Diaconissarum fuisse, mulieres de Christianae religionis Capitibus erudire (2). Binghamus tamen docet, etsi raro, nonnunquam tamen ab ipso quoque Episcopo catechisandi officium fuisse peractum (3). Quidquid vero temporum illorum consuetudo tulerit, et quaenam illius fuerit caussa, nostro aevo *Doctrinae Christianae interpretum curae* imprimis commissum esse novimus (4), ut juniores atque universe rudiores religionis Christianae elementis rite instituantur. Sapienti autem consilio, ad hanc rem agendam ipsos Doctores sacros teneri, nemo dubitaverit, qui perpenderit, quanti ponderis sit *juventutis institutio.* Quae si bene fiat, magnum sane *et* Ecclesiae, *et* universae reipublicae emolumentum afferet, si vero male, damnum irreparabile. Quinam autem ad hanc rem probe peragendam magis idonei censendi sunt quam ipsi doctrinae Christianae interpretes? Hodiernae vero in hac re agendi rationis utilitatem hic demonstrare velle, supervacaneum duci possit, atque a nostro negotio alienum, quare lubenter hisce supersedemus, potius visuri quid Patres Ecclesiae de *institutione catechetica* praeceperint!

---

(1) Ibid. Cap. XXIX. in fine cf. Binghamus L. XIV. C. IV. §. 22.

(2) August. ibid. Cap. XXX.

(3) Vid. Bingham l. c. Vol. II. L. III. C. X. §. 1. et cff. Sal. Deylingii *institutiones prudentiae pastoralis* P. II. §. 6.

(4) *Homilia* XXI. *ad populum Antioch.* quae inscripta est: *κατήχησις πρὸς τοὺς μέλλοντας φωτίζεσθαι.*

§. 2.

Qua ratione rudiores institui debeant.

De *catechisandis rudibus* (5) solus ex Nostris Augustinus agit, in libro hunc ipsum titulum in fronte gerente, quem, ut in Prolegomenis jam diximus in Diaconi cujusdam gratiam composuit. Institutionem Catecheticam *narrando* fieri debere, statuere videtur, cum in fine cap. II. haec habeat: « Itaque prius de modo *narrationis*, quod te velle cognovi, tum de praecipiendo ac cohortando disseremus."

Rudiori cuilibet historiam sacram a primis ejus initiis, a creatione nempe usque ad praesentia tempora exponi jubet (6). Qua in re ita catechetam versari vult,

ut

---

(1) Vid. Bingham l. c. Vol. II. L. III. C. X. §. 2.

(2) Id. ibid. Vol. I. L. II. C. XXII. §. 9. ubi loca affert, quae hoc probent.

(3) Id. l. c. Vol. II. L. III. C. X. §. 1. Quocum consentit Deylingius l. c. §. 6. qui eadem ac Binghamus loca ad rem probandam affert, ut saepius.

(4) Cff. Liber; cui titulus: *Gedachten over het Predikambt* enz. Sect. XI. p. 184 sq. et Boers l. c. Part. II. C. IV. §. 1. p. 162. ex quibus patet legibus Ecclesiasticis Sacrorum antistitem ad hanc rem obstringi.

(5) De vocibus *κατηχέω*, *κατηχούμενος* cet. earumque significationibus Vid. Suicerum ad vocem P. II. p. 69. sqq. Cff. Deyling. l. c. p. 305, 307. Pfeiffer l. c. Sect. IV. C. III. §. 60. in nota et Sam. Mursinna *in Homiletica* etc. §. 276. p. 99.

(6) Augustinus *de Catechisandis rudibus* C. III. cf. C. VI. med. „Inde jam exordienda narratio est,

„ab

ut non omnia continua serie, quae sacris continentur voluminibus, memoriter quasi reddat, vel suis verbis narrando explicet, sed ut cuncta generatim summatimque complectatur, et quaedam mirabiliora, quae suavius audiantur, inque ipsis articulis constituta sint, eligat; atque haec, aliquantum iis immorando, quasi resolvat atque expandat, et inspicienda atque miranda animis auditorum offerat, cetera vero celeriter percurrat: in omnibus autem ad praecepti finem attendat, nimirum caritatem de corde puro et conscientia bona et fide non ficta (1). Imprimis igitur id ei agendum esse ait: ut catechumenum doceat, quantus sit amor Dei erga homines, cujus maximum testimonium edidit, mittendo filium suum in hanc terram, ut homines a peccatis liberaret: adeoque omnia huc referenda quae *et* in Veteri *et* in Novo testamento occurrunt, ut sic ad amorem erga Deum et Proximum, a quibus duobus praeceptis tota Lex et Prophetae pendeant, discentem excitet: qua propter omnia narranda sunt, ut ille, ad quem loquatur, audiendo credat, credendo speret, sperando amet (2).

Ipse Augustinus, ut magis dilucide consilium suum exponat, exemplo docet (3) haec quomodo sint agenda, fingitque aliquem ad se venire, Christi sectatorem esse cupientem propter futuram post hanc vitam requiem. Primum igitur docet: neque bona terrestria, neque honores, neque cetera hujus mundi commoda hanc requiem afferre, quae ab iis tantum acquiri possit, qui Dei, eam promittentis, praecepta dilexerint, ideoque qui veram felicitatem appetat, spem suam non in rebus caducis sed in effatis divinis collocare debere: hominem autem peccato depravatum requiem illam penitus perdidisse. Deinde (4) a mundi incunabulis, a primo peccato ejusque sequelis pergit ad ceteram historiam usque ad Noachum, hinc ad Abrahamum, tum ad Davidem, postea ad *Captivitatem Babylonicam* in quibus singulis periodis *allegorias* aut *typos* sequentium temporum animadverti vult: deinceps (5) ad tempora aduentus Jesu Christi in hanc terram transit, quo lex impleta est, dum non cupiditate rerum temporalium, sed caritate illius, qui praecepit, fiunt quae praecepit, atque considerat humilem Jesu conditionem, qua ostenderetur non terrenas opes veram efficere felicitatem, neque has esse debere finem, in quem tendendum sit. Tunc (6) ulteriorem Jesu historiam narrat, et sequentia Ecclesiae tempora percurrit tandemque narratione finita catechumenum exhortatur (7) ad constantiam in ea fide, quae propria

---

„ab eo, quod fecit Deus omnia bona valde, et producenda, ut diximus, usque ad praesentia tempora Ecclesiae." cet.

(1) Vid. Cap. III.

(2) Vid. Cap. IV.

(3) Cap. XV — XXVI.

(4) Cap. XVII. fere in fine.

(5) Cap. XXII.

(6) Cap. XXII — XXIV.

(7) Cap. XXV.

pria esse debeat credenti in Jesu Christo, qui salutis ab eo allatae particeps fieri cupiat.

Non omnes autem eodem modo instituendos esse Augustinus monet (1); aliter enim cum iis, quos propter commoda sua Christi sectatores fieri velle scimus; aliter cum Grammaticis, atque ex Rhetorum schola sapientibus, aliter cum doctoribus in universum agendum esse (2). De illis C. V. et VI. fusius agit. His vero non odiose inculcare catechetam vult, quae jam sciant, sed modeste omnia perstringere, ita ut credere se dicat, eos haec atque illa jam nota habere, et hoc modo cursim enumerare omnia, quae rudibus indoctisque inculcanda sunt. Ante omnia ex iis quaerere eum jubet, quibus rationibus adducti, Christi sectatores fieri cupiant; ac si bonis libris edocti sint, approbare, si in haereticos incurrerint, de iis monere et contra eos hortari: cetera vero secundum regulas doctrinae salutaris, sive de fide, sive de moribus narrare (3).

§. 3.

Continuatio.

Narratione finita de spe resurrectionis loqui catechetam jubet (4), et pro captu ac viribus audientis, proque ipsius temporis modulo adversus varias irrisiones infidelium tractare de futuri ultimi judicii bonitate in bonos, severitate in malos, veritate in omnes, commemoratisque cum detestatione et horrore poenis impiorum, regnum justorum ac fidelium, et supernam illam civitatem ejusque gaudia cum desiderio praedicare: tum vero instruere et animare infirmitatem hominis adversus tentationes et scandala sive foris, sive in ipsa intus Ecclesia. Simul etiam breviter et decenter praecepta tradere eum vult (5), de Christiana atque honesta conversatione, ne ab ebriosis, avaris, fraudatoribus, aleatoribus, adulteris aut ceteris ejusmodi generis hominibus, seduci se patiatur, neque vitia impune fieri arbitretur, quia multos videat, qui Christiani appellantur, haec amare, et agere et defendere et suadere et persuadere. Institutione vero ad finem perducta, jubet (6) interrogari catechumenum, an credat, quae didicerit, eaque observare desideret, quod cum responderit, tum solemniter eum signari, et more tractari.

§. 4.

---

(1) Cap. XV.

(2) Capp. V. VI. VIII et IX.

(3) Vid. l. l. modo l. l.

(4) Cap. VII.

(5) Ibid.

(6) Cap. XXVI.

§. 4.

Quomodo Doctorem Sacrum Catechumenos tractare oporteat.

Catechetae magna in docendo patientia opus esse (1) dicit, inprimis si inter catechumenos segniores inveniantur, aut stupidiores, quos cum amore tractare eum vult neque usitata ac parvulis congruentia in eorum gratiam repetere fastidire, ut tandem id efficiat, ut quae dixerit intelligantur; atque adeo omnia sermone tentare, quae ad excitandos auditores valeant. Quamobrem timor blanda exhortatione depellendus est, interrogandus auditor utrum dicta intelligat, et danda fiducia, ut, si quid ei contradicendum videatur, libere proferat: deinde agendum pro ejus responsione, ut aut planius et enodatius loquatur, aut opinionem contrariam refellat, aut ea, quae illi nota sunt, latius non explicet, sed breviter complicet. Si autem nimis tardus sit, ad quem loquatur, et ab omni suavitate alienus, mansuete ferri eum vult, breviterque decursis ceteris, ea quae maxime necessaria sunt, inculcari, magisque pro illo ad Deum, quam illi de Deo multa dici jubet (2).

§. 5.

Epicrisis.

Haec potissima sunt, quae ad *institutionem catecheticam* facientia ex Augustino colligenda putavimus. In quibus etsi multa bona occurrant, atque omnibus temporibus accommodata haud pauca tamen nostro quoque aevo minus congrua esse videntur. Nam praeterquam quod raro temporis opportunitas se offerat, ubi haec praecepta in usum suum convertere possit doctrinae interpres, varia quoque in ipsis praeceptis inveniuntur minus hodiedum probanda. Quis enim *allegoriis typisve* etiam nunc ita inhaeserit, ut ubique in *Sacra Scriptura* eas invenire studuerit, aut tantum, quantum Augustinus, iis statuerit pretium. Quod si in universum nemo facile fecerit, quanto minus in *institutione catechetica*, cujus consilium primarium hoc est, ut aut juniores aut rudiores ad religionis Christianae notitiam perducantur; ad quod non ubique Augustinus satis attendisse videtur, cum saepe inter narrandum intellectu difficiliora facilioribus misceat, et res minoris ponderis referat, graviora omittens.

At summa tamen rei Augustino eadem est, quae semper esse debeat: nimirum re-

---

(1) Vid. Cap. XII.

(2) Cap. XIII.

religionis cognitione catechumenos imbuere, ipsam religionis doctrinam exponere, idoneis eam confirmare argumentis, et ad rectam vitae rationem applicare.

Quod ad praecepta attinet, quibus docet, quomodo Doctorem Sacrum erga catechumenos gerere se oporteat; de blando scilicet alloquio ceterisque quae e Cap. XII et XIII. attulimus, talia omnino sunt, quae omni tempore observari mereantur.

Praeterea, illud, quod Augustinus habet de narratione adhibenda in rudibus instituendis, nostra attentione minime indignum videtur. Ea enim est religionis Christianae natura atque indoles, ut historico argumento innitatur, quin et tota fere eo absolvatur. Quidquid dicant de *methodo Socratica*, quam ajunt, egregie quidem haec inservit ad docendos rudiores ejusmodi doctrinas, quas cogitando et ratiocinando mens nostra invenire possit, atque eatenus summopere commendari meretur; at vero in *institutione religionis Christianae* non adeo adhiberi posse videtur, cum res in facto positae et praecepta positiva hancce doctrinam efficiant. Itaque necessario requiritur, ut doctor initio enarrando incipiat, dein autem, ut commodis discipulorum consulat, crebra repetitione dicta animis eorum inculcare studeat. Quidni etiam, suadente Augustino, historiae Ecclesiasticae notitia catechumenos, quantum fieri possit, imbuat, praesertim nostro tempore, quo imprimis et indocti opus habeant, ut contra Romano-Catholicorum insidias muniantur, quod melius fieri nequit, quam aperiundis iis (quod tamen semper absque ullo partium studio fieri debere, res ipsa loquitur) errorum causis et fontibus?

Rationem jam concludentes, statuimus multa quidem ex iis, quae attulimus, praeceptis, a doctrinae Christianae Interprete hodierno merito in usum suum converti posse, cum alia contra minime nostris commendanda censeamus.

⁂

CAPUT QUINTUM.

QUOMODO VERSARI EUM OPORTEAT IN IIS, QUAE PERTINENT AD SINGULAREM COETUS CHRISTIANI CURAM.

SECTIO PRIMA.

QUID PASTORI, IN COETUS SUI SOCIORUM USU SIVE CONVERSATIONE, AGENDUM INCUMBAT.

§. 1.

Eorum invisendorum utilitas.

Oportet omnino Sacrorum Antistitem, qui munere suo bene fungi cupiat, atque omnibus et singulis quovis modo, quantumque potest, prodesse, interdum eos invisere, qui curae ipsius commissi sunt (2), atque hoc quidem eo magis, quo libentius plerique Pastorum consuetudine utantur. Quod etiam nunc aeque ac Chrysostomi aetate obtinet. Multi enim hodiedum eo usque omnia excutiunt, quae a Pastoribus fiunt « ut vel appellationes, salutationesque, adspectus habitum visusque « modum observent" (2). Neque ii solum, qui aegrotant, sed et qui sano sunt corpore, invisi se volunt, id quod non religionis ac pietatis, sed honoris potius dignitatisque nomine saepe plurimi sibi vindicant (3).

Ut igitur omnium, quantum fieri potest, desideriis satisfaciat Ecclesiae minister, omnes invisere debet, cum hac re amorem multitudinis inprimis sibi conciliet.

Ambrosio tamen minus placere videtur, Pastorem quotidie omnium domos circumire; sic enim loquitur (4). « Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia vaces, « lec-

---

(1) Cf, Chrysost. l. c. L. VI. C. VIII. p. 78. in fine.

(2) Id. L. III. C. XVIII. p. 46. fere med.

(3) Vid. ibid. p. 46. supr.

(4) Ambros. l. c. L. I. C. XX.

« lectioni impendas? cur non Christum revisas, Christum alloquaris, Christum au-« dias? Illum alloquimur, cum oramus; illum audimus cum divina legimus miracu-« la. Quid nobis cum alienis domibus? Una est domus, quae omnes capit. Illi « potius ad nos veniant, qui nos requirunt. Quid nobis cum fabulis? Ministerium « altaribus Christi, non obsequium hominibus deferendum accepimus.” In quibus pro maxima parte minus recte sentire nobis videtur, atque ingenio suo severiori nimis indulsisse, cum recte contra **Chrysostomus** observet (1): « eum, qui suum « unius animum excolat, sibi duntaxat utilem esse et pastoralis tamen functionis lu-« crum ad universum populum manare debere.” Atque omnino reprehendendus videtur Pastor, qui vel socordia, vel superbia, vel nimio studiorum amore ductus, semper domi sedeat, sibique tantum vivens, officii sui verissimam partem negligat, negligendo coetus sui sociorum usu. Non mediocrem enim invisendi consuetudo utilitatis fructum affert; nam praeterquam quod hac ratione multitudinis amorem, atque aestimationem sibi conciliet voluntatis divinae interpres, maxime insuper prodest, ad eos cognoscendos, quorum cura ipsi sit demandata.

Et hoc quidem semper spectet, ut singulorum ingenium ac mores, virtutes et vitia cognoscat. Quapropter bene **Chrysostomus** (2) « multa quidem opus est,” inquit, « pastori prudentia, sexcentis etiam, ut sic dicam, oculis, ut recte undique « humani animi habitum circumspicere possit.” « Illius enim morbi haud facile sese « aliis produnt; nam, quae intra hominem latent, praeter hominis spiritum, qui in « ipso est, nemo intelligit. Quomodo autem medicinam adhibere quis possit morbo, « cujus modum nequaquam noscat? Quum etiam persaepe accidat, ut ne intelli-« gere quidem possit, morbus subsit, nec ne” (3).

Ex quibus sequi videtur, omni opera atque diligentia Pastorem Ecclesiae id agere debere, ut gregis sibi crediti *et* bona *et* mala cognoscat, quo aptus evadat, ad curam cuique convenientem adhibendam. Quod vero cum nulla re melius, quam frequenti omnium usu, fieri queat, invisendi coetus Christiani consuetudinem, duce inprimis **Chrysostomo**, merito commendandam putamus.

§. 2.

---

(2) Chrys. L. II, C, IV. p. 16. in fine: *ὁ μὲν γὰρ ἑαυτὸν ἀσκῶν, εἰς ἑαυτὸν μόνον περιίστησι τὴν ὠφέλειαν· τὸ δὲ τῆς ποιμαντικῆς κέρδος, εἰς ἅπαντα διαβαίνει τὸν λαόν.*

(2) Chrysost. L. II. C. IV. p. 16. 113. *Διὰ τοῦτο πολλῆς δεῖ τῆς συνέσεως τῷ ποιμένι καὶ μυρίων ὀφθαλμῶν πρὸς τὸ περισκοπεῖν πάντοθεν τὴν τῆς ψυχῆς ἕξιν.*

(3) Chrys. L. II. c. II. p. 14. 102. *τὰς δὲ τῶν ἀνθρώπων — δυνάμενος συνιδεῖν.*

§. 2.

Quomodo hac in re versari eum oporteat.

Paragrapho praecedenti vidimus, consuetudinem illam, ex qua fit, ut doctrinae Christianae Interpres, singulos suae curae creditos, interdum invisat, magnum utilitatis fructum afferre posse; cum hac ratione amorem aestimationemque multitudinis sibi conciliet, ejus virtutes atque vitia et quasi morbos cognoscat, et simul promtus ac paratus reddatur, ad remedia singulorum morbis idonea adhibenda. Prudenter autem ipsi hoc in negotio versandum esse, res ipsa loquitur. Quamvis igitur omnium coetus sui sociorum domos frequentare debeat, atque etiam conviviis eorum laetis interesse possit, non nimium tamen temporis hisce tribuendum esse, bene Ambrosius (1) monet « cum et occupationes habeant, et prodant « epulandi cupiditatem. Intemperantium omnino vitanda consortia, cum sub spe« cie jucunditatis venenum infundant bonis, et si assidua sint, maxime in convi« vio, ludo ac joco, gravitatem virilem enervent. Praecipue autem, cum fabu« lae frequenter de seculo ac voluptatibus subrepant, ubi claudere aures pastor non « potest, neque gravitate interposita prohibere, ut ne superbiae suspicionem in« currat." Deinde non vult « juniores viduarum et virginum domos frequentius ad« ire, cum ita secularibus facile obtrectandi locum daturi sint. Quam multos enim," « ait, « fortes illecebra decepit? Quanti non dederunt errori locum et dederunt « suspicioni?" (2).

Quae hic ex Ambrosio attulimus, minime negligenda pro maxima parte videntur, dummodo nobis persuadeamus, propter abusum in multis, usum non esse tollendum. Quomodo enim iis profuturus sit Ecclesiae minister, qui maxime ejus ope atque auxilio indigent, si eos vitet atque fugiat? Attamen quo sensu noster praecepta sua tradidit, omnino probanda videntur. Nimirum eos vitare Pastorem commendat, quorum usus *et* ipsi damnum detrimentumque afferat *et* bonae ipsius famae noceat.

§. 3.

Quid ei agendum sit, ut famae suae consulat.

Etiamsi doctrinae Christianae Interpres, qui munere suo fideliter fungi desiderat,

---

(1) Ambros. L. I. C. XX.

(2) Id. ibid. Cf. Chrysost. L. VI. C. VIII. p. 79. n°. 557 seq.

rat, nullius consuetudini subtrahere se debet, hoc tamen non impedit, quo minus unum alterumque magis sibi devinciat (1).

Sed omnino opus est, ut conversationis fiat electio. Imprimis Ambrosius commendat (2), ut probatissimis quibusque jungatur senioribus, cum usus eorum tutior saepe sit, quam aequalium, atque in universum recte dicit (3) « plurimum prodesse, bonis jungi, cum ostendat, eorum se imitatorem esse, quibus quisque adhaeserit, et ea convalescat opinio, quod ab his vivendi quisque acceperit similitudinem, quibuscum conversandi acceperit cupiditatem." Sociorum igitur probatorum usus multum quoque ad id conferre potest, ut homines bene de nobis sentiant, adeoque omni studio id agere debet voluntatis divinae Interpres, ut bona ipsius apud plerosque non tantum sit opinio, sed etiam ut eam quovis modo retineat, atque firmet (4). Quare « omni sedulitate commendet existimationem opinionemque suam, ac primum placiditate mentis et animi benignitate influat in affectum hominum; deinde affabilitate sermonis ceterisque omnibus, quae ad conciliandam gratiam facere possint, id agat ut amorem multitudinis sibi conciliet" (5): « nihil enim melius, quam amari, cum ex dilectione nascatur fides, ut committere se ejus affectui non vereantur, quem pluribus carum animadverterint" (6). At quamvis omnia fecerit, quae in ipsius fuerint potestate, ad existimationem suam commendandam atque retinendam, nonnunquam tamen et saepius quidem accidit, ut ab invidis quibusdam labes ei adspergatur, et mali sic oriantur rumores. Vult autem Chrysostomus (7) sacrorum antistitem intempestivas tales insimulationes οὔτε ἀμέτρως δεδοικέναι καὶ τρέμειν, οὔτε ἁπλῶς παρορᾷν, sed etiamsi falsae sint, et a contemtis in eum contorqueantur hominibus, contendere tamen, ut cito eas extinguat, cum nihil magis famam augeat vel bonam vel malam, quam vulgus incompositum. Quamobrem jubet (8), vulgus ipsum non contemnere, sed potius suspiciones pravas, statim atque exortae illae fuerint, intercidere, ac nihil prorsus omittere rerum earum, quae pravum de ipso judicium delere possint. Hoc autem facere eum oportet multa cum humanitate, et comitate, ita ut injustas potius accusationes condonet, quam eas aegre ferat iisque exasperari se patiatur: ante omnia vero officio suo ita fungi, atque ita vitam suam componere, ut nemini eum insimulandi atque accusandi ansam praebeat (1). « Quamdiu enim « vita ejus pulchre undique congruens, concinnataque fuerit, nullae illi adversario« rum insidiae nocere poterunt" (2).

---

(1) Cf. Boers l. c. Part. II. C. III. Sect. II. §. 3. p. 104.

(2) Ambros. Lib. I. C. XLIII.

(3) Lib. II. C. XX.

(4) Cf. Ambros. Lib. I. C. XLVII.

(5) Ambros. L. II. C. VII.

(6) Id. ibid. C. XVI. in fine.

(7) Lib. V. C. IV. p. 65. no. 460. Cf. Boers l. c. Part. II. Cap. III. Sect. II. §. 7.

(8) Chrysost. L. V. C. IV. p. 65. no. 462. coll. L. VI. C. IX. p. 80. no. 565.

SECTIO ALTERA.

QUID IN CURIS PASTORALIBUS IN UNIVERSUM IPSI OBSERVANDUM SIT.

§. 1.

Non omnes eodem modo tractandi sunt.

Quicunque Ecclesiae minister omnia observaverit, quae supra attigimus, jam aliquomodo idoneus evadet, ad curam singulis congruam adhibendam. Omnes autem, qui ipsius curae commissi sunt, cum neque iisdem sint moribus, neque eandem vitae rationem sequantur, per se patet, alios alio modo esse tractandos. Quare bene dixit Chrysostomus (3): « Pastorem Ecclesiae varium esse debere, non « subdolum, neque adulatorem, sed magna tum libertate, tum fiducia plenum, « et qui ex re submittere se, atque obsecundare sciat, quoties negotiorum usus « postulat, quique idem benignus sit et austerus. Non enim," ita orationem persequitur, « unum duntaxat in modum subditis omnibus uti debet, sicut neque me« dicis ipsis convenit, omnes qui morbo laborant, uno eodemque modo tractare." « Si enim, (ut alio loco (4) recte animadvertit) « blandius eum tractes, cujus affe« ctum corpus incisione, eaque magna indiget, neque altam inflixeris plagam ei, « qui ea opus habet, fiet, ut vulnus ipsum partim sit resectum, partim relictum. « Rursum, si nulla ex parte parcere volens, debitam adhibueris sectionem, fiet sae« pe, ut animam ille doloris impatientia despondens, adeoque omnia simul detre

---

(1) Chrys. L. VI. C. IX. p. 79. no. 562.

(2) Id. L. III. C. XIV. p. 35. no. 264.

(3) Lib. VI. C. IV. p. 75. no. 528. Cf. et Ambros. Lib. II. C. XXII.

(4) Chrys. L. II. C. IV. initio p. 15. no. 108.

« ctans, tum pharmacum, tum vinculum, se ipse praecipitem ferat, contrito jugo « ac confracto laqueo."

§. 2.

In corrigendis singulorum vitiis prudenter versari debet.

Qui in corrigendis singulorum vitiis prospero successu uti cupiat « eum haud « temere," (ut recte Chrysostomus (1) monet) « ad delictorum modum opor- « tet, et mulctam ipsam adhibere: sed tanquam conjecturis quibusdam explorare « delinquentium animum, ne qua fiat, ut, dum consuere velit, quod interruptum « est, scissuram deteriorem faciat: ac dum eum, qui lapsus est, erigere atque emen- « dare studeat, casus ipse major reddatur." Nam" (ut merito observat (2)) « qui « infirmi sunt ac remissi, et magna ex parte mundi hujus deliciis illecebrisque il- « laqueati, quique iidem a generis claritate, a potentia atque opibus habere se pu- « tant, unde animos magnopere tollant: ii si sensim ac paulatim peccatorum cor- « rectionem Pastor adhibeat, forte, si non penitus, attamen parte aliqua eximere se « ac liberare a malis peccatisque ipsos occupantibus poterunt; quos vero si justa « statim animadversione emendare velit, facile fiet, ut minore etiam illa correctio- « ne, quam sustinere poterant, eos privet. Humanus enim animus, posteaquam ve- « recundiae fines semel transire coactus est, in indolentiam delabitur, ac post mo- « dum nec blandis verbis paret, nec minis flectitur, nec beneficiis movetur."

Ne igitur nimia severitate in emendando adhibenda, Pastor Ecclesiae efficiat, ut nonnulli animum despondeant, et de salute desperent, neque nimia remissione, ut in negligentiam decidant, ac majorem peccandi licentiam alii sibi vindicent (3). Itaque nihil horum relinquendum est, quod probe non excutiat, atque examinet is, cui animorum cura est commissa: quin omnia accurate ac studiose perscrutatum, tum demum illum oportet, sua ipsius remedia congrue, apte et accommodate afferre (4).

Magna igitur prudentia ei opus est, qui ita omnibus ad libram juste pensitatis, medicinam cuivis convenientem optime adhibere velit.

§. 3.

---

(1) Lib. II. c. IV. p. 15 in fine.

(2) Lib. II. c. IV. p. 15. no. 111.

(3) Cf. Id. ibid. p. 16. no. 114. et Ambros. l. II. c. XXIV.

(4) Cf. Chrysost. ibid. p. 16. n. 115.

§. 3.

Maxima etiam mansuetudine ac lenitate in corrigendo opus est.

Pastoris agendi ratio, quo magis cum optimae religionis decretis consentiat, atque consilio ipsius Servatoris, qui eam instituit, respondeat, eo certe melior dici meretur. Et sane Religionis Christianae mandatis maxime consentaneum, atque proinde merito laudandum Chrysostomi videtur hac in re praeceptum, quo haec habet: *Μάλιστα μὲν γὰρ ἁπάντων Χριστιανοῖς οὐκ ἐφεῖται πρὸς βίαν ἐπανορθοῦν τὰ τῶν ἁμαρτανόντων πταίσματα* (1).

Hanc igitur sibi semper scribat legem, cui animorum cura demandata est: « non « vim inferendam esse, sed suadendum tantum, ut hac ratione meliorem reddat, quem « emendandum susceperit" (2), cum praeterea nemo sit, qui vi invitum curare possit (3). Quae cum ita sint, rectissime videtur Chrysostomus alibi (4) quoque animadvertisse: *τὴν τῆς ἀγάπης δύναμιν μάλιστα μὲν πολὺ μέρος πρὸς τὴν τῶν πλησίον διόρθωσιν συμβαλεσθαι.*

SECTIO TERTIA.

QUANAM RATIONE SINGULI TRACTANDI SINT.

§. 1.

Quomodo nimis curiosi tractandi sint.

Ex iis, quae Chrysostomus lib. VI. cap. VIII. habet, in universum quidem apparet: Ecclesiae ministrum invisere aegrotantes, solari lugentes, increpare languentes et adjuvare afflictos debere: quomodo autem singuli tractandi sint, non addit. Neque hoc ejus consilium exigebat, cum toto in libro id tantum egerit, ut muneris sacri ambitum, ejusque administrandi difficultates in media quasi luce poneret, atque ita se ipsum, illud detrectantem defenderet.

---

(1) Lib. II. c. III. p. 15. no. 104.
(2) Id. Ibid. no. 104. in fine.
(3) Ibid. n. 107. in fine.
(4) Lib. II. C. VI. p. 20. no. 149.

Nonnulla tamen etiam affert, in quibus, quid agendum sit, accuratius indicat, ubi, e. g. de iis loquitur, qui: ὑπὸ πολυπραγμοσύνης ἁπλῶς καὶ εἰκῇ περιεργάζεσθαι θέλουσιν, ἃ μήτε μαθόντας ἔστι κερδᾶναι, μήτε μαθεῖν δυνατὸν· aliisque, qui: τῶν τοῦ θεοῦ κριμάτων εὐθύνας a Pastore ἀπαιτοῦσι, καὶ τὴν ἄβυσσον τὴν πολλὴν ἀναμετρεῖν βιάζονται· (1). Tales autem homines, qui prae nimia curiositate sine ullo utili consilio ejusmodi quaestiones Pastori objiciunt, magnam saepe illi molestiam creare recte observat: « Nam si auctoritate interposita hujusmodi curiosorum ora obstruere conaretur, cum arrogantiae tum inscitiae notam sibi ipse inureret (2)." Qua de causa, magnam hic adhibere prudentiam jubet, ut tum illos ab hujusmodi quaestionibus abducat, tum criminationes istas a se avertat: « cum vero adversus haec omnia, nullum nisi dicendi suppetat auxilium, omni modo id agere Antistitem sacrum, ut bene dicendi facultate polleat, addens: Κἂν τις ταύτης ἀπεστερημένος ᾖ τῆς δυνάμεως, οὐδὲν ἄμεινον τῶν χειμαζομένων πλοίων διηνεκῶς αἱ ψυχαὶ τῶν ὑπ' αὐτῷ τεταγμένων ἀνδρῶν διακείσονται, τῶν ἀσθενεστέρων καὶ περιεργοτέρων λέγω (3).

§. 2.

Quomodo gravius peccantes tractandi sint.

Historia teste scimus, jam a primis rei Christianae temporibus morem invaluisse, quo ii qui male viverent atque divinae scripturae praecepta longius transgrederentur, e coetu Christiano exclusi fuerint, juribusque, quae tanquam illius socii habuerant, privati; eamque consuetudinem lapsu temporum in tantum abusum abiisse, ut propter levissimos errores, vel alias etiam privatas caussas nonnulli Episcopi excommunicarent, quemcunque vellent: atque ita prorsus scopo suo excidisse morem, qui propter Ecclesiae salutem et incolumitatem institutus fuit.

Nonnulla quoque hac de re habent **Chrysostomus** et **Ambrosius**, quorum hic Episcopum comparat (4) cum bono medico « a quo cum dolore amputatur, quae putruit pars corporis, et diu tractatur, si potest sanari medicamentis, si non potest, absciditur. Sic igitur," inquit, « etiam Episcopi affectus boni est, ut optet sanari infirmos, serpentia auferre ulcera, adurere aliqua, non abscindere."

Rem autem aegritudinis ac molestiae plenam dicit **Chysostomus** (5), amovere re aliquem ex Ecclesiae coetu, et magna hic opus esse diligentia, ne dum prodesse cupias, majoris damni auctor fias (1). Neque deinde vult ei, qui a recto Christianae fidei tramite aberraverit, vim inferri, aut terrore cogi, verum suaderi tantum, ut de integro ad veritatem redeat, unde initio dilapsus fuerat (2). Quare « magnanimum ac generosum Episcopum hic esse debere ait, ne animo deficiat ac « delassetur, neque errantium salutem despondeat, ac desperet, talem denique qui « nunquam non illud secum cogitet et dicat: μήποτε δῷ αὐτοῖς ὁ θεὸς ἐπίγνωσιν ἀληθείας, ἀπαλλαγῶσι τῆς τοῦ διαβόλου παγίδος" (3).

---

(1) Lib. IV. cap. V. p. 57 in fine.

(2) Lib IV. c. V. p. 58. n. 411.

(3) Ibid. n. 412.

(4) **Ambros.** Lib. II. c. XXVII.

(5) **Chrys.** Lib. III. c. XVIII. p. 46. in fine.

Licet excludendi illa consuetudo nunc quidem prorsus abrogata sit, minime tamen nostro aevo mali mores et pessima vitae ratio inculpata permittuntur, cum a Sacrae Coenae usu gravius delinquentes prohibeantur, donec ad meliorem frugem redeant.

Hujus autem poenae infligendae potestas non amplius penes solum est Sacrorum Antistitem, sed penes totum Senatum Ecclesiasticum. Ceterum agendi ratio, qualis a Chrysostomo et Ambrosio describitur, si ea, quae temporum ratio mutanda imposuit, excipias, omnino jure hodieque commendari posse videtur.

SECTIO QUARTA.

QUID PASTORI AGENDUM INCUMBAT, QUOD AD PAUPERES, ALIOSQUE QUI OPE ATQUE AUXILIO INDIGENT.

§. 1.

Nonnulla in universum huc spectantia.

Mirum non accidit, aetate Chrysostomi ad Episcoporum officia etiam nonnulla pertinuisse, quae nostrae aetati minus conveniant. Nimirum muneris sui ambitum ac difficultates recensens, memorat, τὴν τῶν χηρῶν προστασίαν, τὴν τῶν παρθένων κηδεμονίαν καὶ τοῦ δικαστικοῦ μέρους τὴν δυσχέρειαν· (4) deinde etiam τὰς τῶν ξένων ποὑποδοχὰς καὶ τὰς τῶν ἀσθενούντων θεραπείας (1). Quorum alia tempori danda sunt, alia auctoritati Episcopali (2). Eorum enim dignitas certe major erat et auctoritas, quam ministrorum Ecclesiae nostro aevo, atque hinc intelligi facile potest, etiam in judiciis, quasdam eorum fuisse partes. Tantam omnino plurimi in Episcoporum integritate et justitia collocabant fiduciam, ut plerumque litium et controversiarum suarum arbitros eos eligerent (3). Haec autem potestas in rebus civilibus iis non tantum lubenter concessa fuit; verum etiam legibus firmata atque stabilita (4). Qua in re melius nostris temporibus agi videtur, cum res civiles soli magistratui civili judicandae relinquantur, et Voluntatis divinae Interpres officiis suis rite functus censeatur, si modo iis, quae ad munus sacrum stricte pertineant, satisfecerit.

---

(1) Ibid. p. 47. n. 335.

(2) Lib. II. c. IV. p. 16. n. 118.

(3) Ibid. n. 119.

(4) Lib. III. c. XVI. p. 40. in fine n. 295.

Neque praeterea illa, cujus Chrysostomus mentionem injicit, nos premit difficultas, quae oritur ex hospitum ac aegrotorum curatione; neque nunc amplius ii sumus, qui virginitati perpetuae aut viduitati (5) tantam tribuamus sanctitatem, ut earum quoque sacrum quemdam ordinem habere, easque ex Ecclesiae reditibus alere cupiamus. Quare, quod hac § recensuimus, lubentes illis temporibus dabimus, neque vehementer dolemus talia in desuetudinem abiisse, aut prorsus abrogata esse, quae, si etiamnum exstarent, doctrinae Christianae Interpretibus, magnum sane negotium facescerent.

§. 2.

Cura pauperum.

Quamquam pauperum cura in nostra patria Diaconis commissa sit, non ita tamen en ubivis (1) obtinet. Constat enim in aliis terrae regionibus horum quoque curam ad officia ipsius doctrinae Christianae Interpretis pertinere, atque fieri posse, ut status cujusdam etiam in patria nostra coetus, pastoris hac in re auxilio indigeat. Quidquid autem hujus rei est, videamus quaenam Patres Ecclesiae de pauperum cura praecipiant.

---

(1) Ibid. p. 43. no. 312. cf. et Ambros. Lib. II. c. XXI.

(2) De ea, e. g. Ambrosius in libro *de dignitate sacerdotali* c. II. med. sic loquitur: „Honor igitur fratres, et sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adaequari. Si regum fulgori compares et principum diademati, longe erit inferius quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares; quippe cum videas regum colla et principum submitti genibus sacerdotum, et exosculatis eorum dextris, orationibus eorum credant se communiri. Quid jam de plebeja dixerim multitudine, cui non solum praeferri a Domino meruit, sed ut eam quoque jure tueatur patrio, praeceptis imperatum est Euangelicis." Cf. etiam Chrysostomus de Sacerdotio variis in locis e. g. L. VI. c. XII. p. 84. sq. L. III. c. IV. p. 24. et de crescente clericorum auctoritate Vid. J. C. L. Gieseler: *Lehrbuch der Kirchen Geschichte* Vol. I. Period. II. Sect. I. c. III. §. 87. sqq.

(3) Cf. Bingham l. c. Vol. I. L. II. c. VII. §. 1, 2.

(4) Cf. Id. ibid. c. VII. §. 3.

(5) De virginibus Ecclesiasticis viduisque, atque de juribus et privilegiis, quae iis concederentur Cf. Bingham l. c. Vol. III. L. VII. c. IV. §. 1, 2, 7, 9.

Vehementer reprehendunt Sacrorum Antistitem qui sciens fidelem egere, sine quaestu esse, fame laborare atque aerumnam perpeti sinat (2); eumque volunt, quoad ejus fieri possit, id etiam curare, ut Ecclesiae facultates adsint, unde pauperum inopiae subvenire queat (3), atque in largiendo ipso prudenter versari (4). Quare videre debet, quinam revera ope atque auxilio indigeant, neque solum aures praebere precantium vocibus, sed etiam oculos, considerandis necessitatibus, ut et ille requiratur, qui videri erubescat (5): atque in largiendo rationem habere aetatis ac debilitatis, ut senibus plus largiatur, iisque omnibus, qui sibi labore non amplius victum quaerere possint (3). Eum autem liberalitatis modum esse volunt, ut nec inutilis fiat largitas nec alimenta indigentibus unquam desint, sed, quantum fieri potest, quasi ex fonte affluant (7).

Haec praecepta, etsi per se summopere laudanda, magis Diaconis quam Pastoribus nostris convenire putamus. Ubi vero pauperum cura ipsis Sacrorum Antistitibus demandata est, nulli dubitamus, quin iis quoque Patrum huc spectantia monita jure meritoque commendare possimus.

Etiamsi vero haec minus ad nostra tempora pertineant; magis tamen est, quod miremur Patres Ecclesiasticos tot tantaque habere, hodiedum quoque commendanda, quam nonnulla exilia nobisve minus congrua apud eos reperiri. Atque illa quidem, quae ab iis jam de doctoris sacri officiis dicta sunt, et etiamnum in nostrum usum converti possunt, eo gratiora et acceptiora nobis sunt, quo certiori documento esse queant, de ipsorum praeceptorum valore et pretio, quippe quae per tot rerum morumque conversiones, ad hunc usque diem ipsa experientia sint comprobata atque in hoc ipso, quod vivimus saeculo, a quovis Christi sacra administrante audiri et observari mereantur.

---

(1) In Germania e. g. Cf. Pfeiffer l. supra l. Sect. IV. c. IX. §. 128. p. 270 sq. et nota 1.

(2) Ambros. *de Officiis* Lib. I. c. XXX. De Episcoporum potestate in dispensandis Ecclesiae reditibus Cf. Bingh. l. c. Vol. I. L. II. c. IV. §. 6. et Vol. II. L. V. c. VI. §. 1, 2, 3. De archidiacono et diaconis Episcoporum in distribuendo ministris et adjutoribus Cf. Id. Vol. I. L. II. c. XX. §. 16. et c. XXI. §. 5.

(3) Cf. Chrys. L. III. c. XVI. p. 43. fere med.

(4) Cf. Id. ibid. p. 41. med.

(5) Ambros. L. II. c. XVI.

(6) Idem Lib. I. c. XXX.

(7) Chrysost. L. III. c. XVI, p. 41. n. 300.

Jam vero quaestioni propositae satis accurate, pro juvenili parte, respondisse speramus: gratissimum saltem opus, quod in hodiernis atque antiquis Ecclesiae temporibus comparandis cernitur, ad finem perduximus, et simul verissimo Ambrosii praecepto satisfecisse nobis videmur, quo haec habet:

> « *Quaerendum est in omni actu, quid personis, temporibus conveniat atque aetatibus,*
> « *quid etiam singulorum ingenio sit accommodum.*"

TANTUM.

WERNERI IMMINK,
OOTMARSIA – TRANS-ISALANI,
THEOL. IN ACADEMIA LUGDUNI BATAVA CANDIDATI;

COMMENTATIO

DE

CHRYSOSTOMI, AUGUSTINI ET AMBROSII PRAECEPTORUM USU IN SACRO ADMINISTRANDO MUNERE.

IN CERTAMINE LITERARIO
CIVIUM
ACADEMIARUM BELGICARUM,
Die VIII *Mensis Februarii A.* MDCCCXXVIII,
EX SENTENTIA
ORDINIS THEOLOGORUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,
PRAEMIO ORNATA.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS,
MDCCCXXVIII.

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

IN ILLUSTRI AMSTELAEDAMENSI ATHENAEO

inde a d. VIII *Februarii* MDCCCXXVII, *ad. d.* VIII *Februarii* MDCCCXXVIII.

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

CLARISSIMI ORDINIS PRAESES.

H. BOSSCHA.

ACTUARIUS.

J. VAN HALL.

PROFESSORES MEDICI.

H. BOSSCHA.
G. VROLIK.
F. VAN DER BREGGEN, CORN. FIL.

THEOLOGUS.

W. A. VAN HENGEL.

PROFESSORES JURIS.

J. H. VAN REENEN, Prof. honor.
C. A. DEN TEX.
J. VAN HALL.

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

D. J. VAN **LENNEP.**
J. **WILLMET.**
J. P. VAN **CAPPELLE.**

DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

J. P. S. **VOUTE.**
H. C. VAN DER **BOON MESCH.**

LECTOR.

H. DE **HARTOG.**

✻

S E-

SERIES LECTIONUM ET INSTITUTIONUM,

QUAE HABENTUR A PROFESSORIBUS ILLUSTRIS ATHENAEI AMSTELAEDAMENSIS,

inde a feriis aestivis anni MDCCCXXVII *ad ferias aestivas* MDCCCXXVIII.

HENRICUS BOSSCHA,

publice, in THEATRO ANATOMICO *Partium corporis humani fabricam* et *usum* explicat.

Operationes Chirurgicas demonstrat variasque eas instituendi exponit methodos.

privatim, tradit *Anatomiam*, *Physiologiam*,

Chirurgiam Universalem.

GERARDUS VROLIK,

publice, IN HORTO BOTANICO, tradet Elementa Botanica;

privatim, docebit

Obstetriciam theoreticam et practicam;

Physicam plantarum.

DAVID JACOBUS VAN LENNEP,

publice, praecipua quaedam Historiae et Literarum capita tractat, vel ipsi juventuti, exercitationis causâ, disceptanda proponit;

privatim, tradit

Literas Latinas, interpretandis, Ciceronis Oratione pro Archia, Georgicorum Virgilii duobus prioribus libris, explicandis Antiquitatibus Romanis.

Literas Graecas, interpretandis locis Herodoti et Xenophontis quibusdam in *selectis principum Historicorum*, a WYTTENBACHIO editis,

Homeri Odysseae Rhapsod. Η et Θ, selectis Theocriti Idyllis.
Historiam Doctrinarum ab initio ad renatas in Italia literas.

JOANNES WILLMET,

publice, *Nonnulla Historiae Arabum Literariae capita* tractat, aut praecipua Philologiae momenta ad Disceptationem proponit.
privatim, *Scriptores quosdam Arabicos* diversi argumenti et stili interpretatur.
Lectiones vero *Grammaticas* atque *Exegeticas*, quas nunc ipse daturus esset, hoc quidem anno, habebit Vir Cl. T. ROORDA, illi honorifice adjunctus.

JOANNES PETRUS VAN CAPPELLE,

ublice, partes quasdam historiae literariae Belgicae tractabit;
rivatim, de stilo Belgico aget;
De Poëtis seculi decimi septimi Batavis disseret;
Historiam Patriae tradet;
Exercitationes oratorias moderabitur.

FRANCISCUS VAN DER BREGGEN, CORN. FIL.

privatim, tractabit
Pathologiam generalem,
Materiem Medicam,
Medicinam Forensem.

JOANNES PETRUS STEPHANUS VOUTE,

privatim, exponit Mathesin;
Physicam.
Elementa Psychologiae et Logicae tradit.

CORNELIUS ANNE DEN TEX,

publice, varia loca ex Jure Naturae Publico et Gentium tractat vel ipsi juventuti disceptanda proponit.

privatim, tradit Jus Naturae,
Jus Gentium,
Historiam Jurisprudentiae Romanae,
Statisticam Europae, inprimis patriae nostrae.

HENRICUS CAROLUS VAN DER BOON MESCH,

privatim, tradit,
Chemiae Doctrinam et Historiam;
Chemiam Pharmaceuticam, linguâ vernaculâ;
Doctrinae Chemicae usus quoad artes;
Historiam Naturalem.

JACOBUS VAN HALL,

publice, selecta quaedam Juris Privati capita juventuti disceptanda proponit;
privatim, Institutiones JUSTINIANI Imp. explicat;
Pandectas Juris Romani, WESTENBERGIO duce, exponit;
Principia Juris Hodierni tradit.

GISBERTUS JOANNES ROOYENS,

publice, Quaestiones aliquot Theologicas Juventuti disceptandas proponit.
privatim, Historiam Societatis et Religionis Christianae ab initio ad Carolum Magnum tradit.
Pauli ad Galatas interpretatur Epistolam.

TACO ROORDA,

privatim, docet
Grammaticam Hebraicarum,
Grammaticam Arabicam et
Exegesin Veteris Testamenti.

HENDRIK DE HARTOG,

Lector in de Wiskunde, Zeevaart- en Sterrekunde, zal Dingsdags, Woensdags en Donderdags, des middags om *twaalf* ure, in het klein *Auditorium* van het *Athenaeum Illustre*, publieke Lessen, in het Nederduitsch, over deze Wetenschappen geven; en dat wel in afloop van de volgende orde:

Eerstelijk over de *Rekenkunde*, *Decimale Breuken* en *Logarithmus-Getallen*, vervolgens over de *Meetkunde* en *Algebra*, en het maken der *Sinus* en *Logarithmus-Tafelen*, voorts over de Platte en Klootsche *Driehoeks-meting* en eenige Hoofd-Eigenschappen der *Kegelsneden*; waarin over de beginselen der Sterre- en Aardrijkskunde; en laatstelijk over de Theorie der *Zeevaartkunde*; en wel inzonderheid over de berekening der *Lengte op Zee*, zal gehandeld worden; het een of ander Stuk echter meer of minder uitgebreid, of wel met bijvoeging van eenige verklaring der Zeevaartkundige Instrumenten, naar mate het getal en de lust der Toehoorders zulks zal schijnen te vorderen.

ACTA ET GESTA IN SENATU

PROFESSORUM ATHENAEI AMSTELAEDAMENSIS.

Die XXVII m. Junii a. MDCCCXXVII. munus Praesidis in annum sequentem a V. Cl. C. A. DEN TEX delatum est Viro Cl. H. BOSSCHA.

Die m. II Octobris, cum Vir Clarissimus WESSEL ALBERTUS VAN HENGEL, Theologiae necnon Historiae Ecclesiasticae in Illustri Athenaeo Professor, in Academiae Lugduno-Batavae cathedram vocatus fuisset, designatus ei successor, GISBERTUS JOANNES ROOYENS, Theol. Doct., ex decreto Magistratus Amstelaedamensis, Professor creatus *Theologiae necnon Historiae Ecclesiasticae*, in Clarissimum Ordinem relatus est.

Die X m. Octobris. Quum rogante V. Cl. JOANNE WILLMET, ob provectam aetatem, Magistratui Amstelaedamensi ei Doctorem adjungere visum fuisset, qui scholis de literis Orientalibus habendis praeesset, V. Cl. TACO ROORDA, A. L. M. Phil. Theor. et Litt. Hum. Doct., extra ordinem creatus Professor *Litterarum Orientalium*, in Professorum ordinem receptus est.

Die XII m. Novembris V. Cl. GISBERTUS JOANNES ROOYENS delatam sibi *Theologiae necnon Historiae Ecclesiasticae* Professionem solemniter auspicatus est, habitâ Oratione *de indole Religionis Christianae, in qualibet formae varietate perpetuo spectabili neque umquam peritura.*

Eod. die munus Actuarii a V. Cl. J. VAN HALL, ad V. Cl. G. J. ROOYENS translatum est.

* * *

GISBERTI JOANNIS ROOYENS,

ORATIO

DE

INDOLE RELIGIONIS CHRISTIANAE, IN QUALIBET FORMAE VARIETATE PERPETUO SPECTABILI, NEQUE UNQUAM PERITURA,

HABITA D. XII NOVEMBRIS ANNI MDCCCXXVII.

CUM, IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELODAMENSI,
THEOLOGIAE ET HISTORIAE ECCLESIASTICAE PROFESSIONEM AUSPICARETUR.

CONSUL PERILLUSTRIS, QUIQUE CUM EO HUIC CIVITATI REGUNDAE PRAEESTIS, HUJUSVE ATHENAEI CURAM GERITIS, VIRI AMPLISSIMI!

SENATORES ET JUDICES GRAVISSIMI, INTEGERRIMI!

CLARISSIMI QUARUMVIS DOCTRINARUM PROFESSORES!

MATHESEOS, ASTRONOMIAE, ARTISQUE NAUTICAE LECTOR EXPERIENTISSIME!

SACRORUM ANTISTITES, PLURIMUM VENERANDI, COLLEGAE CONJUNCTISSIMI!

ARTIUM AC DISCIPLINARUM DOCTORES ERUDITISSIMI!

PRAESTANTISSIMA JUVENUM CORONA, PATRIAE SPES, PARENTUM DECUS, NOSTER AMOR, HUJUS ATHENAEI ORNAMENTUM!

QUOTQUOT DENIQUE ADESTIS, CIVES, HOSPITES, SUO QUIQUE LOCO, ORDINE ET DIGNITATE SPECTATISSIMI!

Cum in hunc insignem celebratumque locum, dicendi causâ, prodierim, me sollicitudine magnâ torqueri, et tristitiae quoque sensu commoveri, equidem non diffiteor. Exacti sunt novemdecim, et quod excurrit, anni, ex quo ad sanctissimae Religionis oracula, populo pandenda, vocatus sum, studiisque, quae cum munere mihi imposito arctius conjuncta essent, praecipuam operam navandam esse duxi. In id autem praesertim, pro virium tenuitate, incumbebam, ut literarum sacrarum non plane ineptus interpres esse viderer. At ecce! in aliam nunc scenam prodeundum, ut sermone, cujus mihi usus familiaris in desuetudinem abierit, pro spectatâ adeo doctissimorum atque elegantissimorum virorum coronâ orationem habeam. Si igitur ipsum Ciceronem (absit a comparatione invidia!) semper cum tremore se dicere confitentem habemus, quid mirum, scrupulum mihi nunc injici haud mediocrem, quin totâ mente omnibusque me artubus contremiscere, verentem, ne teretes adeo aures sim offensurus. — Verum etiam tremori alius accedit sensus. Mecum enim reputans, cujus in locum ego successerim, non lugere non possum illustris hujus Athenaei sortem, splendidissimo lumine orbati. Novimus omnes, qualem quantumque, dum inter nos versaretur, se praestiterit HENGELIUS. Vidimus literas Theologicas, eo duce et auspice, tanquam denuo renascentes, vigentes, atque ad majorem identidem florem assurgentes. Amisimus, eheu! virum in paucis eximium, cujus quo magis familiaritate mihi uti licebat, eo vehementius exquisitam Theologiae tractandae rationem sum admiratus. Summa autem ejus in hanc bonarum artium literarumque sedem merita cum nostrae semper, tum posteritatis etiam, insidebunt memoriae. — Accipe igitur, vir inclyte! accipe, quamquam absens, devotae tibi mentis declarationem. In curriculo te digno ad majoris perpetuo honoris metam propera. Laboris indefessi ad placidam usque senectutem fructus percipe; ac Leidensis Academiae, quae tuâ nunc et doctrinâ et humanitate gaudet, in dies adauge gloriam. Mihi vero tui imago, quam animo impressam teneo, ita semper obversetur, ut ad tui imitationem quotidie exciter, et prima sequens, in tertiis etiam non plane improbatus videar! — Sed ad vos redeo, A. A. H. H.! quos rogatos etiam atque etiam velim, ut faciles mihi, et porro dicenti, aures praebeatis, vestrâque pro benevolentiâ meam aeque feratis mediocritatem. — Si autem argumentum, quod tractaturus sim, a me quaeritis, non illud quidem ex abditis disciplinae Theologicae latebris ducendum esse putavi; sed hujusmodi tamen circumspexi, quod, uti cum diversis delatae in me provinciae partibus conjunctius, sic a nemine vestrum, Christi nomen profitente, sit alienius. Ita vero, Summo annuente Numine, de eo mihi agere nunc liceat, ut, sin minus orationis ubertate atque elegantiâ vobis placeam, ipso saltem rei gravissimae patrocinio non plane inferior esse deprehendar. Dicam igitur *de indole Religionis Christianae, in quâlibet formae varietate perpetuo spectabili, neque unquam peritura.* In quo quidem argumento explicando, quantum pro ejus amplitudine possim, brevitati studebo.

Religionem Christianam memorantes, quid opus est, A. A.! ut diffusam ejus expositionem aggrediamur? In illâ enim Religione enutriti atque educati sumus, ac cujusvis eam salutis fontem esse, quotidie et ipsi experimur, quorsumque oculos conjicimus, adspicere nobis datum est. — Illius autem indolem vigentem cernimus, ubicunque praecipua ejus capita Christi sectatores sincere credant, firmiter tueantur, atque omnino divina illa Religio ita tradatur, ut vim suam atque efficacitatem in hominum animos exserere possit. Salvâ vero hac ejus indole, quis varias eam formas sibi sumere posse negaverit? Hic in lucem prodit, simplicissimâ quasi veste induta, omnemque ornatum plane spernens. Illic, aut nulla non elegantiae praesidia sibi vindicat, aut ad Philosophiae sive sterilitatem sive subtilitatem exigitur. — Maxime autem illa formae varietas in modo Dei colendi, ejusque praeceptis obtemperandi elucet. Hic enim vel simplex est, ut piis animi sensibus vitaeque integritate unice fere constet; vel varii inducuntur ritus; pompa in dies crescit; Summi Numinis veneratio eo adstringitur, quod in oculos incurrit, et infinita in auxilium vocatur caerimoniarum multitudo, ut per eas pietas promoveatur dicam? an insanae molis onere opprimatur. — Ne quis igitur perinde esse, quam sibi Religio Christiana formam induat, temere pronuntiet! Potest, fateor, haec ejusmodi esse, ut intacta maneat Religionis indoles; quin etiam ad res divinas melius percipiendas ipsis inserviat hominibus. Sed hoc item reputandum, quantopere vulgus mortalium pulcri specie capiatur; cumque ipsa res haud raro formae cedat, quis eam quoque vim non formae tribuerit, quâ Religionis indoles magis magisque oculis subtrahatur, planeque tandem pereat. Sic autem contingere possit, ut dono illo caelesti, quo et homines antea gravisi sunt, et nos etiam gaudemus, genus humanum aliquando orbetur, ac perennis felicitatis fonte miserrima careat posteritas.

Verum, A. A.! si quis forte haec metuat, utinam illi metum eximere, laetâque animum spe perfundere possim! Quâ vero ratione gravissimo hoc defungar officio? Provocemne ad sapientissimum eundemque benignissimum hujus mundi Rectorem; a quo, uti peculiari mirandoque plane modo Religionem, omnibus gentibus aptissimam, in terrarum orbem induxit, sic ejusdem conservatio cuncta per saecula fidenter exspectanda est? Aut in medium proferam luculentissima literarum sacrarum effata; quae, quemadmodum institutionem Mosaicam aliquando abrogandam fuisse arguunt, Religionis ita Christianae perennitatem aperte declarant? Aliam mihi viam ingredi placet, ut, quod ratiocinatione vel auctoritate probandum foret, ad illud, in fidelissimo tanquam speculo redditum, contemplandum vos ducam! Si igitur, ut ait CICERO, Historia testis temporum ac lux veritatis est, nostram in rem eadem testis adsit, lucemque praeferat ad argumentum, quod sumsimus nobis demonstrandum.

Quis nostrum est, A. A.! quotquot a JESU CHRISTI effatis pendemus, cui Religionis, quam tradidit, indoles abscondita sit? Quid enim illa nos effata edocent? Philosophamne vel popularem quandam de his in terris sapienter feliciterque vivendo continent institutionem? Est majus profecto aliquid, quod in iis suspicimus. An vero genii cujusdam caelestis subtilem nobis scientiam impertiunt? Est scientia sublimior, quam in iis admiramur.

mur. Ipsum Dei Filium oculis nobis proponunt, Patris auctoritate Patrem patefacientem, adeoque ostendentem. Ad hunc igitur accedite, in eoque suspicite et admiramini divinam plane majestatem, quâ hominibus, peccatorum culpâ reis, eorundemque contagione miserrimis, paterna pandat consilia de veniâ malefactorum iis procurandâ, atque ita largiendâ, ut omni metu liberati, ad veram mentis emendationem enitantur, perpetuaeque felicitatis reddantur participes. Quidquid enim Servatoris nostri doctrinae proprium, quidquid deinceps ab ipsius Apostolis ad eam explicandam illustrandamque est prolatum, his cum consiliis arctissime junctum videmus. Quodsi praeterea ritus respicimus, quibus Religionis suae indolem quasi oculis depinxit, — sacram lavationem coenamque sacram nomino —, dubii certe haeremus, utrum veneratione dignior sit illius indolis sublimitas, an formae, quâ prodit in lucem, simplicitas.

Haec tamen simplicitas non omnibus placuit; et quo latius doctrina Christiana per orbem terrarum propagabatur, eo magis perversis hominum studiis exornari, imo depravari coepit. Accedunt ad Christi societatem Judaei, Sacris Mosaicis assueti. An mirum, si horum Sacrorum ritus novis cum Sacris copulare, atque avitae Religionis splendorem ad ea transferre gestiant? Gentes quod attinet, fictis quidem Diis valedicunt, nec solitum amplius Jovi Venerique tribuunt honorem. Existunt tamen, qui philosophis suis imbuti opinionibus, easdem in Religione Christianâ sibi reperire videantur, vel hujus Religionis doctrinas ad PLATONIS, Stoicorum, aliorumve placita componere studeant. Alios porro Allegorica, quae dicitur, interpretatio capit; atque omnino sensim sensimque introducitur doctrina quaedam interior, sapientiaeque species, cujus dici vix potest, quanta vis in ipsam fuerit Religionem. Hinc oritur certamen quasi humanam inter sapientiam ac divinam illam, quae in Doctoris summi institutione elucet. Stat tamen eo in certamine inconcussa Religio, ut ab augusto Conditore ad homines perlata fuit. Unus quidem et alter ab ejus indole abduci se patitur. Varii divulgantur errores, et subinde vel ita graves, ut ipsi Servatori divinam eripere majestatem minitentur. Contra vero, unitatis, quae dicebatur, in societate Christianâ tuendae causâ, in leviter quoque errantes gravius animadvertitur. Magnâ nihilominus copiâ adsunt, qui cum caritate fraternâ fidem conjungentes integram, praeclaro, quo modeste gloriantur, no-

nomini haud exiguum concilient honorem. Si autem Religionis Christianae indoles ex effectu, quem in totam sentiendi agendique rationem habet, inprimis judicanda est; jam erigamur ad spectaculum nostrâ omnino admiratione, imo veneratione dignissimum! Oculos, quaeso, defigite in priscos Christi sectatores! Quam excelsum ostendunt ânimum! Quantâ sanctitate nitent, etiam, cum praeter modum ei student, ipso conatu illustres! Foedissima ubique morum depravatio; sed a contagione illibatos se servant. Acutioribus quamvis conviciorum ac calumniarum telis petuntur, non raro tamen vel acerbissimis ita probantur hostibus, ut hi ipsi, inauditâ prorsus quarumcunque virtutum conjunctione quasi obstupefacti, fratres illos nominare, Christumque agnoscere Dominum, haud erubescant. Sic igitur Religio Christiana novas quotidie victorias reportat. Quas tamen aegerrime ferentes, qui antiquam religionem, sive potius superstitionem, tueri conantur, inermi, ecce! Christianorum agmini nulla non supplicia parant. Videte autem, quam mirabiliter, in summo rerum discrimine, flagrante Imperatorum, Pontificum, Augurumque Romanorum in nova Sacra odio, ipsa Religionis indoles in iis se exseruerit. Quod si forsitan de fide, JESU CHRISTO servandâ, scrupulose magis aliquando quam vere existiment; adeo tamen intima persuasio de divinae Religionis excellentiâ illorum animis infixa est, ut ne tristissimas quidem aerumnas pro eâ tolerare negent. Sensibus adeo, quos alit illa Religio, toti imbuti sunt, ut patientes, tranquillos, mansuetos, Deo optimoque Servatori devotissimos, infestissimis quoque ignoscentes inimicis, mortem eos subire videamus crudelissimam. — Testor te, divine POLYCARPE! qui Christi imaginem, quam vitâ longissimâ expresseras, in ipso rogo ad vivum retulisti. Testor vos, sacra Martyrum cohors! qui vanâ Martyrii laude minime incitati, tenerrimâ vero in summum Magistrum caritate ducti, sanguinem pro eo effundere haud recusastis. — Profecto, A. A.! quo attentius ejusmodi exempla intuemur, eo laetius de Religione, venerabilium adeo Heroum genetrice, gloriabimur: et, quidquid prioribus tribus saeculis in eam sit invectum, vel qualemcunque tandem apud hos illosve sumserit formam, ita tamen ejus indoles sese praebet spectandam, ut in Christianorum plerorumque fide, factis, totâque vitae ratione servatam eam atque vigentem cernamus.

At audio mihi insusurrantes: Feliciter tu quidem rem tibi agere videris, et, cum ex aureâ, quae dicitur, Religionis Christianae aetate argumenta petas, non est, quod vehementer adeo tibi repugnemus. Ad proxima vero, obsecramus, attende saecula; ac tricis, in quas te conjeceris, vide, quî te expedias!

Equidem haud infitior, A. A.! ad ea me deferri tempora, quibus Religio divina tristiorem in dies ostenderit faciem, eoque tandem res pervenerit, ut e societate Christianâ ipsa Christi doctrina exulasse videretur. Laetior quidem rerum facies sese ostendere visa ab eo tempore, quo CONSTANTINUS, cui MAGNI nomen est tributum, Christum ipse professus, rebus Christianis quovis modo favere coepit. Utinam vero Imperator, magisque etiam ejus successores, tam saluti augescentis societatis, quam splendori consuluissent! At videte eos Religionis quasi exornandae studio intemperato ductos! Cultûs hinc externi color fuco illinitur. Templa magnificentissima exstruuntur; quodque in superstitione antiquâ allexerat oculos, ad Christianam magis magisque transit Religionem. Antistites igitur adsunt, splendidius in dies ornati, ac majore identidem auctoritate pollentes. Superbiâ elati, eorum insigniores de principatu dimicant. Inducitur Hierarchia. Pontifices tandem Romani in rebus tam humanis quam divinis primas agunt, atque omnia fere, in Occidente saltem, ad eorum arbitrium nutumque diriguntur. — Neque in eo subsistitur. Acerrimae de ipsâ doctrinâ moventur rixae. Quod adhuc pie creditum est, nunc indagatur curiosius, atque ad argutam scrupulosamque scholasticorum sedulitatem cuncta exiguntur. Quid? Christi sectatores se invicem ipsi dilacerant, ac vel propter nomina alii alios coeco plane insectantur odio. Perit igitur aurea cogitandi sentiendique libertas. Ex altâ suâ sede, PETRI se dicentes successores, quidlibet decernunt. Fulmina horrenda longe lateque torquent, stupidoque ac trementi populo imperant, quaecunque suo ipsorum commodo prodesse putant. Sic praeparantur, ingruunt, adsunt tempora, quibus societati Christianae densissimae, eheu! offunduntur tenebrae.

Veruntamen, ne illis quidem ipsis temporibus viros praestantissimos, tanquam doctrinae Religionisque lumina, desideramus plane. Occidentem spectate, A. A.! quem haud mediocriter LACTANTII et AMBROSII inprimis illustrat eloquentia. Convertite ad Orientem oculos! Fulgent ibi BASILIUS MAGNUS, GREGORIUS NAZIANZENUS, et omnium facile princeps, JOANNES

NES CHRYSOSTOMUS. Rariora quidem fiunt, ac paene desunt hujusmodi deinceps lumina; ipsisque doctoribus haud dubie tribuendum, quod veram in hominum animos efficacitatem Religio tunc minus exserebat. Latebat igitur ejus indoles; latebat vero, ut, opportunitate datâ, in lucem laetius prodiret. — Atqui vanam urgetis rituum copiam, quae in Religione cernitur. Eam equidem haud negaverim causae Divinae vehementer nocuisse. Sed vos mihi, quaeso, vicissim concedatis, non quamlibet religionis formam quibusvis aeque aptam esse hominibus. Jam vero animum attendite ad barbaras illas gentes, quae, everso imperio Romano, Religioni Christianae se addixerunt. Hancne putatis, si formâ suâ simplici iis innotuisset, puerili illorum ingenio placere potuisse? Nunc autem eos allexit forma, et per formae splendorem ipsa, qualiscunque tandem, Religio iis se commendavit. Sed videte, A. A.! et admiramini, quantum vel sic depravata Christi doctrina in illos valuerit populos. Emollivit eorum mores, nec adeo feros esse sivit. Quid? quod illi nunc sensim sensimque a vitâ ferâ et horridâ, a rapinâ, a saevissimis belli artibus ad agriculturam, ad mercaturam, ad humaniora omnino studia conversi sunt. Dolemus quidem ingravescentem superstitionem; quam medio praesertim aevo crassam fuisse, quis est, qui neget! Caveamus tamen, ne opinemur hanc omnium mentes ita oppressisse, ut nemo ab ea liber et immunis esset. Liberalius mitto CAROLI MAGNI ingenium, quod primordia saeculi noni, ut insequentia item tempora, illustravit. Non memoro celsioris animi viros, qui tunc ac postea saniora in lucem protulerunt, ALCUINUM, JO. ERIGENAM, GERBERTUM, ABAELARDUM, PETRARCHAM, alios. Non provoco ad Scholas et Academias, quae, a CAROLI aetate, in Occidente effloruerunt. Non dico denique de melioribus Religionis notitiis, in Oriente praesertim residuis, quae longe lateque deinceps sese propagarunt. Integras conspicimus nationes, apud quas Religio Christiana, simpliciori se formâ probans, indolem egregie retulit. Quasi e longinquo Christianos cernimus Syros. Propius adsunt Albigenses; et, tanquam lucidum sidus, in coelo undique tenebris obducto emicans, nobilis Valdensium progenies. Quin ipsa divinitus nobis concessa Religio, quaecunque tandem caligo ejus indolem obscuret, soli, cujus lumine recreamur, est adsimilanda. Nebulis tegitur coelum, quae magis magisque cumulatae, horrendum terrae incolis spectaculum praebent. Neque tamen unquam adeo crassae sunt, ut, non di-

dico, solem luce suâ, sed nos etiam laeto ejus splendore, prorsus privare possint. Depulsis vero nebulis, ecce! unus idemque sol, novo quasi nitore fulgens, mundum exhilarat, frontemque mortalibus explicans, eorum simul animos festivo plane gaudio perfundit. Te proinde, o nullo non praeconio laudanda Religio! te, inquam, salutamus tanquam solem, mentibus humanis nunquam occidentem; atque eo laetius ovamus et exsultamus, quo jucundius tuâ ipsius efficacitate ex teterrimâ nocte diem desideratissimum, et orientem et prodeuntem, et majore identidem cum majestate nitentem, cernamus.

Agite igitur, A. A.! optatissimam rerum mutationem considerate, et, per varios quamvis flexus, ad metam propositam mecum enitimini!

Pressa barbarie, et falsis opinionibus tanquam vinculis constricta, iners jacebat tota ferme Europa, ortusque inde sopor, qui hominum animos universe invaserat, in vitâ quoque communi plerosque obsessos tenebat. At varia jam concurrunt, quae altum soporem sensim depellant, hominesque, eo correptos, ad novam quasi vitam revocent. Quis vestrûm sacri non recordatur belli? Verum ex ipso tanquam superstitionis sinu enata proles matrem impugnat, atque ingenii cultus, qui multas per aetates apud Sarracenos major fuit, quam apud Christi sectatores, in Europam transfertur. Turcarum porro armis cedit diu quassatum Orientis imperium. Sed ipsa dies ei fatalis faustiorem parit, siquidem viri docti, tristissimâ e clade expediti, uberioris in Italiâ cognitionis lumen accendunt. Invenitur denique omnibus fere inventis praestantior Typographia, cujus efficacitate admirabili, quidquid vel praesens aetas ad provehendam veritatem excogitat, vel excogitavit antiquitas, continuo et quasi magicae artis vi per totum orbem diffunditur. Quae ergo obliterata diu jacuerunt egregia Graecorum Romanorumque Scriptorum monumenta, uti et literae Christianorum sacrae, in lucem proferuntur, explicantur, divulgantur. Sic magis magisque florescit eruditio. Sic pulchri venustique sensus acuitur; et omnino tenet hominum animos acerrimum quoddam rei cujusvis gravioris indagandae studium. Quî igitur aliter fieri potuit, quin summum ex his omnibus Religio caperet emolumentum? quae inscitiam inprimis sibi inimicam ducens, quidquid verum est et bonum, in usus suos convertit. Existunt proinde, hîc, illîc, quibus, liberaliora edoctis,

tis, servile Hierarchiae jugum continuo magis sit odiosum: et quo interius viri perspicaciores ad germanam Religionis indolem ipsi penetrant, eo studiosius eam aliis commendant. Nec frustra. Quamvis unus et alter dirissimum ad supplicium trahatur, mirum in modum eorum augetur numerus, qui eodem contendunt: his ipsis adeo augetur suppliciis, quippe quae studia excitant in hominum animis veritatis justitiaeque vindicandae ac propugnandae. Ita vero fit, ut quotidie plures cupiant, expetant, efflagitent Religionem, cujus e limpido fonte rectam rerum divinarum notitiam perpetuamque consolationem hauriant; nec procul abesse videatur tempus, quod ferventem omnium bonorum sitim sit expleturum. Maximae igitur provido Dei Numini gratiae agendae sunt, quod opportune virum quasi suscitavit, quo optatior ne flagrantissimis quidem precibus peti potuerit. MARTINUM dico LUTHERUM; quem, quo diutius intueor, eo magis venerari me solere lubens fateor. Vix declaravit sententiam suam de rebus divinis et humanis intrepidus heros, quin ejus vox, nec Imperatoris augustissimi, nec potentissimorum Principum, Episcoporumve amplissimorum praesentiam extimescens, totam ferme per Germaniam resonat: quodque vel antea, vel eodem tempore, ZUINGLIUS, item deinde CALVINUS, mente conceperant, nunc liberius, hac freti auctoritate, profitentur publice. Sic autem existit et confirmatur novus rerum ordo, sempiternum eundemque saluberrimum effectum certissime habiturus.

Quem utinam effectum non retardassent, qui a verâ liberalitate abhorrentes, in Sacrorum instauratoribus celebrandâ, ad formam magis, quam ad res respicerent! De decretis enim Theologorum vel Philosophorum acriter denuo litigant; ad ipsam vero Religionem animum vix attendunt. Sed, ubi lites illas nobis repraesentamus, ne Religionis indolem in discrimen adductam esse existimemus! Nam diversas quamvis liberior Christianorum cogitandi ratio familias pariat, formae quoque colore alias ab aliis valde distinctas; pleraeque tamen de eo inter se consentiunt, in quo rei summa agitur. Frustra igitur Deistarum, qui dicuntur, et Naturalistarum agmen in ipsam irruit Religionem: et, quidquid Philosophorum Anglorum austera subtilitas vel Francogallorum jocosa levitas tentet, rideat, vaticinetur; ausis votisque excidunt. Quid? ita cum iis miscetur praelium, ut, formâ a re enucleatius distinctâ, illud ipsum in majorem Religionis Christianae honorem cedat. Non est tamen, quod diffiteamur, quodam assentiendi studio, complures inter Christianos adversariorum opinionibus indulsisse. Hinc innovandi cupiditas. Hinc explicandi dicam? an depravandi literarum sacrarum sensum audacia. Hinc plurima ad Religionis formam relata, quae ejus capita esse firmiter defendimus. Si denique impii hominum nonnullorum conatus e voto successissent, vix levis quidem nobis gravissimae Religionis umbra superesset. Id vero, A. A.! Dei Numen avertit. Cum igitur populares nostros, pro eâ, quâ sunt moderatiane, ab aliorum protervià immunes fere mansisse summâ cum voluptate recordamur, ingratum profecto sit, prudentioribus et in Germaniâ viris perquam feliciter firmatae atque illustratae Religionis laudem denegare.

Aliis interim armis pugna renovatur, et sensit Religio, ut universae illius temporis, ita Kantianae inprimis Philosophiae vim. At nec, qui in illâ latebat, scepticismus, nec, quam commendabat, moralis literarum sacrarum expositio, vel Religionis divinae fundamenta convellere, vel ab interpretatione grammaticâ rei peritiores avertere potuerunt. Quod majus est, sic illius Philosophiae placitis usi sunt complures, ut iis ipsis insigniorem Christi doctrinae honorem conciliarent.

Nec tamen a certando temperatum. Quid? quod et hodie res ita agitur, ut summa nos de ejus eventu exspectatio teneat. Hìc prodeunt Mystici, qui, sive ex antiquiorum Mysticorum opinionibus, sive ex SCHELLINGII vel HEGELII decretis praesidia sibi petant, omnia fere ad Phantasiae libidinem, vel sensûs cujusdam obscuritatem, aut ad perceptiones mentis referunt internas. Illìc in arenam descendunt, oppositis quasi catervis, Rationalistae, qui dicuntur, et Supranaturalistae, hi auctoritate divinâ firmiter nitentes, illi rationis humanae judicio cuncta metientes; utrique autem, variis modis, et alios omnes et se ipsos mutuo impugnantes. — Ipsam tamen Religionem sic in periculo versari, num anxii dicamus? Imo vero, salvam eam esse, integra plurimorum fides nobis adhuc testatur; nec, re interius perspectâ, de ipsis errantibus adeo desperamus. Namque ea rationis nostrae est efficacitas, ut, inanibus quamquam spectris aliquamdiu decipiamur, ad sacrum tamen ejus asylum confugiamus tandem. Sed vel sic quidem ratio humana sublimiore eâque vere divinâ institutione indiget, ut hanc, omnium virium contentione, reperire studeat, ad repertam vero suscipiendam quasi ultro feraratur. — Quid? A. A.! quod ipsa Religio huic, quod committitur, certamini praeëst, tantas ad lites componendas paratissima; et, sua cuique libentissime tribuens, nec Phantasiae vel sensui, dummodo ratione ducantur, nec rationi, quae certis Dei se subjicit oraculis, minax adeo ostendit supercilium. Quin, fronte tranquillâ in litigantium turmas oculos figit; et nos, quotquot ei addicti sumus, blandâ suâ voce compellans, mittite, inquit, vanum mittite timorem; placidis estote animis, immotamque mihi fidem habetote, virtutem meam perennem ad remotissima usque tempora vobis vaticinanti.

Divinam igitur audivimus vaticinationem; et praeteriti temporis, quoad longissime possumus, nunc spatium respicientes, quid obstat, quominus ratam eam fore fidenter exspectemus?

Percellat nos oportet mirabilis illa rerum humanarum vicissitudo, quam octodecim saeculorum historia nobis praebet spectandam. Destructa funditusque deleta sunt imperia, quae, dum florerent, nunquam interitura esse pronuntiassemus. Constitit vero, consistitque in hunc usque diem, coeleste illud Regnum, quod ipsum Dei Filium conditorem habet et propugnatorem. — Improbata sunt et explosa, planeque oblivioni tradita, sapientiae dicam? an dementiae humanae placita, quae primum comprobata, plausuque omnium excepta, perennia videbantur. Viguit vero, vigetque ad hunc usque diem, simplicissima illa Religio, quae altiorum, e quibus in terrarum orbem delata est, sedium stabilitatem suâ ipsa stabilitate refert. Quam varia, quamque atrocia, infensissimi ejus hostes, quovis tempore, in eam periclitati et machinati sunt! Vicit autem ac triumphavit, et, quo violentior erat pugna, eo gloriosior victoria fuit. Quin etiam ex iis ipsis, quae exitium ei minitari videbantur, majoris identidem splendoris praesidia sibi ita petivit, ut indolem suam eo magis probare, eoque facilius se cujusvis generis commendare posset hominibus.

Age ergo, quisquis es, timidior Christi sectator! animum demissum ad laetitiam erige! Anne vero barbariem putas, quae medio aevo ingenia obtundebat, forte redituram, novisque viribus auctam almum Religionis Christianae lumen plane exstincturam esse? Ab inani, te obtestor, ab inani temperes curâ! Quid enim est, quo adeo excrucieris? Exstitit victrix Religio, de-

deficientibus ipsi plurimis, quibus hodie pollet, victoriae subsidiis. Nunc vero vide saluberrimas rerum notitias longe lateque sparsas. Nunc porro considera arctissimum, quod diversissimos inter populos est, mercaturae ac navigationis, cogitatorum scriptorumque, ut nunquam fuit antea, commercium! Nunc denique divinam JESU conspice doctrinam cum legibus rebusque politicis, cum artibus ac disciplinis, cum quibuslibet, tum privatis tum publicis, institutionibus ita cohaerentem, ut et haec de perenni illius doctrinae constantiâ securum te reddere debeant.

Quod vero tu de redeunte inscitiâ reformides, num forte alius de nimio timeat ingeniorum cultu? Est, fateor, aliquis, qui inepte hoc nomine dicitur, animi cultus, quem Religio Christiana respuit plane. Qui contra in veri, recti, pulcri, honestique studio, atque in iis omnibus cernatur, quae ad eruditionem et humanitatem promovendam conducunt, num hunc Religioni inimicum esse pronuntiemus? Laetor ego profecto, ejusmodi cultum invalescere videns; et nonne vos, A. A.! in historiae tanquam speculum intuentes, de eo mecum laetemini? Quaenam enim tempora Religioni fuerunt nocentissima? Illane, quae uberiore luce abundarent? Factâ medium inter aevum et posteriora saecula comparatione, penes omnes aequos rerum arbitros esto judicium! A renatis inde literis, et restitutâ cogitandi sentiendique libertate, critica, quae dicitur, ars, singulas librorum sacrorum voces ac sententias sua ipsa trutinâ exploravit. Grammatica interpretatio nihil non, quod ad ipsam Religionis indolem pertineret, diligentissime excussit. In regiones, in mores, in instituta politica, in placita religiosa populorum hominumve, quos Novi Testamenti monumenta ob oculos nobis ponunt, inquisitum est. Quo autem, anquiritis, eventu? Infaustone ac Christi doctrinae exitiali? Imo vero felicissimo, atque eo plane, ut divina illa doctrina, tanquam aurum ad obrussam, eo praestantior veriorque appareret. — Aut accuratiori naturae adspectabilis investigationi, vel insignioribus Geologiae, Astronomiae similiumque studiorum incrementis, mali quid ominis subesse suspicemini? Atqui iis certe, quae novissima etiam tempora in his praestiterunt, doctrina coelestis tantum abest, ut concussa sit, ut mirifice interdum sit confirmata. — Vel ad nostrae denique quis aetatis elegantiam provocet, cujus arbitrio, formae saltem ratione habitâ, gravissima Religio inamoenam referat tetricae matris speciem? Abstineat, quaeso. Uti enim virgo, venustatem minus

nus ostentans suam, quam celare frustra studens, eo gratiosior apparere solet; sic et nativâ suâ pulcritudine habet illa Religio, quibus viris quoque politissimis et semper placuerit, et placeat adhuc, perpetuoque sit placitura. Atque ad formam, quâ divina edit oracula, animum attendentes, quid est, quod, ubi JESUM majestate simplici, aut PAULUM graviter, subtiliter urbaneque dicentem audimus, DEMOSTHENIS vel CICERONIS eloquentiam, aut PLATONIS acumen salemque Atticum, adeo desideremus?

O Religionem admirabilem, quam, quo diutius consideramus, eo faustiora posteris per eam eventura auguramur! Namque inest ei invicta quaedam vis, quâ cuncta, quae in ejus perniciem tentantur, nutu suo a se depellat. Quidquid vero in se recipere potest, recipit continuo, atque singulis et universis, quae sibi oblata videt, ita utitur, ut eo ipso nobis appareat, quam immensas cujusvis generis divitias sinu complectatur. Quid igitur damni timeamus, quod huic Religioni increscens ingeniorum eruditio paritura sit? Abundet genus humanum omni, quâ possit cognitionis ubertate, nos praesagimus, fore, ut eâ quoque Christi doctrina laete exsultet. Quin etiam tempus mihi videor videre, — nec erit inanis haec vaticinatio, — quo, vigente quarumlibet doctrinarum omnisque humanitatis studio, his auspiciis ipsa Religio pulcherrime floreat. Tunc igitur, A. A.! hominum ingenia nullis non disciplinis literisque elegantioribus excolentur. Philosophia, suis circumscripta cancellis, mentem acuet, et minus in inutilibus perscrutandis, quam in salutaribus tradendis atque exponendis versabitur. Nihil vero praeclari in lucem producet sapientia humana, quin illud ad Religionem divinam continuo transferat. Quae, minime ingrata, largiore vicissim manu, tanta retribuet hominibus, quanta in eos conferre una potest, puram dico plenamque rerum Divinarum notitiam, dulcem animi quietem, felicitatem sempiternam. — O faustissimum illum, et, pulsis tenebris, splendidissimum diem! Sic igitur fiet, ut ex intimo Religionis sacrario eliciatur ac proferatur, quod in eo latere ne suspicati quidem unquam fuimus. Sic sancto humanam inter et Divinam sapientiam foedere pacto, ex gratissimâ utriusque conjunctione optatissimus ille rerum nascetur ordo, quo Religio Christiana, qualicunque tandem formâ se ostendat, omnes omnium regionum ac cujusvis ordinis homines tot tantisque cumulet bonis, ut, unoquoque, pro ratione suâ, illorum participe facto, a cunctis beneficae adeo Religionis Auctori, Tutori atque

Perfectori laudes perpetuae tribuantur. Quem vero diem si nobis adspicere non licebit, eo, dum haec ossa cubant, beata fruatur posteritas!

Argumento orationis, A. A.! quoad ejus fieri per temporis angustias poterat, qualicunque tandem ratione absoluto, quâ officii religione teneor, jam paucis me solvam.

Honorificentissimum mihi sane decretum accidit, quo amplissimus hujus civitatis senatus Theologiae et Historiae, quae dicitur, Ecclesiasticae, in illustri hoc Athenaeo, docendae provinciam, adjuncto, ex augustissimi Regis placito, concionatoris munere, ad me deferret. Nec minor mihi honos habitus est, cum inclyta, quae Leidae est, Academia Theologiae me doctorem creare munificentissime constitueret. — Si vero omnibus, qui tot tantisque me ornarunt beneficiis, maximae mihi gratiae sunt agendae, vobis praesertim, viri amplissimi! qui huic civitati regundae praeestis, quibusque et Statoribus et Curatoribus alma haec literarum sedes gaudet, vobis, inquam, animi sensus candide explicandus est. Verum, ut vestram erga me liberalitatem verbis aptis praedicare nequeo, ita, ne vestrâ de me opinione inferior mox deprehendar, vehementer reformido. Quis enim ego sum, qui tanto, quantum mihi est impositum, munere digne perfungar, inque summi viri, HENGELII, vices succedam? Nihil equidem polliceor. Vos autem, viri perillustres! vestro me favore, quaeso, complectamini, vestrâque auctoritate et consiliis vacillantem confirmetis! Equidem illud unum flagrantissimis in desideriis mihi habeo, ut, siquid possim, quod sentio, quam sit exiguum, id totum singulis atque omnibus gravissimi, quod mihi incumbit, officii partibus consecrem. Hoc enim et vobis debeo, qui vestram in me propensionem ita declarastis, ut ingratus profecto sim, nisi grates, quo maxime poscitis modo, persolvere vobis studeam. Si vero pro vobis, aut potius pro Athenaeo, vota mihi facere licet, servet vos, viros, provectiore minus aetate quam sapientâ et virtute venerabiles, servet vos benignissimum Dei Numen ita incolumes, ut huic doctrinarum sedi, juvenili quodam vigore, diu consulere pergatis.

Nescio plane, quomodo me affectum sentiam, cum vos intueor, viri clarissimi! quibuscum arctioribus jam vinculis me video conjunctum. Honorat insigniter, perturbavit vero et perturbat adhuc haud mediocriter vestra me praesentia. Pudore equidem confundor, cum viri mihi salutandi sunt Collegae, quorum me discipulum in plurimis nominare malim. Vos vero sinite me vobis ducibus et admonitoribus uti, ex quibus intelligam, quo mihi tramite eundum sit, ut meo munere vestrâque societate dignior aliquando evadam. Si quâ autem in re ego vobis prodesse potero, quidni lubentissime fecero ac paratissime? — Suave tibi sit, venerande senex, doctissime WILLMETE! concessum tibi otium, quod viro adeo literis culto minime otiosum esse poterit. Egregium conspicis, tibi ac nobis omnibus gratissimum, laboris tui socium, qui te vestigiis jam diligentissime ac felicissime prosequitur. — Intercedit autem inter nos, eruditissime ROORDA! qui diversis studiis eodem contendimus, arctior quaedam necessitudo. Tuam igitur maxime amicitiam peto, nec te, quae tibi offero officia, recusaturum esse, persuasum mihi habeo. — Quemadmodum vero, de CICERONIS sententiâ, cunctarum artium ac disciplinarum commune quoddam est vinculum; sic etiam, viri clarissimi! inter nos omnes ea sit et maneat et augeatur animorum conjunctio, quae ad hujus Athenaei salutem maximopere conducat.

Ad vos quoque salutandos impellitur animus, praestantissimi juvenes, qui in hac bonarum literarum sede studiis operam navatis. Amavi semper, et integerrimo etiamnunc amore complector generosa illa pectora, quibus, quidquid praeclarum atque eximium est, in deliciis habetur. Tales autem alumni si nobis se in disciplinam tradant, (nec dubito, quin se sint tradituri) nonne vehementiori, quo illi feruntur, verae sibi comparandae eruditionis ardore et ipse inflammer? Me igitur accipite, optatissimi commilitones! non ut imperiosum quendam magistrum, imo vero ut studiorum comitem, qui vobis docendis ipse discam. — Si nonnulla, quae annorum aliquot me monuerit experientia, vobis suppeditare possim, suppetandis, quaeso, vestrum in commodum utamini! Neque eruditum praeterea atque doctum solummodo esse debere, sed et humanum ac vere pium, qui alios Religionis sensibus imbuere velit, mente perpendatis. Utinam vero mihi contingat, quidquid veri, boni honestique est, id ita vobis imprimere, ut literarum sacrarum interpretes aliquando fiatis idonei, et sanctissimam, quam populo Christiano exponetis Religionem, totâ vivendi atque agendi ratione ipse palam faciatis! Sic igitur erit, ut et vos confirmetis atque amplificetis aeternum illud Regnum, quod, ut origine suâ atque indole, ita etiam perpetuitate, caducis hujus mundi rebus longe est praestabilius.

Quod ut Deus Optimus Maximus, idemque per JESUM CHRISTUM Pater benignissimus, sancto suo Spiritu, et vobis et mihi largiatur, in votis atque precibus habeo ardentissimis.

DIXI.

TURAL HISTO

LECTIONES

IN SEMINARIO LUTHERANO HABITAE,

inde a feriis aestivis anni MDCCCXXVII; *usque ad ferias aestivas anni* MDCCCXXVIII.

D. JO. THEOPH. PLÜSCHKE, *Prof. Ord.*

Psalmos selectos, imprimis tales, qui ad Messiam pertinent, interpretatus est.

Evangelium Lucae cum commilitonibus pertractavit.

Historiam doctrinae et Ecclesiae Christianae enarravit.

CHRISTIANUS HENR. EBERSBACH, *Prof. Extraord.*

Theologiam naturalem docuit.

Doctrinam morum Christianam proposuit.

GEORG. FREDER. SARTORIUS, *Prof. Extraord.*

Rationem *interpretandorum in institutione populari librorum sacrorum* docuit, explicandis epistolis Pauli ad Galatas et Ephesios.

De *omni ambitu muneris sacri* et singulis ejus officiis disseruit.

Exercitationes provectiorum *homileticas* et *catecheticas* moderari perrexit.